*rem præsentium.* præsentium, vt pecuniarum & voluptatum & rerum quarumlibet quas amasti. 4to. dira propter timorem futurorum: & maximè diræ proprer patentis iam iamq; inferni conspectum. O qaàm amara est memoria talis mortis! O IESU ... horto & in cruce agoniam ... mei in agone meo!

*Punctum 2dum.* Dicuntur ... ones non consummatio: qui ... id est peccatores non vna mo... tur. 1mo. enim moriuntur ... amissâ gratiâ sanctificante qu... mæ. 2do. consummantu... dum eorum anima separat... 3tio morte gehennæ dum ... ta gloriæ, ac deijciuntur ... Heu quàm diræ sunt istæ co... seu mortes? dira mors pec... animam gratiâ: dira mors ... corpus animâ: dira dirissima ... næ privans hominem gloriâ. O IE... mortem tuam dirissimam libera me ... te peccati: libera me à cruciatibus ... fac in pace in idipsum dorm... escam. Mors carnis sit mihi ... mitio non pressura, nec ... Mors naturalis sit mihi ostiu... tus ad vitam gloriæ. Fac IES... simam misericordiam tuam.

*Quare mors peccatorum vocatur in plurali consumationes.*

R. Pro Dca Pass. quis me arguet
de peccato. niemasz ktoby grzeszył
a grzechy sz bozie tyz pod po
kryweny pod przeszczytkiem
swietobliwosci cnoty usługi
sicut illa mulier habens myste
rium i spiritus. [illegible] una
wiedziny am inona [illegible]
ne. bozie tace thesauri enim
est omnis ecclesia nie mosz
grzesznikow a pełno zbrodni
y grzechow. quis me arguet
de peccato. niechciebi in[illegible]
gatowa bo sam grzech urzy
summis [illegible]
tora [illegible]
za [illegible] jednym
słowem [illegible]
dego ossoby y potempi

ronum parentem conscientia
prodidit manifestavit: adam ubi
vocem tuam audivi et timui
in caim: sanguis fratris tui cla
mat ad me de terra valens im
perator fratrem constantinum
jam in statu spirituali existen
tem, ne factus episcopus aut
summus pontifex sibi eriperet
imperium exanimem facit.
qui post fata valenti cum coli
ce pleno sanguine se semper
repraesentavit, dicens sanguine
bibe quem sitisti
item quendam hirundines
reum patefecerunt garrientes
patrem occidisti

# PABULUM ANIMÆ CHRISTIANÆ,

SEU

# MEDITATIONES

triplici perfectionis viæ servientes.

à R. P. CHRYSOSTOMO ADAMOVIO
*Sacri Ordinis S. PAULI Primi Etæ Asceta conscriptæ.*
Auctæ verò, & in singulos totius anni dies
DISPOSITÆ

*à F. BARTHOLOMÆO SOTAREVIO
ejusdem Sacri Ordinis Presbytero, atq; ab eodem in gratiam omnium, sive per lectionem Sacram, ac Meditationem, sive per exhortationem & prædicationem, sive per conferentias & discursus Spirituales, perfectionem Christianam, tùm sibi tum alijs procurantium.*

publicæ luci datæ.

ANNO DOMINI
E. M. 1706. Argent.

Impressæ in Privilegiata à S. R. M. Clari-Montis Typographia.

Nosti hoc esse *Chirstianæ animæ pabulum* si in lege Domini meditetur die ac nocte.

*S. Hier: ad Florentium.*

## Approbatio Ordinaria.

EGo Magister FRANCISCUS PRZEWOSKI, S. Th: Doctor & in Vniversitate Cracoviensi Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Præpositus S. R. M. Secretarius, Ordinarius Librorum Censor, Librum cui Titulus PABVLVM ANIMæ CHRISTIANæ. *seu* MEDITATIONES. &c &c. dispositæ à R. P. Sotarevio Ord: S. PAULI Primi Eremitæ S. T. Doctore, Vicario Provinciæ Polonæ vidi & diligentissime legi. Qui cum nihil Orthodoxæ Fidei & bonis moribus dissonum in se contineat, ideo illum in publicam lucem edi, & prælo imprimi do & concedo facultatem. Datum in Præpositura S. FLORIANI ad Crac: Die 27. Aprilis. Anno Dñi 1697.

*M. Franciscus Przewoski, S. Th: Doctor & Professor. Præpositus S. Floriani ad Crac: S. R. M. Secretarius Ordinarius Librorum Censor.* m.p.

## FACVLTAS

### *Reverendissimi Patris Generalis.*

OPus quod intitulatur: PABVLVM ANIMæ CHRISTIANæ, seu MEDITATIONES triplici viæ perfectionis servientes, olim à R. P. *Chrysostomo Adamovio* Ordinis Nostri asceta conscriptæ, nunc verò per Rñdum Patrem Fr. BARTHOLOMæVM SOTAREVIUM, eiusdem Ord: S. Th: Doctorem, vtriusq; Poloniæ Silesiæ & Pomeraniæ Provinciæ Definitorem, auctæ & in singulos totius Anni dies dispositæ: à duobus Theologis Ordinis nostri perlectum & dignum prælo iudicatum, vt typis mandari possit, facultatē

conce-

concedo per præsentes. In Monasterio Clari-Montis Częstochoviensis. Die 4. Maij. Año. Dñi 1697.

*Fr. Gaspatus Mallechich Ord: S. Pauli Primi Eremitæ Prior Generalis S. Th: D. mp.* (L.S.)

# Secunda Ordinarij Censoris APPROBATIO.

SUfficienti licet examine, Opus hoc, cuius Titulus PABVLUM ANIMÆ CHRISTIANÆ, Sacris Meditationibus ad triplicem perfectionis viam reductis, constans, labore exemplari *Admodum Rndi Patris Chrysostomi Adamovij*, in sacro Ordine D. PAULI primi Eremitæ Ascetæ conscriptum, ac iterum per ADMODVM REVERENDVM PATREM SOTATEVIVM in eodem ordine S. Theologiæ Doctorem ac Provinciæ Polonæ Definitorem auctum, & sua dispositione diebus totius anni applicatum: olim à Perillustri & Admodum Rñdo Domino Francisco Przewoski, S. Th: Doctore & Professore Ecclesiæ Colleg: S. *FLORIANI* ad Crac: Præposito ac per Diœcesim Cracoviensem Librorum Censore lectum & approbatum, quia tamen, iterum Autori opus hoc ad ordinem suum reducenti placuit multis præclaris eandem dispositionem augere & illustrare doctrinis, ideo ne quid eius plenæ desit Censuræ, testor illud à me esse relectum, & vti dignum, vt imprimatur approbatum. Datum in Collegio Maiori, Academiæ Cracoviensis Die 10. Mensis Septembris. Anno Domini. 1703.

*M. Petrus Praclewic, S. Th: Doctor, & Professor, Eccles: Colleg: S. Floriani ad Crac. in Diœcesi Crac: Librorum Censor.*

ORDI-

## ORDINATIO MEDITATIONUM
*Pro Exercitÿs Spiritualibus.*

### PRIMA DIE.
Præliminares Meditationes,



### SECUNDA DIE.
De Peccato.



### TERTIA DIE.
De Novissimis.



### QVARTA DIE.
Jn ordine ad fervorem Spiritûs.



*De fer-*

## OCTAVA DIE.

De mysterijs gloriosis.



## NONA DIE.

De attributis & beneficijs divinis.



## DECIMA DIE.

De amore Dei & gloria cælesti.



hora

hora

Pro menstruis recollectionibus valebunt sequentes Meditationes.



Lecto-

# Lectori Amico.

QVæ sit Meditationis utilitas, jam dudùm non calamus tantùm, sed & ipsa docuit Magistra experientia. Illi, quod scio, Religio nostra colorem, succum, speciemq; omnem refert in acceptum. Illi, alij Sacri Ordines debent, quòd floreant & proficiant. E regione, cur nonnulli regularium conscensis superbiæ præruptis, præcipites labantur in profundum, non alia causa est, quàm defectus Meditationis.

*Meditationis utilitas.*

Præbuerat aliquando mihi confabulationis cum quodam instituti nostri Prælato materiam, licentia alicujus. Vltrò citroq; dum discurrimus, ego, (*inquiebat ille*,) Spiritum Sanctum per os David de Regularibus discolis, & disciplinæ osoribus pronuntiasse reor: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* quod sic interpretatus est. *In labore hominum non sunt*: Non sudant circa culturam agrorum: non mercatorum insomniis curisq; tabescunt: non in pistrinis officinisq; opificum fatigantur: non tædiosis in toga, sagoq; officijs exercentur. Peregisse Sacrificium Missæ (quo accessu & re-

*Otium.*

 cessu,

cessu, quâ devotione, quo conscientiæ tenore, ille novit, cui nihil absconditum) & unam vel aliam precum Canonicarum partem non orâsse, at perfunctoriè percurrisse, tota illis actionum moles: jam se dignos mercede cælesti, insuper & regum honoribus ac convivijs arbitrantur. *Et cum hominibus non flagellabuntur*; si sæculares delinquant, vel in furcam aguntur, vel gladio subiiciuntur, vel rotarum radiis implectuntur, vel in rogo cremantur, vel demum alio supplicij genere contra ipsos animadvertitur: ast spirituales impunè peccant, & ideo efferuntur in superbiam, ideo quasi ex aruina pingui, & quodam adipe eructant verba mortifera: nec his contenti, lethalia exercent opera, & quod deterrimum est, ita indurantur, ut superbam cervicem ad pænitentiam inclinare nolint; monitoresq; suos instar phreneticorum, morsu lacerent. Mirificè delectatus sum expositione: præcipuè cum scirem eam consonare D. Hieronymo, qui eundem versiculum, imò totum illum Psalmum, fermè contra Sabinianum Diaconum, sibiq; similes compositum esse arbitratur.

*Impunitas*

*Mater flagitiorum.*

Ad rem. Quia ergo licentiosi Regulares labore non franguntur, quia timore suppliciorum non frænantur, vacent Medita-

tioni: hæc sola & unica eos frugifacere potest: hâc accedente respicient, tangentq; cicatrices suas, plangent admissos errores: hâc deficiente, imitabuntur eorum vitam, quorum tormenta non metuunt.

*Nisi Meditationi vacent, actū de Religiosis.*

Sunt & delicatuli, qui nihil sibi privatim, multò minùs publicè dici patiuntur: vix monentur, illicò ducunt vultum, & in magistrum suum salutaria exhortationis promentem verba, maledicta retorquent, etiam generalem contra vitia disputationem, in suam trahentes contumeliam, & contra quodcunq; crimen acrioris sermonis mucro dirigatur se peti clamitantes. Hi quoniam à Medicis spiritualibus sua secari vulnera, & quod putridum est, clementi correptionis amputari ferro non sustinent; saltem sibi ipsis Medici fiant: seipsos per sacras curent Meditationes, aliàs de eorum salute actum.

*Delicatulis Meditatio perquā necessaria.*

Nec hoc ideò dico quòd sanctum Religiosorum carpam nomen, & Venerabili Monastico detraham Schemati; sed quòd ut ait Hieronymus ad Nepot. *In omni proposito & in omni gradu & sexu boni & mali reperiantur, malorumq; condemnatio, laus bonorum sit.* Videas in tritico zizania, in medio Lædeorum olorum corvos, in arbustis utilibus stolones, in palmarum ordine amaras myrrhas. Civitatem nunquid

*Sunt mala mixta bonis.*

ſoli probi & honorati incolæ conſtituunt? imò verò etiam mimi, ſcurræ, circulatores, ſcrutarij, laverniones, lænæ lænoneſq;, daniſtæ, aliæq; hujus commatis hominum fæces, urbem omnem quò hæc nobilior eſt, eò frequentiore numero inhabitant. Ipſa natura non in ſolis pulchris, ſed in deformibus quoq; ſuum repoſuit decorem. Unguenta non fiunt abſq; magmatibus, purgatiſſimæ farinæ miſcentur furfures. Ferro, alijſve metallis adhæret ſcoria. Frumentum abſq; acere quis reperiat? Olivæ habent ſuas flaces. Vinum abſq; fæcibus non erit. Inter planetas nonne ſunt etiam naturæ malignantis? Ignis ſerenus, abſq; fumo & fuligine nullus. Mel, ſive illud cæli ſudorem, ſive ſiderum ſalivam, ſive purgantis ſe àëris ſuccum voces; abſq; retrimento non eſt. Deniq; in toto naturæ ordine nihil invenies, quod in claſſe & ſpecie ſua non habeat purgamenta, & aliqua pulchritudinis diſpendia. Ars paritèr ſerenis & nitidis coloribus, nigricantes admiſcet umbras, gratiæ majoris in imagine authrices. Sed & Deus naturæ artiſq; faber, in pulcherrima hac univerſi machina, perfectis imperfecta & defectuoſa permiſcuit opera. Innumeri namq; ſunt in mundo homines (ut de brutis & inanimatis taceam) ſi non

mon-

monstrosi, certè aliquo nævo & defectu scatentes. Cilones, Strabones, pæti, flacci, simi, compernes, balbi atq; atypi; omnes hi, imò quod in stuporem vertit, peccatores juxta divinæ leges providentiæ, ad pulchritudinem spectant universi. Ad illud ista tendunt, ne quis offendatur stylo meo, meq; satyricum in prosa arguat scriptorem, dum infirmiores Regulares, & in ijs meipsum noto; ne item offendatur quis adversum Religiones, si particularia in ipsis interdum advertit desipere nomina.

Redeo ad Meditationem malorum curatricem. Vbinam verô isthæc Philosophia discitur, in quo gymnasio præcepta traduntur Meditandi? Princeps Romanæ eloquentiæ, cui illud datum encomium: *Demosthenes tibi præripuit ne esses primus Orator; tu illi, ne solus*; reprehendendum putat nescio quem, quòd literas Græcas non Athenis, sed Lilibæi: Latinas non Romæ, sed in Sicilia didicerit. Christianus Tullius absq; Athenis nostris, hoc est, absq; Hierosolyma perveniri posse ad fastigia studiorum spiritualium negare videtur. Ego censeo asceteria Religiosa Academias esse, in quibus Meditationis Sacræ discuntur & docentur regulæ. Hîc Magistrorum spiritualium occurrit copia: hîc

*Ad Marcellam.*

*Religiosa domicilia sunt palæstræ Meditationis.*

variæ meditandi proponuntur materiæ: hìc ipſa ſolitudinis & ſilentij commoditas, apprimè ſpirituali ſpeculationi ſuffragatur. Quodſi deſideras, commendem tibi aliquem ex profeſſoribus doctrinæ iſtius, præſtò eſt Chryſoſtomus Adamovius Primus hic fuit, qui in Aſceterio S. Barbaræ Magiſtrũ & Catechiſtam egit tyronum vitæ Regularis. In ſolitudine hac, crebrò ad ſimilitudinem Ioannis in pectore Chriſti quieſcebat, & de eodem arcana bibebat cæleſtia, poſtmodùm ea in ſalutem populi ructaturus. Locus mehercle is, contemplationi, orationibus, ſtudijs ſacris aptiſſimus. Eremum Thebaidis repræſentat, in qua ſolus cum ſolo Deo agere poſſis, & inſtar Pauli, præter Deum ac cæleſtia, noſſe nihil. Bethleem figurat cunis Salvatoris celebrem, quam Ephrata & campos ſylvæ, Propheta nominat. Licet hîc cum Ioſeph & Maria cunas IESU agitare: licet cum Paſtoribus ſtupere ſuper Infante, eumq; arridentibus ſpectare oculis, ac dulcibus baſiare oſculis: libet cum Regibus lachrymis gaudij præſepe conſpergere.

*Nicopolis poſtea dicta Emmaus.*

Refert ſpeciem Nicopoleos, quæ priùs Emmaus vocabatur. Aquas calidas prope Emmauntem fuiſſe Ioſephus Iudæorum Scriptor vernaculus notat. In ſolitudine Emmauntis noſtræ, aquas reperies

calidas. Nec de earum salubri virtute ambige. Innumeri enim sunt, qui vitia animi, vix eas attigerunt, feliciùs quàm Naaman lepram deterserunt: multiplices pravitatis rugas efficaciùs quàm Iason deposuerunt; veterem hominem cum actibus suis in novum velut in quodam Iordane regenerati, demerserunt. Prosilit fons in Emmauntis agro: ubi dum Salvator ex itinere pedes lavat, virtutem medicam ad sanandos morbos concessit aquæ, Fontem habet & locus iste, eumq; crebro prodigio variorum medicatorem languorum: quam gratiam ex Salvatoris, suæq; Genitricis in tabula Nazarethana depictorum attactu, inter abluendi officia hausit. Sed & nomen ipsum optimè congruit. Emmaus enim vertitur *in consilium Matris*, vel si mavis, *in timentem consilium*. Hîc autem non pauci panico perculsi timore ad Christi sequenda consilia, fidem suam renuunt obstringere: repetuntque inter ipsa Religiosæ vitæ incunabula seculum, non multò post pænitentes facti, & ob amissum Monachum, & ob mundum haud æquiorem inventum. Hem, quo me loci Sacra vis, & gratia rara abripuit. In hac ergo Thebaide meus Chrysostomus subsecivis ab oratione horis, non storeas, aut canistra ex lentis texebat vimini-

*Baron: Tom: 1.*

bus, sed præceptiones salutares meditationesq; compilabat & componebat.

In hac Carpophora Bethleemitica regione uberrimam inhians animarum messem continuò in cultura animorum desudabat: In hac Emmaunte copiosiùs quot diebus in fractione panis cognoscebat IESUM; ipseq; parvulis petentibus quotidianam sacræ Meditationis dispensabat annonam: priùs tamen â maculis nævisq; mundanis in lavacro Pænitentiæ lotos volebat. Hic Directoria, hic Elementaria, seu Abecedaria Religiosæ perfectionis, veriùs absolutissimas Regularium institutiones, quæ in Tabulario Clari Montis asservantur, cõscripsit. Hic Meditationes hasce congessit, & consignavit: totus semper in angello cum libello.

Accessit ad labores ejus opella mea in augendo, & pro singulis anni diebus, singulas assignando Meditationes. In qua auctione, non diserta, sed fortia curabam loqui, Rethoricas ambages, longaq; exorsa amovendo; ut nequeas hîc invenire verborum lenocinia, sententiarum flosculos, & per fines periodorum acuta quædam, breviterq; conclusa: hæc enim non Meditationi famulantur, sed admirationi; nec planctum & devotionem, sed plausum & clamorem excitant audientium.

*S. Thomæ Doctrina saxanimorum.*

Sancti Thomæ Doctoris Angelici crebrius

brius immiſcui doctrinam, hæc enim non modò erudit intellectum, verùm etiam commovet, inflammátq; voluntatem. Experieris, ſi ſedulò & cum maſticatione S. Doctorem legas. Planè liquet, Aquinatem quæ ſcripſit, Spiritu S. dictante ſcripſiſſe: aliàs eximia vis & vita quædam literis ejus non ineſſet. Hinc eſt, quòd legendo articulos ejus, multi ad fidem converſi, multi â peccatis ad Deum reverſi. Hic ille eſt Angelus ſtans in ſole Chriſto, & lumine cæleſtis ſapientiæ circumfuſus. Hic eſt oliva & candelabrum Eccleſiæ: pinguedinem ex moribus, lucem ex doctrina miniſtrans. Credas Prophetam, cui datus calamus ſimilis virgæ. Calamus contingit multis, ſed non ſolidus. Taceo de Pöëtis, Rhetoribus, ac Philoſophis gentilibus, quorum libri, quia fucato ſermone ac verbis cavis, & in modum veſicarum tumentibus, ut plurimùm mendacia, fabellas, ac ingenioſa commenta tegunt, inani prorſùs calamo conſcripti ſunt. Etiam Eccleſiaſticorum Scriptorum non pauci ſunt, quorum Tractatus inaniarum pleni, & præter argutias, externiq; ſplendorem eloquij; præter Euripos, Niloſq; excurſionum, nihil ſolidæ doctrinæ ac pietatis continent, Nihil in illis Dialecticum, nihil virile, atq; diſtrictum, quod lectorem

*S. Thomas*

*Apoc: 11.*

vel

vel ingratis in aſſenſum trahat : ſed totum flaccidum , molle nitidum, atq; formoſum , & exquiſitis hinc inde odoribus pigmentatum ; vt proinde calamus illorum , non virgæ , ſed arundini foris viridanti, intùs vacuæ ſimilis ſit. At verò Angelico Doctori datus calamus inſtar virgæ. Quid enim in operibus ejus inane , quid tumidum? quid quod jactantiam ſapiat : aut erroris vel fictionis ſuſpicionem pariat? omnem diſputationem ſuam ad Scripturarum, & Sanctorum Patrum refert authoritatem , vt hinc erubeſcant , qui viribus ingenij ſui nituntur : finguntq; opiniones quas volunt , & quomodo volunt, ad ſenſum ſuum Scripturam trahentes repugnantem. Diſcordantes Patrum Sententias ita conciliat , ut nihil à ſeipſis receſſiſſe videantur : obſcura teſtimonia ſic elucidat, ut ſole clariora appareant. Sic ſua firmat probatq; , ut nemo poſſit infringere : ſic aliena ſolvit , ut locus contradictioni non relinquatur. Paulini ingenium in rebus politicis luxurians , & necdum in Scripturis tritum diſerto extollens præconio Hieronymus, Magiſtrũq; ſe eidem offerens ait : *O ſi mihi liceret iſtiuſmodi ingenium non per Aonios montes, & Heliconis vertices uti Poëtæ canunt , ſed per Sion & Itabyrium, & ſina excelſa ducere! ſi con-*

*si contingeret docere quæ didicimus, & quasi per manus mysteria tradere Scripturarum : nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet.* Sub Magisterio ejusdem D. Hieronymi, aliorumq; SS. Patrum, imò sub disciplina & directione ipsius Spiritûs S. tantùm profecit Thomas, ut eo non Græcia solùm, sed Orbis universus doctius non habeat ingenium. Hunc ergo si quid in me consilij, cuivis Catechistæ, Prædicatori, Expositori, Divinæ legis meditatori assiduè manibus tenendū suadeo. Pede curret inoffenso, quisquis hoc duce usus fuerit.

E regione qui se ad pulpitum sacrarum literarum absq; Thoma collocaverit, data operâ hallucinari volet. Atq; inde est quod totam struem & materiam Meditationum fundamento doctrinæ ipsius stabilitam volui : non enim ignoro plures de divinis meditantes in errorem lapsos esse, ( ut in vitis Patrum videre est) qui proprio fidentes capiti, absq; ductore & magistro, viam meditandi ingressi sunt. Sacri nominis Doctor protestatur se in divinis voluminibus, proprijs viribus nunquam credidisse nec habuisse opinionem suam, sed ea etiam de quibus se scire arbitrabatur, interrogare solitum ; quantò magis de ijs, super quibus anceps erat. Hoc ideò adduxi, ut quicunq; divina meditatur, & Sacras Scripturas retractat, San-

*In Præf. ad lib: Paralipon:*

ctorum Patrum insistat tramiti, præcipuè D. Thomæ, cujus doctrina, ore divino probata est. Ad intellectum in fide, ac institutionibus Christianis erudiendum firmandumq; pertinent dogmata: ad accendendam voluntatem roborandamq; tesseræ ordinantur, quas singulis hebdomadis materiæ meditationum congruentes annexui. Earum ut apud priscos Eremicolas, ita & nunc apud Religiosos frequentissimus usus. Quot diebus, quot horis, quot quadrantibus piæ & Deo plenæ animæ eas frequentant, ut earum usu, magis ac magis in spiritu proficiant, & cum Deo suo arctiùs atq; arctiùs conjungantur. Sunt hæ velut sagittæ, quas è pharetra cordis nostri ad cælos mittimus, non injuriâ sed religione. Sunt velut scintillæ è pectore nostro emicantes, & incendium amoris divini excitantes. Sunt velut pulsus cordis, vitam indicantes animæ. Grana dixeris frumenti, ex quibus panis animæ conficitur. Dic rudes ac minutas auri particulas, ex quibus, artifice Spiritu sancto, monile mysticum ad ornatum nostrum compingitur. Si prolixam orationem, vel temporis angustia, vel corporis imbecillitas prohibet: has breviusculas, nihil est quod impediat. Sive foris, sive domi maneas: sive solus, sive comitatus sis: sive in otio, sive in negotio verseris;

*Ejaculatoriæ orationes.*

nunquam deerit facultas ejaculatorios ad Deum affectus evibrandi.

Conformitèr ad Ecclesiæ ordinem distribuuntur hoc in opere meditationes triplici perfectionis viæ servientes. Ecclesia enim ab Adventu Domini illuminat nos, proponendo Mysteria Conceptionis, Nativitatis, Vitæ & Passionis Domini: â Paschate, viam Vnitivam exhibet, gloriam Christi repræsentans, Deum & Dei beneficia recolens: post Octavas SS. Corporis Christi, purgat nos per lectiones Evangeliorum de peccatis, de Novissimis, & quæ istiusmodi sunt. Ergo age mi Lector, si Author non displicet sectare docentem. *Totum quod legimus in Scripturis, nitet quidem & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est.* *Hierom:* Medullam tibi proponit Chrysostomus, salivam para; nucleum offert, materiam nimirum meditandi piis enucleatam considerationibus; tuum est non subtrahere gustum: nisi fortè peregrinas merces appetis, & extraneorum te condimentorum alliamenta magis delectant. Sed crede mihi, si PABVLO hoc, quantumvis domestico crebriùs animam tuam saginaveris, sicut adipe & pinguedine replebitur. Ne verò nausea tibi contingat, si non omnia nova reperis, præmoneo:

*Nota leges quædam, sed limâ rasa recenti*
*Pars nova maior erit; Lector utriq; fave.* *Mart: l. 9 Ep: 2.*

# Prolusio Authoris,

ANtequam ad ipsas accedamus Meditationes, oportet prius nonulla *De Natura, Divisione, Materia, Affectibus, Forma, Fine, Causa, Tempore, Loco, Situ corporis, Duratione, Partibus & Integritate Meditationis, demum de ijs quæ ante, intra, & post Meditationem servanda sunt præmittere.*

*Quantùm igitur ad naturam Meditationis attinet:*

Meditatio est affectuosa & pia divinarum rerum, quæ hominem ad laudandum Deum, & virtutes Christi, Sanctorumq; sectandas ad bonum amplectendum, & malum fugiendum provocet, consideratio.

*Quantùm ad Divisionem*, dividitur tripliciter: in Piam cogitationem, Meditationem & Contemplationem.

Pia cogitatio, est momentanea mentis ad Deum ex aliqua creatura, vel loco Scripturæ Sacræ, vel factis aut dictis Sanctorum, vel obvijs alijs occasionibus cum pio affectu conversio Meditatio est (si prior non placet descriptio) attenta & solicita rei cujusq; per causas, effectus, proprietates, aliasq; circumstantias in ordine ad

ne ad æternam salutem consideratio.

Contemplatio est simplex Dei & rerum divinarum sinè discursibus inspectio.

*Quantùm ad Materiam*: hæc juxta tres perfectionis vias, est triplex. Via Purgativa habet pro materia finem ultimum, peccata, miserias humanas, quatuor novissima, aliaq; motiva contritionis. Via Illuminativa, Vitam Christi, cujuslibet Sancti, necnon virtutes. Via Unitiva, habet gloriosa Christi mysteria, & Beatissimæ Virginis, attributa divina, beneficia in præsenti nobis oblata, aut in futuro promissa.

*Quantùm ad affectus.* Hi itidem juxta tres vias sunt triplices. Viæ Purgativæ sunt: displicentia, dolor, detestatio, horror peccati timor justitiæ & judiciorum Dei, inferni, purgatorij: confusio, contemptus, pudor sui & alij multi. Viæ Illuminativæ sunt: desiderium efficax virtutum, gratiarum actio, oblatio, propositum, imitatio, gratiæ petitio &c. Viæ Unitivæ sunt: admiratio, laus, gratiarum actio, amor, timor filialis, resignatio, & alij plurimi, quos ipse Spiritus Sanctus meditantes edocebit.

*Affectus spectant ad materiam meditationis quia complent eandem & perficiunt ideoq; post descriptam materiam meditandi convenienti ordine assignantur affectus.*

*Quantùm ad Formam*: Forma meditationis est, ut sit attenta, solicita, cunctabunda cogitatio. Dicitur *Cunctabunda* ad

*da* ad differentiam piæ cogitationis quæ potest in momento fieri. Dicitur *sollicita* ad differentiam contemplationis, quæ facilè fit, quia sine magno labore & longo discursu. Dicitur *attenta* ad indicandum quia meditatio debet diligenter cuiusq; naturam rei, causas, effectus, actionem & proprietates indagare.

*Quantùm ad Causam efficientem.* Causa efficiens meditationis est Deus & homo: Deus gratiâ suâ præveniens & illuminans memoriam & intellectum voluntatemq; hominis: homo per easdem potentias divino præsidio munitus, gratiæ cooperans.

*Quoad Finem.* Finis est triplex: immediatus, meditatus, & vltimus. Immediatus est clarior cognitio Dei, Christi Domini, & sui ipsius. Mediatus, sunt actus externi & interni virtutum juxta propositum & in meditatione concepta exercendi. Ultimus, est sublatio imperfectionum, reformatio sensuum, acquisitio solidarum virtutum, & vnio cum Domino DEO.

*Quantùm ad Tempus.* Nocturnum tempus est aptissimum meditationi postquam tantúm qnis dormivit quantùm ad caput liberum sufficiat. Quanquam & in die possit fieri meditatio præcipuè vbi silentium observatur.

*Quan-*

*Quantùm ad locum.* Hic debet esse quietus. Unde excreationes violentæ, respirationes fortes, mussitationes, discursus, strepitus, & alia huiusmodi debent exesse in loco meditationis.

*Quantùm ad situm corporis.* Situs debet esse reverentialiter compositus; vt nihil offendat, Deum quem præsentem habemus. vnde oportet flectere poplites (nisi infirmitas vel debilitas excuset) caput quietum & apertum habere: manus vt plurimùm iunctas: oculos demissos. Omnes irreverentiæ & commoditatis species: vt sedere, fulcire se cubitis, iacere in scamnis vitari debent. Constat namq; certissimâ experientiâ, eum, qui in meditatione non necessarias quærit commoditates, parvum aut nullum fructum ex ea reportare.

*Quantùm ad durationem.* Jlla erit Meditatio fructuosior quæ polixior ordinariè vna hora per diem meditationi assignanda.

*Quantùm ad partes.* Istæ sunt tres: Præludia, Consideratio, seu trutinatio punctorum, & colloquium seu petitio.

*Quantùm ad integritatem.* Totum Meditationis Corpus consistit in exercitatione trium animæ potentiarum: memoriæ, intellectûs & voluntatis: Memoria

materiam proponit: intellectus, materiæ â memoria subministratæ causas. effectus porprietates aliasq; circumstanjias disquirit: voluntas excitata & inflammata ex rationibus ab intellectu disquisitis affectus varios elicit. His itaq; præmissis ad observanda in ipsa praxi accedamus.

*De observandis ante Meditationem.*

*Præparatio ad meditandum duplex.*

ANte meditationem hoc potissimùm observandum est, vt mens ad tam Sanctum opus convenientèr præparetur: quod duplicitèr fieri potest: proxmè & remotè. Remota præparatio consistit in intribus. Primò in remotione impedimẽtorum quæ sunt: cor gravibus peccatis onuste: solicitudo de futuris contingẽtibus evagatio mentis. Secundò inscientia eorũ quæ ad meditandũ requiruntur, vti sunt: praxis meditandi, notitia affectuum & aliorum superiùs recensitorũ. Tertiò in procuranda corporis bona dispositione: hoc est vt vires corporis nec excessu intemperantiæ obruantur, nec nimijs vigilijs, jeiunijs, laboribus debilitentur & enerventur. Propinqu præparatitio consistit itidem in tribus. Primò in materia attentè prævidenda, atq; in cerrta puncta distribuenda. Secundò, in recollectione in-

*Romota.*

telle-

tellectûs & phantasiæ immediatè ante meditationem procuranda. Tertiò, in voluntate & devotione excitanda.

## *De observandis in ipsa meditatione.*

HAbitâ præparatâ materiâ meditans sistat se in primis in viva fide cum magna humilitate,& devotione, atq; reverentia in conspectu Dei. Secundò, petat gratiam ritè meditandi recitando devotè vel collectã: *Actiones nostras:* vel: *Veni Sancte Spiritus.* vel aliqua interna suspiria præmendo ex Psalmis aut Orationibus v. g. *Domine da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, &c.* Domine qui es via veritas & vita; sinè quo nemo venit ad Patrem, eia illumina me, doce me iustificationes tuas. Non nulli laudabilitèr satìs consueverunt Beatissimam Virginem, Angelum Tutelarem, aliosq; Sanctos, adiutores meditationis adhibere. Tertiò, formet breviter præludia, circa quæ observa. præludia varia pro varietate meditationum solere formari. Jn meditationibus de materia historica vt plurimùm tria adhibentur. Jn primo solet fieri rememoratio historiæ: in secundo imaginatio loci, personarum. in tertio petitio

*Præludia.*

gratiæ. Jn meditationibus de alijs materijs duo communiter adhibentur prælu-dia. Unum quod accommodatam rei imaginationem contineat: alterum quod petitionem gratiæ convenientis complectatur. Finitis sic præludijs incipiat meditans punctum 1mum accuratiùs expendere, & idoneas rationes inquirere, quibus voluntas ad pios affectus eliciendos, & proposita excitetur, quod vbi peregerit per reliqua puncta simili modo procedet.

*Circumstantiæ iuvant meditantem.*

*Observa 1mo.* Ad faciliùs & vberiùs discurrendum plurimùm prodesse examinare & expendere rem per circumstantias sequentes: Quis, quid cur, quomodo, quando: quis fructus, vbi, pro quibus, à quibus, &c. Non est autem necesse circumstantias istas omnes semper expendere: sufficit aliquas magis congruentes.

*Observa 2do.* Ad vitandam confusionem in discursu plurimùm prodesse certum aliquem ordinem servare in disquirendis istis circumstantijs. v. g. expendere inprimis personas ipsas, deinde verba si quæ se offerant. 3tio factá. 4to qua de causa. 5to quomodo, &c. referendo omnia ad pium voluntatis affectum excitandum.

*Observa 3tio.* Prodesse ad discursum formandum affectumq; continuandum habere in promptu Sententias Patrum, simili-

litudi-

litudines, dissimilitudines comparationes à maiori, minori, pari. Item antecedentia, concomitantia, & subsequentia v. g. quæ incommoda peccatum mortale: vel contra quæ commoda virtutem præcedant, comitentur, subsequantur, aut quid boni vel mali ex his provenerit nobis olim, nunc proveniat: in vita reliqua in morte vel in altera vita proventurum sit. 5to. Formatis sic discursibus per intellectum conetur meditans ex ipsis non tam subtiles quàm pios in voluntate sua excitare affectus, illosq; tam diu prolonget, donec per ardentia desideria sibi satis fecerit.

## *De Observandis circa affectus & proposita.*

OBserva 1mo. circa affectus. Quod licet certi certis vijs assignentur, vti supra vidimus, tamen sunt magis vsitati & penè omni materiæ conveniunt qui illo disticho exprimuntur.

*Crede Deo, spera, time, ama, mirator & esto*
*Gratus, gaudeto, geme, luge imitator honestũ.*

*Observa 2do.* Pro dilatione & continuatione horum affectuum: quod tribus modis secundùm tres temporis differentias, nimirum præsens, præteritum & futurum

exerceri & dilatari possunt. Quo ad præsens dilatari possunt his quinque desiderijs, seu suspirijs. Primò, admirando, agnoscendo, & confitendo nostram insufficientiam, quo ad intellectum & affectum in illis prout par est eliciendis. Secundò, exercendo tamen illos pro modulo nostro tenui, perfectissimoq; exercere desiderando, hoc est, pura intentione. Tertiò, desiderando eos exercere affectu omnium creaturarum si id fieri posset. Quartò, offerendo Deo simile actus excellentissimosChristi Domini, Beatissimæ, Angelorum & omnium Sanctorum. Quintò optando ut idem nobiscum omnes viatores pro mensura gratiæ præstent. Simili modo quo ad præteritum & futurum ijdem affectus dilatari possunt.

*Affectus suavitèr exercendi.*

*Observa 3tio.* Affectus non coactè, nec extorsivè, sed discretè & suavitèr, nec semper omnes, sed nunc hos, nunc illos, nunc quo ad præsens tempus, nunc quo ad præteritum, nunc quo ad futurum exercendos, idq; maximè ariditatis tempore. Nam tempore consolationis sequendus est ductus, & impulsus S. Spiritûs. Excitatis sic in voluntate affectibus concipienda sunt proposita practica suo tempore & modo ad opus deducenda. Et hæc proposita practica sunt præcipuus fructus medita-

*Tempore consolationis sequendus ductus S. Spiritûs.*

ditationis sinè quibus in vanum meditamur. Præstat enim leviter intellectu discurrere voluntateq; parùm affici, & multùm proponere, executioniq; mandare, quàm superabundanti consolatione in meditatione deliniri, & post meditationem facere nihil.

*Circa proposita observa.* Proposita non circa res extraordinarias arduas & exoticas versari debere sed circa res quotidianas & obvias quæ facilè in praxim redigi possunt; cuiusmodi sunt: extirpatio vitiorum, mortificatio passionum, exacta functionum ordinariarum executio. Conceptis & formatis propositis practicis subijcienda sunt non solùm in fine meditationis (vbi præcipuus eorum locus) sed si placet etiam post quodlibet punctum colloquia inquibus bona nostra desideria & proposita, vel Deo, vel Beatissimæ, vel Sanctis humilitèr commēdanda; gratiaq; necessaria illa exequēdi obnixè postulāda.

*Colloquia.*

*Quæres 1mo.* Quomodo se debet gerere is, qui in principio magnam sentit difficultatem in recollectione sui.

℞. Humiliet se & Dominum Deum precetur, vt sibi gratiam juxta suum beneplacitum præstare dignetur.

*Quæres 2do.* Quid faciendum quandò capitis dolore laboramus?

℟. Suavitèr tunc & brevitèr meditandum, nec tanta applicatione intendendum, quanta dum caput rectè sibi constat.

*Quæres 3tio.* Quid faciendum quandò à somno meditans opprimitur?

℟. Diversa posse adhiberi remedia: vel compungere carnem, vel nudis genibus flectere: vel aliquot cordis suspiria ad Deum elicere.

*Quæres 4to.* Quid faciendum tempore distractionis?

℟. Vel distractiones proveniunt ex debilitate phantasiæ, vel debilitate nostra, vel ex tentatione dæmonis. Si ex infirmitate phantasiæ, procuranda est corporis bona dispositio: si ex negligentia nostra, fervor assumendus.

*Quæres 5to.* Quid faciendum tempore ariditatis?

℟. Si ariditas oritur ex nostra superbia, humiliemus nos, & indignos omni consolatione reputemus: si ex immissione divina? resignemus nos ad ariditatem illam totâ etiam vitâ proferendam: si ex indispositione corporis, offeramus Divinæ Maiestati desideria, & actus Christi Domini, Beatissimæ & Omnium Sanctorũ.

*Quæres 6to.* Quid faciendum quando voluntas ad nullum affectum excitatur?

℟. Si post longum tempus non excitetur,

tur, tum aliud punctum erga quod magis anima afficitur assumendum: vel ad alios meditationis affectus progrediendum?

*Quæres 7mo.* Quid faciendum quando meditans tempus meditationis propè effluxisse animadvertit & nihil penitus, vel obnegligentiam, vel distractiones, vel obaliam quamcunq; causam meditatus est?

℞. Tunc aliquot intensos virtutum actus videlicet contritionis, humilitatis, amoris eum elicere debere, amissi temporis iacturam hoc pacto resarciendo.

### *Pro complemento prolegomenorum sit quod inferam.*

VLtra praxim & materiam meditandi in hoc opere comprehensam potest quivis secundùm beneplacitum suum assumere ad meditandum vel Orationem Dominicam, articulos eius, diligentèr & attentè discutiendo, & identidem in affectus, obvios prorumpendo: vel Salutationem Angelicam: vel Psalmum, aut Hymnũ aliquem vel tesseram, aut sententiam, ex Evangelio, aut alia scriptura petitam sive ad laudem Dei, sive ad mores instituendos servientem. Et quia JESUS Christus Dominus noster, est fons vitæ æternæ, principium & finis noster: Cre-

ator, & restaurator; Redemptor, Salvator generis humani: circa ipsum omnes vires animæ & corporis occupare debemus, in idq; niti, vt nihil nos aliud scire arbitremur, nisi IESUM & hunc Crucifixum. Proinde vltra ordinarias meditationes, horis subsecivis, salutare erit & maximè meritorium meditari de Christo Crucifixo: vel membra eius contemplando adiectâ contemplationi gratiarum actione, oblatione, petitione, adiectis etiam actibus virtutum Theologicarum: vel 8. Beatitudines in Crucifixo expendendo: vel 4. Virtutes Cardinales, in 4. partibus Crucis: In summo iustitiam: in profundo fortitudinem: in dextra parte prudentiam: in sinistra temperantiam: In super cuiusvis Dominicæ diei Evangelium, per annum occurrens abundantem materiam ad meditandum de Christo Crucifixo suggerere valet. E: g: Evangelium Dominicæ sequentis recitat parabolam de rege, qui voluit rationem ponere cum servis suis & oblatus est ei vnus debitor Decem Millium talentorum. Hinc forma meditationem: quis iste Rex? IESUS in Cruce velut in solio, aut throno iudiciario recumbens. Verè Rex! ecce enim & causa ipsius scripta regem ipsum ostendit: JESUS NAZARENUS, REX

JUDÆ-

JUDÆORUM! Verè Rex Cæli & terræ! Adoro te regem meum, tibi servitutiq; tuæ me totum devoveo. Tu me rege, Tu animam, Tu corpus meum, &c. Iudicium facit in Cruce, vt principem mundi foras eijciat: ut Chirographum eius cruci affigat, & nos debitores absolvat. Quis verò iste vnus Decem Millium talentorum debitor? Ego ille præceptorum Dei transgressor, pro singulis præceptis singula mille talenta pænarum infernalium teneor exolvere. Quid dabo? quomodò exolvam? O Christe JESU, o Rex gloriæ, tu ipse exolvas iustitiæ tuæ pro me. Unica gutta Sanguinis tui sufficit pro tot millibus talentorum. Offero: suscipe. In hunc modum formari possunt ex quocunq; Evangelio de JESU Crucifixo meditationes & contēplationes.

Et hæc quidem ego pro mea devotione & luci Spiritualis affectu proposui. Cæterùm Spiritus S. Magister increatus, qui nos docet omnem veitatem, aderit invocatus vnicuiq; & vnum quemq; cœlestia meditari parantem instruet, illuminabit, accendet.

MEDI-

# MEDITATIONES,

## Pro via Illuminativa.

MEditationes quæ ad viam illuminativam pertinent, versantur circa vitæ Christi Domini Nostri, mysteria ab Incarnatione vsq; ad mortem eius. Et quoniam Vita Christi eo motivo nobis ad meditandum proponitur, ut ex illa humilitatem, patientiam, aliasq; eius heroicas Virtutes hauriamus; ideo curandum est, vt fini huic totis viribus & intimo charitatis affectu respondeamus. Sicut autem omnium mirabilium operum DEI mirabilissimum est Incarnati natiq; ex Virgine Æterni VERBI SACRAMENTUM; sic conveniens est, ut ab omnibus veris Ecclesiæ filijs & præcipuè Religiosis diligentèr & devotè recolatur. Non erit absq; remuneratione devotio. Nam quemadmodum ipse Filius DEI factus pro nobis infans accomodatum infantibus cibum lac, & mel, juxta Isaiæ vaticinium sumpsit: ita eius Incarnationis & infantiæ meditatores quanquam omnes, tyrones tamen præcipuè, & qui prætextam Religiosæ Vitæ necdum deposuerunt abundantiùs Divinarum consolationum lacte & melle satiantur, tali

dulce-

dulcedine à terrenis ablactandi, & ad virtutum Christi imitationem excitandi. Ad quod vtrumq; conferent multum sequentes Meditationes, si attentè expendantur, affectus in illis insinuatis eliciantur, piaq; proposita & formentur & in praxim reducantur.

---

## MEDITATIONES.
### De Incarnatione Verbi,
*In ordine ad varias virtutes adipiscendas.*

## PRO DOMINICA I. ADVENTUS.
### *De æterno Decreto Incarnationis Filij DEI.*

P*Ræludium 1mum.* Propone menti tuæ Deum Trinum & Unum ad restaurationem hominum perditorum opus Incarnationis decernentem.

*Præludium 2dum.* Pete gratiam fructuosè meditandi & affectus congruos circa hanc materiam eliciendi.

*Punctum 1mum. Respicite & levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* Appropinquavit primùm tunc redemptio nostra quando Filius Dei pro nobis Incarnatus est. *Lucæ 21.*

*Consi-*

*Considera 1mo.* DEUS Vnus & Trinus, decrevit ab æterno duas Creaturas, Angelicam & humanam, ad cælestem beatitudinem condere eisq; ad hunc finem consequendum suavia & efficacia & proportionata media præordinare.

*Considera 2do.* Prævidens Deus vtriusq; prædictæ Creaturæ ex propria liberi arbitrij electione lapsum, ab æterno constituit in Angelos suæ rigorem exercere justitiæ, erga homines verò ostendere superabundantiam misericordiæ, eosq; per Incarnationem Filij sui à peccato & servitute diabolica redimere. O bonitas! ô Charitas.

*Punctum 2dum.* Deum incarnari non fuit absolutè necessarium ad reparationem generis humani. Deus enim per suam Omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare; isto tamen modo reparetioni nostræ convenientior alius dari non potuit. *Non defuit Deo, cuius potestati omnia æqualiter subiacent, alius modus possibilis, d sanandæ miseriæ nostræ alius conuenientior modus non fuit.* ait *S. Augustinu li. de Trinitate cap. 10.* Considera hîc apientiam, Potentiam, Bonitatem Dei, quòd tam admirabilem, tam excellentem, tam convenientem nobis assumpserit modum ad

nos

nos redimendos. Gratiarum actio, Amor. Virtus in qua te per Septimanam exerceas, *Fides.* Tessera aliqua ex sequentibus.

*Domine Deus meus es tu exaltabo te & confitebor Nomini Tuo, quoniam fecisti mirabilia cogitationes antiquas fideles, Amen.* — *Isaiæ 5.*

*Credo quid quid dixisti DEI Filius:*
*Verbo veritatis nihil veriùs.* — *S. Thomas*

*Fac Domine, Domine virtus salutis meæ ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* — *S. Aug: in Medit.*

## PRO FERIA II.

### *De convenientia & vtilitatibus Incarnationis Divinæ.*

PUnctum 1mum. Cùm Deus ex natura sua sit summa infinita & essentialis bonitas, conveniens illi est vt se summo modo creaturæ communicet; quia omne bonum, est sui communicativum summa veró communicatio Dei ad Creaturam fit per hoc quòd Deus naturam creatam sic sibi coniungit, ut vna Persona fiat ex tribus. Scilicet, *Ex Verbo, Anima & Carne, sicut dicit* Aug: lib: 13. de Trin.

Deinde nihil convenientiùs quàm ut per visibilia monstrentur invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Jám verò sicut Damascenus di-

cit,

*Lib: 3. Orthodoxæ fidei c. 1.*

cit, per Incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas & ſapientia & iuſtitia & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem. Iuſtitia verò quoniam homine victo non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, neq; vi eripuit ex morte hominem. Sapientia verò quoniam invenit difficilem pretij decentiſſimam ſolutionem. Potentia verò ſive virtus infinita quia nihil eſt maius quàm Deum fieri hominem. Contēplare hoc in Chriſto.

*Incarnatio Dominica dupliciter utilis homini, videlicet promovendo ipſum in bonum & removendo à malo.*

*Punctum 2dum.* Duplex eſt vtilitas Incarnationis Dominicæ reſpectu hominis videlicet promotio hominis ad bonum & remotio eiuſdem à malo. Primam vtilitatem multimodè conſequimur. *1mo.* Quia per Incarnationem Domini, fides noſtra roboratur & certificatur. Nam ipſi Deo loquenti firmiùs & certiùs credimus, quàm hominibus Nomine DEI loquentibus, *2do.* Quia per eam ſpes noſtra erigitur. Quis enim non ſperet ſalutem? ſi conſideret Deum factum eſſe Hominem vt homines ſalvos faceret. *3tio.* Charitas per eam in nobis excitatur. quis enim non redamabit tantopere nos amantem Deum? *4to.* Recte operationis nobis exemplum præbetur. *Quem ſequeretur homo, Deus factus eſt homo. S. Aug.* *5to.* Plena

parti-

participatio Divinitatis, quæ eſt beatitudo noſtra & finis vltimus, per eam nobis confertur. *Factus eſt homo DEUS, vt homo fieret DEUS.* Elice actus Fidei, Spei, & Charitatis, propone ferventèr bona opera exercere.

*S. Auguſt. in ſerm: de Nativ: Domini.*

## PRO FERIA III.

### *Continuatio præcedentis meditationis.*

PUnctum vnicum. Multifariàm quoq; removemur à malo per Incarnationem. *1mo.* Quia per eam inſtruimur ne diabolum nobis præponamus & ne eum veneremur qui eſt auctor peccandi. Unde S. Aug: dicit. *Quandoquidem ſic potuit Deo coniungi natura humana vt fieret vna Perſona: Superbi illi maligni Spiritus non audeant ſe homini præferre, ideo quia carnem non habent.* *2do.* Cùm tanta ſit dignitas naturæ humanæ, monemur ne eam peccando inquinemus. *Agnoſce ô Chriſtiane dignitatem tuam,* ait Leo Papa. *Et Divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* *3tio.* Præſumptio à nobis amputatur, quando benignitas DEI non ex operibus noſtris, non ex vllis meritis noſtris, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos per Chriſtum fecit. *4to* Superbia, quæ maxi-

*Incarnatio removet à nobis cultum dæmonum.*

*de Trinit: lib: 13.*

*Peccatum quodv is.*

*Præſumptionem.*

*Superbiã.*

maximo impedimento est ne Deo inhæreamus, per tantam Dei humilitatem redarguitur & sanatur in nobis. *5to.* A servitute peccati liberamur: sunt & aliæ plurimæ vtilitates quæ consecutæ sunt Incarnationem supra apprehensionem sensûs humani. Gratias age Beatissimæ Trinitati pro hoc mysterio omnibusq; utilitatibus eius: propone animam & corpus diligentèr custodire, ne aliquo peccato ea inquines. Tessera, vt supra.

*Servitutem peccati.*

## PRO FERIA IV.

### *De generali motivo Incarnationis, quod est Dei gloria.*

PUnctum vnicum. Generalis finis, ut aliarum rerum, ita & mysterij Incarnationis est gloria Dei, quæ vel maximè ex opere Incarnationis resultat. *1mo.* Quidem ideò, quia hoc mysterium est, quo maius aliquid à tota potentia Divina nec fieri potest, nec æquale vnquam factum est aut fiet. In eo enim Natura humana in Christo ad naturalem Filiationem Dei evehitur, quo quid admirabiliùs? quid Diviniùs concipi potest? *2do.* Ideò quia cum Deus sit infinitè laudabilis & honorabilis, debito & condigno honore à pura creatura coli nequit, sed à solo Christo Deo simul & homine con-

dignè glorificari poteſt. *3tio.* Jdeò quia in hoc myſterio elucent clariſſimé perfeɛtiones Dei, & Sapientia quæ admirabile medium genus humanum redimendi & liberandi adinvenit: Charitas quæ Filium Dei pro inimicis dedit: miſericordia nobis indulgens: Iuſtitia Chriſto non parcens. Verè in hoc myſterio miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Sit ergò Nomen Domini Benedictum, pro tali tantoq; beneficio. Teſſera, vt ſupra.

## PRO FERIA V.

### *De peculiari motivo Incarnationis, quod eſt hominum redemptio & â peccatis liberatio.*

PUnctum 1mum. Peculiaris cauſa Incarnationis fuit peccatum. vnde Aug: ex illo Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat, infert. Ergo ſi homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet.* Et ſuper illud 1. ad Timomotheum: *Chriſtus venit in hunc mundum, vt peccatores ſalvos faceret*, dicit Gloſſa: *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.*

Punctum 2dum. IESU: *Erravi ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum.* Adventûs

tûs tui cauſa ego ſum Domine. Expende bonitatem Dei, qui nulla aliá ex cauſa deſcendere de cælo, & incarnari voluit, niſi ut te à peccato & à pænis conſequentibus peccatum liberaret. Pænæ autem hæ ſunt: Ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, variæ corporis miſeriæ & morbì, morſq; ipſa, demùm amiſſio juris ad æternam gloriam, & incurſio reatûs ad ſupplicia æterna. Age gratias Divinæ Maieſtati, & propone peccatum ſuper omnia mala vitare. Teſſera ut ſupra.

*Pænæ peccati.*

## PRO FERIA VI.

### *De alijs motivis Incarnationis, quæ ſunt instructio hominum, & Institutio Sacramentorum.*

PUnctum imum. *Multa alia cogitanda ſunt in Incarnatione Christi, præter abſolutionem à peccato*: ut ait D. Aug. 13. de Trinitate. Sed tamen omnes aliæ cauſæ Incarnationis reducuntur ad remedium peccati. Cauſa ergo Incarnationis ſecundaria, & remedium peccati, pertinens fuit inſtitutio hominum; ut nos verbo & exemplo inſtrueret Salvator, quid agere, quid fugere deberemus. Cæcum fuit genus humanum: neceſſe ergo fuit lucem de cælo deſcendere ad nos illuminandos.

Et nemo poterat cæcitatem noſtram abſtergere, niſi Deus ipſe. Age gratias, adora, ama Divinam bonitatem.

*Punctum 2dum.* Prævidens Deus maximam hominum fragilitatem ex peccato originali provenientem, decrevit etiam illi ſuccurrere in virtute Sacramentorum, per Chriſtum inſtituendorum, vi quorum lapſus homo poſſet reſurgere à peccato, & reconciliari cum Deo. O mira etiam in hoc Divinæ pietatis dignatio! quid enim profuiſſet nobis ſemel à peccatis abſolvi? niſi relabentibus remedium fuiſſet proviſum. Præter hæc, *etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius univerſi conſummatio per Incarnationem facta eſt: atq; idcircò probabilitèr propter has cauſas Incarnatio fuiſſet, etiam non exiſtente peccato.* Affectus ut ſupra.

*S. Thom. in diſt: 1. l. 1. ar: 3.*

## PRO DIE SABBATHI.

### *De Electione Matris VERBI Incarnandi.*

PUnctum 1mum. Jn æterno illo Beatiſſimæ Trinitatis, conſilio decretum eſt, vt Filius Dei non modo fieret homo, ſed etiam Filius hominis; hoc eſt ut carnem ex ſanguine humano aſſumeret, atq; adeò Mulierem Matrem haberet in terris idq; varias obcauſas: 1mo. Ut per o-

*Cur Filius Dei non tantùm homo sed etiam filius hominis fieri, & ex muliere nasci voluerit?*

mnia nobis assimilaretur præter peccatum, 2do. Ut vterq; sexus honore afficeretur. 3tio. Ut quemadmodùm S. Epiphanius ait lib: 3. Adversus hæreses, vnde illata est mors illinc procederet & vita, scilicet per Mulierem. 4to. Ut per hoc veritas Incarnationis adstrueretur. dicit enim Aug: in Epist: ad Volusianum: *Si Omnipotens Deus hominem vbicunq; formatum non ex vtero materno crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, ne hominem verum suscepisse vllo modo crederemus.* 5to. Ut compleretur omnis diversitas generationis humanæ, nam primus homo productus est ex limo terræ, sinè Viro & Fæmina: Eva producta ex Viro sinè Fæmina: alij homines nascuntur ex viro & fæmina, restabat ergo Christo, produci ex fæmina sinè viro. Gratitudo, Dilectio.

*Punctum 2dum.* Jn eodem illo Consilio, inter innumeras fæminas & Virgines Virginem MARIAM gratuitò & absq; prævisis meritis elegit Deus, vt fieret Verbi Incarnandi Mater, & electæ decrevit conferre ex meritis nasciturì Christi sequentes prærogativas. 1mo. Immunitatem ab originali labe. 2do. Mali fomitis & concupiscentiæ carentiam. 3tio. Immunitatem ab omni peccato mortali & ve-

niali

niali 4to. Plenitudinem gratiæ in ipſa ſtatim conceptione. 5to. Uſum rationis adhuc in vtero Matris. Gratiarum Actio, congratulatio, Devotio.

## PRO DOMINICA II. ADVENTUS.

### *De Promiſsione Incarnationis, & deſiderijs eiuſdem.*

PUnctum 1mum. *Tu es qui venturus es analium expectamus?* Chriſtum venturum omnia ſæcula expectabant. Expende qumodo Dominus Deus ex infinita miſericordia Diviniſſimum hoc myſterium Protoplaſtis noſtris, ne omni ſpe remedij, animum omninò deſponderent, ſtatim poſt lapſum promiſit inquiens ad Serpentem: *Inimicitias ponam inter te & Mulierem, ſemen tuum & ſemen illius & ipſa conteret caput tuum.* Ubi per Mulierẽ MARIA Virgo Mater Dñi noſtri JESU Chriſti, per ſemen illius JESUS Chriſtus DEI & MARIÆ Filius intelligitur. Jdem varijs Patriarchis ante & poſt diluuiũ in varijs figuris præcipuè verò Abrahamo reſeravit. In ſuper tempore legis ſcriptæ Moyſi, David, Iſaiæ & alijs compluribus Prophetis.

*Matth: 11.*

*Punctum 2dum.* Expende quàm ardentèr & frequentèr Patriarchæ & juſti homines non ſolùm hic in vita, ſed & poſt

mortem in limbo tot centenis, imò etiam millenis annis desiderarint adventum Messiæ, qui eis remedium allaturus erat contra originalem corruptelam, & alia peccata: quàm constantèr hæc sua desideria continuârint: quoties vota precesvè iteraverint, illud ingeminando: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* Expende item, quòd eò ardentiùs repetebant vota sua, quò viciniorem Salvatoris adventum ex revelatione præsciebant. Imitare devotionem Patrum veterum: age gratias, quia tibi videre licet, quod multi Reges ac Prophetæ desiderârunt videre, & non viderunt.

*Virtus*, in cujus actibus te per septimanam exerceas. *Spes.* Tessera crebrò per hebdomadam usurpanda aliqua ex his: *In te Domine speravi non confundar in æternum, Tu es spes mea portio mea in terra viventium. Desperare utiq; potuissem propter nimia peccata & negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus meus Caro fieret & habitaret in nobis.* S. August:

*Domine miserere nostri, te enim expectavimus; esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.*

PRO

## PRO FERIA II.

### *De tempore Incarnationis.*

*Cur dilata per tantum tempus Incarnatio?*

PUnctum 1mum. Deus hoc maximum Mysterium uti ab æterno decrevit, ita in tempore executioni mandare distulit usq; ad annum ab Orbe condito 5199. idq; ex inscrutabili abysso sapientiæ suæ, ob has congruentes rationes. 1mo. Vt ingravescente tot sæculis morbo magis appareret necessitas remedij & virtus Medici. 2do. Vt tantæ gratiæ exhibitio eò pluris æstimaretur, quò diutiùs differretur. 3tio. Vt Patrum desideria & Prophetarum vaticinia ac figuræ crescerent. Vnde August: *Quantò maior judex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat.* Admiratio Divinæ providentiæ, Gratitudo, Amor.

*In Ioan: tract: 31. ante medium.*

*Cur perafcta eo tempore quo mundus erat depravatissimus*

Punctum 2dum. Deus eo tempore voluit Filium suū incarnari, quo mundus totus in maligno erat positus, tantaq; gratiâ indignissimus, quò Idololatria latissimè dominabatur: quo fidelium Israelitarum erat raritas: quo populus dilectus in tot sectas divisus, pessum ibat; ut constaret, hoc inæstimabile beneficium mundo immerito, indignoq; ex gratuito divinæ pietatis beneplacito esse collatum. Affectus superiores.

Pun-

*Cur non ad finem mundi dilata?*

*Punctum 3tium.* Conſidera non eſſe ad finem mundi dilatum Incarnationis remedium; quia aliàs totaliter Dei notitia & reverentia, & morum honeſtas fuiſſet abolita in terris. Licet enim aboleſcentem cognitionem Dei renovârat Abraham, & licet eandem notitiam ac reverentiam Dei legibus inculcaret Moyſes: tamen Gentiles, imò & Iudæi hanc notitiam & leges ſpernebant. Oportebat ergo venire ipſum Filium Dei ad revelationem Gentium, & venire eo tempore, quando & ſubveniri debere ſcivit, & gratum futurum beneficium. Teſſera ut ſupra.

## PRO FERIA III.

### *De Nativitate & Vita Beatæ Mariæ Virginis uſque ad Incarnationem.*

PUnctum 1mum. Appropinquante plenitudine temporis, myſterio Incarnationis deſtinati, nata eſt ex lectiſſimis & juſtiſſimis Coniugibus Ioachim & Annâ filia futura Filij Dei Mater, quam Parentes cælitùs inſpirati MARIAM, quod ſignificat Stellam maris, ſeu mare amarum, ſeu illuminatricem vocavêre. Expende hîc nobilitatem & ſanctitatem Parentum Mariæ: nobilitatem, quia è Regia & Sacerdotali ſtirpe deſcendebant: Sanctitatem, quia tunc conjugio eorum non inveniebatur

*Nominis Mariæ ſignificationes.*

*Parentũ Mariæ Nobilitas & ſanctitas.*

batur

batur castius & sanctius. Si Parentes Sancti Ioannis Baptistæ fuerunt ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sinè querela: multò magis Parentes Virginis Beatissimæ; quò enim aliquæ personæ fuerunt Christo propinquiores & coniunctiores secundùm carnem, eò etiam fuerunt sanctiores.

Expende item ortum ex isto natali gaudium SSmæ TRINITATIS, Angelorum, Patrum in limbo, & justorum in terris degentium, quibus Nativitas hæc divinitùs menifestata fuit.

Supplica deinde huic Virgini, ut ea erga te præstet officia, quæ ipsius significantur nomine.

*Punctum 2dum.* Triennis vt fert traditio, à Parentibus in templo præsentata Maria, de ejus Nativitate, præsentatione, ac profectu S Damascenus: *In lucem editur in domo probaticæ Ioachim. atq; ad templum adducitur, ac deinde in domo Dei plantata, atq; per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur.*

*Præsentatio Mariæ*

Expende quàm prompta devotione iter ad templum peregerit, quindecim gradus templi Salomonis superarit, seipsam ad perpetuum obsequium imò in perpetuum

tuum

tuum holocaustum Divinæ Maiestati obtulerit.

*Punctum 3tium.* Expende item vitam & occupationes Virginis in domo Templi, per duodecim annos: qualiter Angelicam vitam studebat æmulari: qualiter maiorem diei partem in Oratione, meditatione, contemplatione insumebat: quidquid verò temporis ab Oratione supererat operibus manuum & ministerijs, mente affectuq; interea Deo coniunctissima, tribuebat.

*Vita eiusdem in domo templi ante Annuntiationem.*

Expende demum, quàm purâ Intentione quàm strenuè & fervidè opera sua Beatissima Virgo peragebat. Et tu in Domo Dei es, & tu consecratus es Divino mysterio: Stude ergo Angelicam vitam æmulari: stude virtutum omnium fieri domicilium: Invoca ad hoc opem ipsius, commenda totam vitã tuam patrocinio ipsius, & ora vt te post mortalem hanc vitam filio suo in Templo gloriæ æternæ præsentet.

## PRO FERIA IV.

### *De missione Gabrielis Archangeli, Salutatione, Deliberatione & consensu Beatissimæ Virginis.*

Punctum 1mum. Cum jam jamq; adesset optatum illud momentum effectuan-

ctuandæ Incarnationis, misit Deus legatum Gabrielem ad Beatã Virginem. Summa legationis erat, ut vellet esse Mater Verbi Incarnandi quod antequam proponeret Angelus, sic Virginem Salutavit: *Aue gratia plena Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Expende dignitatem & Sapientiam Dei, creaturæ suæ liberum consensum in re tanta requirentis. Nec te cogit in vlla re. Age gratias. Promitte eius instinctibus consentire. Noli cum tuis despoticè & per coactionem procedere. Nam & Deus & ratio nostra politicè præest voluntati nec frangit eius libertatem.

*Gubernium rationis supra voluntatem politicum non despoticum.*

*Punctum 2dum* Humilis ac prudens Virgo ad laudes suas erubescens nihil respondet. quam Angelus suavitèr his erigit verbis: *Ne timeas MARIA invenisti gratiam apud Deum.* Summámq; legationis enarrat: *Ecce concipies & paries Filium.* quærit Beatissima Virgo: Quomodo fiet istud? non quasi incredula de mysteriò, sed de modo eius complendi solicita ob castitatis votum: cui Angelus modum exponit. dicens: *Spiritus S. superveniet in Te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Expende quàm eximios interim Beata Virgo affectus Fidei, Spei, humilitatis, admirationis, gratitudinis, resigna-

tionis

tionis elicuerit. Congratulare ei tantam excellentiam, & æmulare in affectibus.

*Punctum 3tium.* Deliberatione prudenti præmissâ consensit Beata Virgo divino placito, inquiens. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Ubi expende. *1mo.* Eius humilitatem, dum se Ancillam appellat, mox Mater Dei futura. *2do.* Resignationem dum in omnibus divinæ se submittit voluntati. *3tio.* Fidem cum modestia coniunctam, dum & tam arduo assentitur mysterio, & tanto honore se reputat indignissimam. Gratiarum Actio Divinæ Maiestati. Amor devotio ad Virginem Beatissimam. Angelicæ Salutationis frequens Oratio.

## PRO FERIA V.

### *De congruentijs Annuntiationis.*

*Causa Annuntiationis.*

PUnctum 1mum. Revolve mente congruum fuisse annuntiari Beatæ Virgini quod esset Christum conceptura. *1mo.* Quidem vt priùs mente de ipso instrueretur, quàm carne eum conciperet. *2do.* Ut foret certior testis huius Sacramenti, instructionem desuper accipiendo. *3tio.* Ut voluntaria sui obsequij munera Deo offeret, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* *4to.* Ut palam fieret, quoddam iniri Matrimonium

inter

inter Filium Dei & humanam naturam, & ideo per annuntiationem expectari consensum Virginis locò totius naturæ humanæ. Adora & admirare Divinam Sapientiam. Age gratias quòd consensum humanum ad tam divinum opus requisiverit. propone inspirationibus eius in omnibus parere.

*Punctum 2dum*: Revolve causas ob quas conveniens fuit annunciari per Angelum Incarnationis mysterium. *1ma est.* Ut Divina Ordinatio servaretur, secundùm quam mediantibus Angelis cælestia arcana ad homines in veteri Testamento perveniebant, & etiam nunc perveniunt. *2da.* Quia sic restaurationi humanæ congruebat: principium enim perditionis humanæ fuit per diabolum, oportebat proinde humanæ restaurationis principiũ fieri per Angelum bonũ. *3tia.* Quia hoc congruebat Virginitati MARIÆ. vnde Hieronymus ait: *Benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper Angelis est cognata Virginitas.* Gratias age Maiestati Divinæ pro eiusmodi Annuntiatione: gratulare Beatæ Virgini: propone castitatem summo studio custodire: Invoca Angelum patrocinium & tutelam: Actum eiaculatorium per diem repete.

*Quare per Angelum annuntiata Incarnatio?*

*In serm: de Assumpt.*

PRO

# PRO FERIA VI.

## *De Visibili specie Angeli: ordine eiusdem in Annuntiatione.*

*An & cur visibiliter apparuit Angelus Virg: Beatiss: annunciando ei Incarnationem.*

PUnctum 1mum. Perpende Angelū apparuisse Virgini corporali Specie. 1mo. Ideo quia sic congruebat mysterio quod annuntiabatur. Annuntiabatur enim Incarnatio per quam invisibilis Deus fieret Visibilis; consentaneum igitur erat, ut ad huius rei declarationem invisibilis Angelus formam assumeret visibilem, in qua mysterium tantum, & tale annuntiaret. 2do. Ideò quia sic congruebat Virginis MARIÆ dignitati, quæ non tantùm in mente sed etiam in corporeo ventre Deum erat conceptura; atq; idcirco non solùm mens eius, sed etiam sensus corporei erant Angelica visione refovendi. 3tio. Ideò quia sic congruebat certitudini eius quod annuntiabatur: ea enim quæ sunt oculis subiecta, certiùs apprehendimus, quàm ea quæ imaginamur. Unde S. Chrysostomus supra Matthæum dixit: *Angelus non insomnis sed visibiliter Virgini astitit. Nam quia magnam valde relationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventum visione solemni.* Affectus ut supra.

*Punctum 2dum.* Perpende Angelum aptissimo ordine annuntiationem perfecisse. Fe-

ſe. Tria enim intendebat circa Virginem. 1mo. reddere eam attentam. ad tantæ rei conſiderationem; quod fecit ſalutando eam novâ quadam & inſolitâ ſalutatione. 2do. Jntendebat eam docere de myſterio Incarnationis in ea implendo; quod fecit; prænuntiando conceptum & partum eius. *Ecce Concipies in Vtero, &c.* Jtem oſtendēdo dignitatem prolis: *Hic erit magnus, &c.* Jnſuper demonſtrando modum Conceptionis: *Spiritus S. ſuperveniet in Te, & Virtus Altiſsimi obumbrabit Tibi;* id eſt: *Corpus in Te humanitatis accipiet incorporeum lumen Divinitatis: umbra enim à lumine formatur & à corpore.* 3tio. Intendebat animum eius inducere ad conſenſum; quod quidem fecit exemplo Eliſabeth & argumento ex Divina Omnipotentia ſumpto. Adora Divinam Sapientiam, quæ omnia ſuaviter fortiterq; diſponit. Age gratiā pro modo & ordine Annuntiationis. Actum quoq; eiaculatoriū in mente habeto.

*Tria intendebat Angelus annunciando Incarnationem Dominicam.*

*Obūbratio in Evangelio quomodo intelligitur.*

*S. Thom: & alij SS. PP.*

## PRO DIE SABBATHI.

### *De Executione Incarnationis.*

PUnctum 1mum: Jn momento quo Beata Virgo conſenſit ſtatim Sanctiſſima TRINITAS ex puriſſimo pectoris Virginei Sanguine ad locum formationis fœtûs deportato, corpus perfectum ani-

matum anima rationali fecit, sic Personæ Verbi vnivit, ut idem suppositum esset DEUS & HOMO. Unde S. Damascenus lib: 3. ait *Simul Caro, simul Verbi Dei Caro simul caro animata anima rationali.* O ineffabile mysterium! Expende quomodo sibi complacuit Beatissima TRINITAS in hoc Divinorum operum divinissimo.

*Cur Filius Dei assūpsit Corpus patibile & mortale.*

*Punctum 2dum.* Porro in eo magis ad huc commendavit nobis Filius Dei suum amorem, quia licet ei deberetur corpus impatibile ex redundantia beatitudinis animæ ad Corpus; nam secundùm animam ab in stanti Conceptionis fruiturus erat, estq; fruitus Visione beatificâ: tamen patibile, mortale, & infantile assumpsit. 1mo. Ut ærumnas, opprobria, tormenta mortem tolerando, abundantiùs pro peccatis nostris satisfaceret. 2do. Ut nobis humilitatis, patientiæ, mortificationis, aliarumq; Virtutum exemplum præberet. 3tio. Ut nobis per omnia similis factus, faciliùs & efficaciùs nos pelliceret ad sui amorem. Gratiarū actio. Amor. Imitatio.

*Vltra has rationes additur. alia inferiùs ex veritate Incarnat.*

## PRO DOMINICA III. ADVENTUS.

### *Christus Conceptus de Spiritu S.*

PUnctum 1mum. *Ipse est qui ante me factus est.* Ioan: 1. Factus Christus ante

Ioan.

Ioannem Baptistam non per temporalem Conceptionem sed per æternam præ omnibus creaturis prælationẽ. Quomodò non ante Ioannem factus Christus, quia ab origine mundi iuxta Apocalypsim occisus? Factus ante Ioannem, quia est primogenitus omnis Creaturæ, & ipse est inter omnes, & in omnibus primatum habens. ad Coloss. 1. *Primogenitus inquam, non tempore sed honore secundùm assumptionis formam:* Quare factus? *factus est qui fecerat ut inveniretur qui perierat: factus est Deus Homo, ut homo fieret Deus.* Quomodo factus? *In virtute secundùm Spiritum Sanctificationis*, Verba sunt Apostoli dicendo *in virtute*, (ait S. Hieronymus) *ostendit non solitum esse naturæ humanæ conceptum, sed absq; virili semine ex Virgine procreatum: inferendo autem, secundùm Spiritum sanctificationis, ostendit Creatorem suum Spiritum Sanctum.* Adora & profitere Christum Dominum esse caput, principium exemplar omnium prædestinatorum, habereq; primatum in omnibus creaturis. profitere eum Conceptum de Spiritu Sancto. Age gratias quòd qui fuit ab æterno Filius Dei in virtute, factus sit in tempore Filius hominis in infirmitate.

*Punctum 2dum.* Expende quòd licet quidem Conceptionem Christi tota Sanctis-

*Ante me factus. id est ante me positus seu mihi prælatus.* S. Greg: Papa.

*Particula ante, hoc in loco, Ordinis non temporis significationem habet.* Euse: Emissenus.

Hieron: in Epist: ad Coloss.

Aug: de tempore.

*Quare Christus factus?*

*Quomodo factus?*

*Quare Conceptio Christi Domini attribuitur Spiritui S.*

sima TRINITAS operata sit: attribuitur tamen Spiritui Sancto ex triplici ratione. *1ma.* Est ex parte Dei: Nam Spiritus S. est amor Patris, & Filij; hoc autem quòd Filius Dei carnem assumpserit in vtero Virginali, ex maximo & incomprehensibili amore provenit. *2da.* Ex parte naturæ assumptæ: per hoc enim quòd Spiritui Sancto appropriatur opus Incarnationis, datur intelligi humanam Naturam assumptam esse à Filio Dei in vnitatem Personæ, non ex aliquibus hominum meritis, sed ex sola gratiâ Divina quæ Spiritui S. attribuitur iuxta illud 1. ad Corinth: 12. *Divisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus S. 3tio.* Ex scopo Incarnationis, ad hoc enim ordinata est Incarnatio vt efficiamur Sancti; Sanctificatio autem deputatur Spiritui S. Ex amore tui Deus Incarnatus: cur non redamas aut quomodo redamabis? ex merâ gratiâ suâ incarnatus: cur non es gratus? cur frequentes non agis gratias? ad hoc Incarnatus vt sanctificeris: cur non custodis sanctificationem tuam? cur te inquinas peccatis? Elice actum amoris, age gratias, propone vitare omnia Sanctitatem lædentia.

*Punctum 3tium.* Expende in Spiritu S. duplicem esse habitudinem ad Christum.

Nam

Nam ad ipſum ut Filium Dei habet reſpectum conſubſtantialitatis: ad corpus autem eius habet habitudinem cauſæ efficientis. Expende item quòd Chriſtus Dominus quia Conceptus eſt de MARIA Virgine materiam miniſtrante in ſimilitudinem ſpeciei, dicitur, eſtq; verè Filius MARIÆ Virginis. At verò quia de Spiritu Sancto conceptus quidem eſt ſecundùm humanitatem tanquam de activo principio non tamen in ſimilitudinem ſpeciei: ideo non eſt, nec debet dici Filius Spiritûs Sancti. Elice actum Fidei, Spei, & Charitatis. Virtus in qua te exercites per Septimanam: *Charitas.* Teſſeræ hebdomadales: *O Charitas! ô Pietas! quis audivit talia? miſiſti in ſimilitudinem carnis peccati Filium tuum; vt nos efficeremur iuſtitia tua in ipſo S. Aug. 3. med. Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera Matris meæ vt deoſculer te.*

*Duplex reſpectus Spiritûs S. ad Chriſtum D.*

*Chriſtus non de ſubſtantia Spiritûs S. ſed de potentia, nec generatione ſed iuſsione & benedictione conceptus eſt.*

*Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis & facies tua decora.*

*S. Auguſt. in Natali Dñi ſer: 2.*

## PROFERIA II.
### *De plenitudine gratiæ in Chriſto.*

PUnctum imum. Plenitudo gratiæ dupliciter accipitur. imò. Secundùm

*Christus summa & omni gratiá plenus*

perfectionem seu intensionem, deinde secundùm divisionem & effectus gratiæ: vtroq; modo in Christo fuit. fuit namq; in ipso ab instanti Conceptionis gratia omnis, & quidem in summo, secundùm perfectissimum modum. *Quantò enim aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tantò abundantiùs recipit:* quia itaq; anima Christi propinquiùs Deo qui est author gratiæ coniugebatur præ omnibus creaturis rationalibus; maximam & plenissimam recepit influentiam gratiæ eius. Fuerunt item in Christo omnes partes & effectus gratiæ: vt sunt Virtutes, dona Spiritûs S. gratiæ gratis datæ & alia huiusmodi. Elice Actus Virtutum Theologicarum. Adora Christum in vtero Matris Virginis plenum gratiæ & veritatis.

*Punctum 2dum.* Gratiâ Christi à puncto Conceptionis fuit infinita: non enim data est ei limitatè, neq; in certa mensura; & habuit omne id quid quid pertinere potest ad rationẽ gratiæ. Nam Christus non tanquam singularis homo accepit gratiam à Deo in instanti cõceptionis: sed tanquam Vniversale principiũ gratificationis seu Sãctificationis totius humanæ naturæ. Maxima ergo & plenissima in eo fuit gratia, quia causa gratiæ in omnibus hominibus reperibilis. sicut ignis maximè calidus

*Christus Dñus Vniversale principiũ sanctificationis totius humanæ naturæ.*

lidus est, quia est causa caloris in omnibus calidis. Affectus vt supra.

## PROFERIA III.
### *Christus Dominus est Caput Ecclesiæ.*

P*Unctum imum.* Christus Dominus præter vnionem personæ Divinæ cũ natura humana habuit à momento conceptionis dignitatẽ capitis respectu totius corporis mystici. Porro Corpus Christi mysticum est multitudo Angelorum & hominum ordinata in vnum secundùm distinctos actus & officia. Unde corpus mysticum componitur & ex Angelis & ex hominibus, quia & hi & illi ordinantur ad finem vnum qui est gloria æterna. Considera in capite tria esse, ordinem, perfectionem, & virtutem: his tribus præstat caput alijs membris; ordine quidem, quia est prima pars hominis; perfectione, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores cum in cæteris membris sit solus tactus; virtute: quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorundem in suis actibus est à capite propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem. Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. *imo.* Quidem est primus seu primatum habens

*In capite tria: ordo, perfectio, virtus.*

in omnibus hominibus & Angelis. *2do.* Omnes perfectiones omnesq; habet gratias. *3tio.* Virtutem habet habuitq; in puncto conceptionis influendi in omnia membra iuxta illud: *De plenitudine eius accepimus omnes.*

*Christus Dñus est caput omniũ hominũ sed diversimodè: quia diversimodè ipsi vniuntur.*

*Punctum 2dum.* Christus Dominus est caput omnium hominum, qui ab initio mundi ad finem vsq; fuerũt sunt & erunt, sed diversimodè. Nam primò & principaliter est caput eorum, qui actu vniuntur ipsi per gloriam. *2do.* Eorum, qui actu uniuntur illi per charitatem. *3tio.* Eorum, qui actu vniuntur, ipsi per fidem. *4to.* Eorum qui vniuntur ipsi solùm in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est reducenda ad actum, secundùm Divinam providentiam. *5to.* Eorum qui in potentia sunt ei uniti, quæ nunquam reducetur ad actum: qui quidem ex hoc sæculo recedentes desinunt esse membra Christi: quia iam ampliùs non sunt in potentia ut ipsi uniantur. O quæ gloria talis capitis esse vitale membrum! Confitere & adora Christum Dominum caput hominum & Angelorum. Ora ut semper ei per charitatem adhæreas, & ut semper Spiritu eius vivificeris. Cave ne unquam fias membrum putridum, & succo gratiæ iustificantis carens. Tesserã ex die Dominico accipe.

PRO

## PROFERIA IV.
### De Scientia Christi.

PUnctum imum. Anima Christi Domini præter scientiam divinam, habuit scientiam beatam, & scientiam infusam: nec non experimentalem: *sed per hanc Chistus non à principio scivit omnia sed paulatim & post aliquod tempus scilicet in ætate perfecta.* Per scientiam beatam cognoscebat Deum clarè, & in Deo omnia præterita, præsentia & futura, ipsos quoq; hominum cogitatus. Si enim Beati cognoscunt vniversa, quæ ad ipsos pertinent, ad Christum verò ut potè iudicem omnium à Deo constitutum spectant vniversa etiam arcana cordium; profectò Christo Domino conveniebat cognoscere cuncta non solùm per scientiam divinam, sed etiam per beatam. Item per eandem cognoscebat omnia possibilia, non tamen ea quæ in sola sunt potentia divina, sed ea quæ etiam sunt in potentia creaturæ; quia comprehendebat in verbo omnis creaturæ essentiam & potentiam, atq; adeò cognoscebat perfectissimè, quid posset ab vna quaq; creatura fieri. Expende hîc vaticinium illud: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per cancellos* impletum esse tunc, quando Christus fuit in

*In Christo Dño scientia beata, scientia infusa, scientia experimentalis, seu acquisita.*

vtero Virginali. Tunc enim latens post parietem humanæ naturæ respiciebat per cancellos vteri Virginalis, videbatq; omnia etiam abditissima quæ fiebant in mundo. Elice actus Fidei, adorationis, gaudij de scientia Christi Domini.

*Punctum 2dum.* Per scientiam divinitùs infusam cognoscebat quæcunq; ab homine cognosci possunt virtute luminis naturalis, uti sunt ea, quæ per quascunq; scientias humanas sciuntur: item per eandem cognoscebat omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt. Omnia verò ista abundantiùs & pleniùs cognovit præ vniversis creaturis. Jpsam tamen Dei essentiã per hanc scienam non cognovit, sed solùm per beatam; verùmtamen non comprehendit divinam essentiam, nisi per solam divinam scientiam. Vides quoniam in Chtisto Domino à primo momento sui conceptûs erant absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Elice Actus supra specificatos. Tesseram frequentiùs per diem replica aliquam ex positis sub meditatione diei Dominicæ.

## PROFERIA V.

### *De Potentia Christi Domini.*

P*Unctum 1mum.* Anima Christi duplicem

plicem habuit potentiam vnam secundùm propriam virtutem naturalem vel gratuitam; alteram prout fuit instrumentum Verbi personalitèr sibi vniti. Per primam potentiam virtutis naturalis & gratuitæ potuit omnes illos effectus facere, qui sunt animæ convenientes. puta, gubernare corpus, & disponere humanos actus, & etiam illuminare per gratiæ & scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales, eo modo qui est conveniens animæ rationali. Per secundam potuit omnes immutationes creaturarum miraculosas facere ordinabiles ad incarnationis finem, qui est *instaurare omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt*. Per solam tamen virtutem divinam Christus potuit creaturas in nihilum vertere, sicut per solam virtutem divinam potuit easdem creare.

*Anima Christi Dñi præter potentiam Divinā habuit potentiam naturalem gratuitam & instrumentalem.*

*Finis Incarnationis.*

*Punctum 2dum.* Expende quod Christus Dominus statim in momento conceptionis suæ acceperit omnem potestatem in Cælo & in terra: & hoc ratione unionis hypostaticæ. Unde S. Thomas dicit: *Data est ei potestas, in Cælo & in terra ratione vnionis per quam factus est vt homo esset Omnipotens.* Quare id quod Christus dixit post resurrectionem suam: *Data est mihi omnis potestas, in Cælo & in terra,*

*statim factum est*, in primo instanti conceptionis suæ: & quamvis Angelis hoc statim innotuerit, hominibus tamen modò primùm post Resurrectionem innotuit. *Res autem tunc dicuntur fieri quando innotescunt.* Adora potentiã Christi Domini. Dic: *Domine si vis potest me saluare.* & vis, & potes. Fac ergo secundùm misericordiam & potentiam tuam. O verè Beatus venter Beatæ Virginis, qui Dominum omnipotentẽ gestavit. Gratulare Matri Virgini. Invoca eius patrocinium.

## PROFERIA VI.

### *Christus Dominus assumpsit Corpus passibile.*

PUnctum imum. Quanquam propter naturalem coniunctionem animæ cũ corpore, ex anima clarè essentiam Dei vidente redundare debuit gloria ad Corpus Christi ab instanti conceptionis, tamen ex voluntate Divina Christi factum est, vt beatitudo maneret in anima eius, & ad corpus non derivaretur, sed corpus esset defectibus subiectum & passibile. Unde S. Thomas ait: *Delectatio Divinæ Contemplationis, ita per moderationem divinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas vt per hoc dolor sensibilis excluderetur.* O verè

3. p. q. 15.

magni-

magnificavit Dominus facere nobiscum! O verè mirificavit misericordiam suam super nos!

*Punctum 2dum.* Expende causas & congruentias, propter quas Christus Dominus voluit defectus & pænalitates subire carnemq; passibilem assumere. *1ma est,* quia venit in mundum, vt pro peccatis nostris satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius tunc satisfacit, quando pœnas peccato alterius debitas in se suscipit. Defectus porrò corporales, vt fames, sitis, mors, & huiusmodi, sunt pænæ peccati, secundum illud Rom: 2. *Per vnum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors.* Et hos defectus vocat Isaias languores. *Verè languores nostros ipse tulit. 2da est* Ut fidem Incarnationis adstrueret. Cum enim natura nostra aliter nota non sit, nisi prout subiacet huiusmodi defectibus, si Filius Dei absq; illis humanam assumpsisset naturam videretur non fuisse verus homo, vt Manichæi asseruerunt. *3tia.* Ut nobis exemplum patientiæ præberet, passiones & defectus humanos fortiter tolerando, iuxta illud ad Heb: 12. *Sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes in adversitate.* Gratias age Christo Domino,

*Causæ ob quas Christus Dñus assumpsit pænalitates nostras.*

no, quod pænas tuas in se susceperit: crede, propone defectus & pænalitates omnes fortiter sustinere & aliorum onera charitativè supportare. Tessera ut supra.

## PRO DIE SABBATHI.

### *Christus Dominus assumpsit animam passibilem.*

*Duplex passio Animæ.*

PUnctum 1mum. Anima dupliciter dicitur pati: Uno modo passione corporali; alio modo passione animali. Passione corporali, patitur per corporis læsionem: cùm enim sit forma corporis, ac proinde vnum esse habeat eum corpore, dum corpus patitur, necesse est etiam animam pati accidentariè. Passione animali dicitur pati, inquantum commovetur affectionibus appetitûs sensitivi quas affectiones, passiones animæ vocamus. Utroq; modo Christus Dominus passibilem animam stante nihilominus beatitudine eiusdem suscepit. 1mo. quidem: quia enim corpus passibile assumpsit, necesse fuit & animam eius hoc priori modo esse passibilem. 2dò: Quia in Christo verè fuerunt passiones humanæ, timoris, mæroris & aliæ. Unde S. Aug: ait 14. de Civit: Dei. *Neq; enim in Christo, in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.*

*In anima Christi fuit & beatitudo & passio. Illa secundū vires superiores, rationem & voluntem: hæc, secundùm inferiores imaginativa, irascibilem, concupi-*

Pun-

*Punctum 2dum.* Expende quod diverso modo sunt in nobis passiones, & diverso in Christo fuerunt, quantum ad tria. *1mo.* Quia in nobis plerumq; passiones feruntur ad illicita; at in Christo non ferebantur. *2do.* Quia in nobis frequenter præveniunt iudicium rationis; in Christo autem semper oriebantur iuxta dispositionem rationis. *3tio.* Quia in nobis quandoq; non sistunt in appetitu sensitivo, sed in super trahunt & non raró etiam occupant rationem; quod in Christo non fuit. Nam in Christo nullo modo ratio passionibus impediebatur facere facienda. Unde S. Hieronymus non passiones perfectas, sed propassiones dicit in Christo fuisse. Passio autem secundùm illum perfecta dicitur quando rationi dominatur; propassio, quando est inchoata in appetitu sensitivo sed vlteriùs se non extendit. Vide quomodo Christus Dominus factus sit nobis per omnia similis absq; peccato? Age gratias: ama tantam bonitatem: propone passiones in fræno rationis tenere. Tessera vt supra.

*scibilem. Huc servit textus S. Thomæ supra allatus.*

*Quæ differentia inter passiones Christi & nostras.*

# PRO DOMINICA IV. ADVENTUS.

## *De Perfectionibus Animæ Christi universim acceptis: & de septem ante-natalitijs Antiphonis.*

*Lucæ 3.*

PUnctum imum. *Videbit omnis caro Salutare Dei.* Salutare Dei, Christus Dominus est: quis eum videre non desideret? si carne non videmus, mente contéplemur. In incarnationis momento fuerunt in Sanctissima anima Christi ea quæ Christum decebant Charismata. *1mo.* Sanctitas supra omnes puras creaturas. *2do.* Clara Dei visio cum amore & gaudio beatifico. *3tio.* Scientia excellentissima omnium præteritorum præsentium futurorum & possibilium. *4to.* Potestas remittendi peccata, flectendi corda, largiendi dona Spiritûs S. instituendi Sacramenta, potestas deniq; patrandi miracula. *5to.* Plenitudo gratiæ omnis. *6to.* Dignitas capitis respectu Ecclesiæ militantis & triumphantis. *7mo.* Iudiciaria potestas, & omnes aliæ excellentiæ Christo convenientes. Ora vt Christus Dominus faciat te prærogativarum suarum participem: det tibi de sanctitate sua & visione beatifica; det tibi de thesauris sapientiæ & scientiæ suæ: remittat peccata tua; fle-

*Reflexio supra prærogativas Christi, & petitiones singulis accommoda. 1o*

ctat

ctat cor durum: dona Spiritûs S. tibi largiatur: Sacramentorum fructum impertiat: ex miraculis suis te in fide & charitate firmatum reddat: influat in te vitales gratiarum influxus tanquam caput in membrum suum: sit tibi olim in die judicij propitius: demum qui est Filius Dei naturalis faciat te filium Dei adoptivum & cohæredem Regni cælestis. Amor erga Christum Dominum gaudium de bonis ipsius, desiderium videndi eum in sua specie, actus contritionis.

*Punctum 2dum.* Ad excellentias Christi Domini pertinent encomia seu tituli, quos Ecclesia his diebus eidem decantat. O *Sapientia.* Quæ ex ore Altissimi prodiisti, fortiter suaviterq; disponens omnia: O *Adonai & dux* domûs Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti & ei in Sina legem dedisti: *O radix* Iesse, qui stas in signum populorum. *O Clavis David,* & Sceptrum domus Israel, qui aperis, & nemo claudit; claudis & nemo aperit: *O Oriens splendor* lucis æternæ & Sol justitiæ. O Rex gentium & desideratus earum lapisq; angularis, qui facis vtraq; vnum. O *Emmanuel Rex & legifer* noster, expectatio gentium & Salvator earum: veni ad docendum nos, ad liberandum nos, ad illuminandum nos. ad

ſalvandum nos. Rumina frequenter hos devotiſſimos actus, & Chriſto offer cum convenientibus affectibus in hunc e. g. modum: O Sapientia increata & incarnata! O via, veritas & vita! doce me viam prudentiæ, viam vitæ, viam ſalutis. O Adonai! O dux electorum! O qui Moyſi in igne apparuiſti, eidemq; in monte Sinai legem dediſti: eſto mihi dux ad ſalutem, accende me amore tui; legem pone mihi viam mandatorum tuorum. O Radix Ieſſe! qui ſtas in ſignum populorum: vivifica me ſemper vitalibus gratiæ tuæ ſuccis, vt dignos fructus pænitentiæ faciam; ſim ſemper ſub ſigno tuo: nunquam me ad diaboli ſigna transferam. Eodem modo procede in alijs. Virtus in qua te exerceas per ſeptimanam, *pænitentia* in Evangelio aſſignatur. Teſſeræ crebrò uſurpandæ, ſint:

*Dominus Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam & ſalvi erimus.*

*En Agnus ad nos mittitur laxare gratis debitum, omnes ſimul cum lachrymis precemur indulgentiam.* Agnus Dei qui tollis, &c.

*O Salutare vultûs mei, & Deus meus! O deſiderate cunctis gentibus! veni & relaxa facinora plebi tuæ.*

PRO

## PROFERIA II.

### *De affectibus à Christo Domino in momento conceptionis elicitis.*

PUnctum 1mum. Quatuor præcipuè virtutum actus Christus Dominus in instanti Conceptionis suæ erga Deum elicuit 1mus. Fuit profundissimæ humilitatis quâ se quoad humanitatem tanquã nihilum agnoscebat. 2dus. Summæ gratitudinis quâ sibi ac vniversis hominibus dona collata recognoscebat. 3tius. Ardentissimi amoris quo divinam bonitatem flagrantissimè diligebat. 4tus. Promptissimæ obedientiæ quâ ad omne Patris beneplacitum se offerebat. O si ex toto corde hos actus quatuor exemplo Christi frequentares quàm gratus Deo fieres!

*Punctum 2dum.* Eodem instanti videns Christus clarè omnium hominum peccata quibus Deus offenderetur, in super & Patris beneplacitum volentis, vt illa per se expiaret, elicuit similiter intensissimos erga homines actus. 1mo. Doloris de tanta eorum malitia & offensa Dei. 2do. Amoris, quos à Patre tantùm amari cernebat. 3tio. Desiderij volendo eos quam primùm redimere. Quid retribues o homo tanto amori?

*Punctum 3tium.* Eodem instanti clarè vi-

dit omnes ærumnas & tormenta, quæ tota vita sua pro salute hominum sibi erant perferenda: ad quæ omnia promptissimè se obtulit, eaq; tanquam ex præcepto amantissimi Patris pro salvandis hominibus non generatim tantùm pro omnibus sed nominatim pro singulis, quos tunc præ oculis habuit, acceptavit; & fructum meritorum suorum cuiq; hominum specialiter destinavit. En qualis amor Christi à primo Incarnationis momento te præ oculis habentis, pro te se offerentis! Affectus & Tessera vt supra.

## PROFERIA III.

### *De affectibus à Beata Virgine post conceptum filium Dei elicitis: & de plenitudine Spiritûs Sancti in eadem.*

PUnctum imum. Expende quomodo Beata Virgo eodem Spiritu qui supra filium eius eminentissimè requievit repleta cum in comprehensibile Incarnationis Verbi mysterium in se divina virtute perfectum esse sentiret, eosdem quatuor affectus humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, quos totâ vitâ familiarissimos sibi habuerat, eminentiori modo exercere cæpit & reliquo vitæ cursu con-

ſu continuavit. Quàm æqvùm foret, ſi talis Matris Filius eſſe cupis, in his affectibus eam imitari! Expende item quomodo erga proximos exercuit affectus compaſſionis de tot eorum peccatis, doloris de offenſa Dei, amoris, deſiderando omnium pænitentiam, perfectionem, ac ſalutem ardentiſſimè.

*Punctum 2dum.* Expende plenitudinem donorum ac fructuum Spiritûs S. in Virgine Beatiſſima poſt Conceptum Filium Dei: quale nimirum lumen Sapientiæ, Scientiæ, intellectûs, conſilij qualem pietatem timorem Dei, & fortitudinem adepta ſit: qualem item charitatē lætitiam, pacem, patientiam, modeſtiam, manſuetudinem, benignitatem, longanimitatem, fidem, continentiam, caſtitatem habuerit. S. Hieronymus ait:

*Totam repleverat Spiritûs S. gratia; totam incanduerat amor divinus: ita vt in ea nihil eſſet, quod mundanus violaret affectus, ſed ardor continuus & ebrietas profuſi amoris.* Expende item quod Beatiſſima Virgo ante Conceptionem Filij Dei fuit gratiâ plena, adeòq; etiam donis & fructibus Spiritûs S. ſed poſt Conceptionem fuit ſuperplena, quantùm ſcilicet ad refuſionem gratiæ in omnes homines. Eva in tantum fuit plena maledictione, vt ex

ea etiam in alios homines profluxerit: MARIA in tantum plena benedictione & gratia, vt in omnes nos se se effundat. Ora suppliciter, vt de plenitudine sua te quoq; participem faciat.

## PROFERIA IV.
### *De Visitatione Elisabeth.*

*Punctum imum. Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione: & salutavit Elisabeth, Lucæ 1.* Expende *1mo.* quo ardore Beata Virgo montana transcendens familiares sibi humilitatis, gratitudinis, amoris, affectus frequentarit. Expende *2do* quomodo eminentiùs eosdem benedictus eius filius continuarit! quàm iustum est & te qui ad montem perfectionis conscendendum vocatus es, eosdem imitari! Expende *3tio* quòd duo Prophetæ sint in vtero sanctificati, Ieremias & Ioannes, ad hoc ut vterq; esset specialis præfigurator sanctificationis per Christum faciendæ: Ieremias quidem, ut sanctificationem virtute passionis Christi faciendam præfiguraret: Ioannes vero, vt præfiguraret sanctificationem per Baptismum Christi futuram. Ora ut Christus Dominus te per omnia sanctificet & immaculatum conservet vsq; ad adventum suum, hoc est, ad diem mortis tuæ. Tu etiam cura & propone sanctifi-

*Ieremias & Ioannes præfiguratores Sanctificationis per Christum faciendæ.*

cationem, quâ per passionem & baptismũ sanctificatus es, exprimere vita moribus & operibus tuis.

*Punctum 2dum.* Elisabetha sentiens exultantem ad præsentiam & verba salutationis Marianæ infantem, Spiritu S. repleta prædicat benedictam Matrem Dei indignamq; se eius obsequio Visitationis dicit. Quàm iustè & tu te humiliare debes, Deiq; dignationem deprædicare; qui ad te sanctificandum toties in Sacra Communione venit. Beata Virgo laudibus suis non reddit vicem more mundano, sed Deo omnia adscribens prorumpit in Canticum. *Magnificat.* miris affectibus & devotione plenissimum. Ora eandem ut tibi impetret Sanctificationem, à qua nunquam excidas. Canticum *Magnificat* devotè persolve. Cave ne id vnde laudaris, tibi adscribas, sed in Deum datorem omnium bonorum referas, eiq; corde & ore pro omnibus gratias agas.

## PRO FERIA V.

### *De revelato S. Iosepho Incarnationis mysterio: & de illibata Virginitate Sanctissimæ Matris.*

PUnctum 1mum. *Ioseph Fili David* (ait Angelus) *noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Considera imprimis mi-

ram Dei in his duabus personis Maria & Ioseph probandis providentiam, dum Iosephum virum aliàs rectissimum quasi de gravi lapsu Sponsæ suæ angi; electissimam verò Matrem Filij sui in gravi suspicione esse permisit. Considera deinde quomodo S. Ioseph in casu hoc patientiam & prudentiã adhibuerit, non exprobrando, dissimulando, maturè quid sit agendum deliberando; quomodo item Beata Virgo nullam sui defensionem attulerit, rem totam Deo committendo. Considera demum quàm humilitèr Ioseph ab Angelo de mysterio instructus à B. M. Virgine veniam petierit; quâ item devotione & gratiarum actione B. Virgo dispositionem divinam circa se venerata sit. Age gratias & tu providentiæ Dei quam expertus es circa te, tàm in prosperis, quàm in adversis.

*Causæ ob quas congruebat Christum Dnum concipi & nasci ex Maria V.*

*Punctum 2dum. Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*, non de homine. Expende causas ob quas expediebat Christum Dominum concipi & nasci ex Virgine illibata. Conveniebat enim id primò ex parte eius qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam si verbum nostrum non solùm in corde sinè corruptione concipitur, sed etiam ex corde & ore absq; corruptione procedit: quantò magis congruum

gruum fuit Verbum Dei incarnatum de incorrupto Virginis utero naſci. *2do.* Conveniebat id ex parte noſtri. Chriſtus enim venit corruptionem tollere non facere; non ergo decebat ut Matris Virginitatem Conceptione aut Nativitate corrumperet. Quare S. Aug: ait: *Fas non erat vt per eius adventum violaretur integritas qui venerat ſanare corrupta.* *3tio.* Ex parte Matris, ne ſcilicet Matris honorem minueret, qui parentes præceperat honorandos. Age gratias Chriſto Domino, quòd Matris integritatem non minuit., ſed ſacravit. Commenda Virgini Deiparæ & S. Ioſepho caſtitatem tuam, & ora ut te cuſtodiant ne vnquam venias in corruptionem peccati ſive mente, ſive opere.

*Serm: 6. de Nativ: Domini.*

## PROFERIA VI.

### *De expectatione partûs Virginei: & de loco ac tempore aliiſq; circumſtantiis eius.*

PUnctum 1mum. Conſidera. *1mo* Quàm ardenter Ioſeph poſt revelationem tanti myſterij ſibi factam deſiderarit videre Chriſtum in lucem editum: quàm ardentius fuerit B. Virginis deſiderium videndi, adorandi, amplexandi, lactandi

 ſuùm

ſuum & Dei Filium: quanto demùm ardentius ipſius divini infantis naſcituri deſiderium fuerit ad voluntatem Patris ſui in omnibus implendam. Conſidera *2do.* Quanto affectu devotionis varij SS. deſiderabant videre infantem Chriſtũ tam in ſtatu naturæ ac legis Moſaicæ, vt Abraham, David, Iſaias, Simeon juſtus, Anna Prophetiſſa, & innumeri alij: quàm in ſtatu Novæ legis, in qua plurimi eadem deſideria habuerunt & propenſiore devotione ac cultu ferebantur ad cunas Salvatoris, ut S. Hieronymus, S. Franciſcus, S. Paula, & alij multi. Imitare: ora flagra deſiderio videndi ſalutare Dei: para viam Domino per pænitentiam: Elice actum contritionis.

*Cur Chriſtus natus in Bethleem?*

*Punctum 2dum.* Chriſtus Dominus naſci voluit in Bethleem. *1mo.* Ideo vt ex ipſo loco Nativitatis pateret Chriſtum ex ſemine David ſecundùm carnem deſcendere, nam & David in Bethleem natus eſt. *2do.* Quia Bethleem Domus panis interpretatur. Chriſtus autem eſt panis vivus, qui de cælo deſcendit. Quantum autem ad tempus, voluit naſci hyeme; vt ab ipſa ſtatim Nativitate pateretur pro nobis. Voluit naſci ſub tempus magnæ in mundo pacis; quia ipſe eſt pax noſtra faciens vtraq; vnum. hoc eſt, ex

*Cur hyeme.*

*Cur mundo in pace conſtituto*

Iudai-

Iudaico & gentili populo vnam faciens Ecclesiàm. Voluit naſci quando deſcribebatur orbis vniverſus ; ipſe enim erat, qui nos inſciberet in faſtos æternitatis, & pro nobis cenſum æterno Patri ſuo exolveret. Voluit naſci, quando Herodes alienigena regnabat in Iudæa; vt impleretur vaticinium Iacob dicentis: *Non auferetur Sceptrum de Iuda & dux de fæmore eius donec veniat, qui mittendus eſt.* Voluit naſci quando dies creſcere incipiunt; ut oſtenderetur, quod per ipſum homines à tenebris errorum & peccatorum ad lucem agnitionis veri Dei gratiæq; divinæ venturi, & in hac luce incrementum ſumpturi eſſent. Gratias age Chriſto Domino quòd & locum & tempus elegit Nativitati ſuæ, quæ ſciebat oportuniſſima eſſe ſaluti noſtræ. Ora ut ſemper lumine ſuo te illuſtret & in eodem creſcere faciat: neq; permittat te in tenebras erroris aut peccati gravioris labi. Teſſera vt ſupra.

*Cur ſub tempus deſcriptionis Orbis!*

*Cur Herode regnāte?*

*Cur poſt ſolſtitium hyemale?*

## PRO VIGILIA, *NATIVITATIS DOMINI NOSTRI.*

### *De profectione B. V. & Ioſephi in Bethleem ac diſpoſitione Virginis ad Partum.*

P*Unctum imū.* Appropinquante Virginei

ginei partûs tempore cum Auguſtus Cæſar Orbem deſcribi iuſſiſſet aſcendit Ioſeph cum Beata Virgine prægnante in Bethleem edicto Cæſaris pariturus. Cõſidera 1mo. Divinam providentiam quæ ambitione & cupiditate Dominij temporalis vſa eſt ad executionem divini myſterij iuxta Prophetarum oracula in Bethleem perficiendi. Conſidera, 2dò Quàm promptè & gaudenter Beata Virgo cum S. Ioſepho hoc aſperum prolixum horridumq; brumale iter confecerit, non gravata ſed ſublevata ſacro pondere: quàm attonita mente in Deum quem in vtero geſtabat defixa conſvetos affectus elicuerit: quàm divina nunc cum illo, nunc cum Sponſo miſcuerit colloquia. Diſce quâ devotione pergere debeas ad Eccleſiam quæ per Bethleem ſignificatur: & ad quævis loca Sacra.

*Punctum 2dum.* Dum in Civitate hoſpitium Ioſepho ſolicitè quærenti negatur, ſubijt B. Virgo ſuburbanum tugurium. Exultavit tunc ſolitudo & floruit quaſi lilium quando Sanctos illos hoſpites meruit ſalutare. O Ephrata! O campi ſylvæ quam beati facti eſtis adventu eius, *cuius egreſſus ab initio à diebus æternitatis.* Expende diſpoſitionem Beatiſſimæ Virginis ante partum. Fuit iuxta Apoca-

pocalypsim amicta Sole: quia luci increatæ quantum fas est creaturæ, immersa: atq; intuitivè Deum videns & plusquam Seraphicis ardoribus erga eum flagrans. Luna sub pedibus eius: quia mundi fastum divitias & delicias, paupertate ac humilitate calcavit. Stellis 12. coronata? quia 12. fructibus Spiritûs S. & vniversis virtutibus radians clamabat, non ore sed corde, non vocibus sed magnis affectibus ad Deum. Cruciabatur non partûs doloribus, sed frigore, vigilijs, genu flexionibus, ieiunio, alijsq; voluntarijs mortificationibus, cruciabatur ingratitudine hominum, quòd Deus in propria veniens à suis non sit receptus cruciabatur autem non indignando, sed dolendo, de eorum cæcitate eiq; compatiendo. Etiam tu quoties tibi Christus seu in Sacrificio, seu in Communione nasciturus est totus in Deum absorbêre: mundum cum suis concupiscentijs & peccatis detestare: Corona omnium virtutum ornari cura, clama in toto corde per affectuosas Orationes ad Deum: cruciare de peccatis tuis & alienis per contritionem, per mortificationes.

*Punctum 3tium.* Expendes etiam per figuras Veteris Testamenti dispositionem Virginis Sacratissimæ. Ardebat charitate

tan-

tanquam rubus incombustus, Deum Orbi illicò monstraturus. Florebat cum fragrantia puritatis, velut virga Aaron, collucebat lampadibus desideriorum cælestium, vtpote thalamus divinus, ex quo sponsus naturæ humanæ jam jamq; processurus erat. Stipabatur Sanctorum spirituum choris instar ferculi Salomonis charitate constrati, ex quo verus Salomon post 9. Mensium quietem surgere parabat, Verè tunc Beatissima Virgo sicut cinnamomũ & balsamum dedit odorem suavitatis, per devotionem, sicut aurora ante ortum solis ignescebat per dilectionem, sicut virgula fumi ex aromatibus extenuabat se per humilitatem. Ad cuius imitationem internos & externos actus humilitatis frequentabis, & mentem per octiduum, sequentibus oratiunculis, aut earum aliquas elevabis. *Tu lumen & splendor Patris, tu spes perennis omnium: intende quas fundunt preces, tui per Orbem servuli.*

*Memento rerum Conditor nostri quòd olim corporis, Sacrata ab alvo Virginis, nascendo formam sumpseris.* Benignissime, suavissime, Serenissime, quando restaurabis mihi quia non vidi illam beatæ carnis infantiam, quia non fui deosculatus præsepe, quia non respersi lachrymis gaudij terram in qua vagisti.

*S. August.*

JN

# JN FESTO
## *NATIVITATIS DOMINI.*

*Præludium 1mum.* Constitue te ante cunas JESU.

*Præludium 2dum.* Pete gratiam devotè ac fructuosè Meditandi.

PUnctum 1mum. Cùm Beatissima Virgo mediam noctem in Oratione & contemplatione consumpsisset repentè absq; omni dolore, salvâ Virginei pudoris integritate dilectum Infantulum frigore tremulum è suis visceribus egressum coram se iacentem vidit. Expende quo pietatis sensu quo stupore & mentis gaudio, quâ fide reverentiâ, humilitate, amore, Salvatorem suum, sic exinanitum prima aspexerit, adorarit, salutarit, adimpletum est in ea tunc vaticinium illud: *Germinans germinabit sicut lilium & exultabit lætabunda & gaudens.* Germinavit sicut lilium. quia permanens in flore Virginitatis, florem Christum protulit. Germinavit lætabunda & gaudens: quia non cum dolore vt aliæ omnes mulieres, sed cum exultatione & gaudio ineffabili peperit. Verè flos Campi Christus, quia extra Civitatem in Campo Ephrata nascitur, quia hominibus patulus exponitur: & quia sinè omni cultura humana

*Virgo quę genuit adoravit.*

*Germinavit sicut lilium.*

*S. Bonav: in speculo B. M. V.*

pro-

producitur. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua & Sancti tui per Sanctum Sanctorum hodiè natum, benedicant tibi.

*Punctum 2dum.* Cur reverentialis timor Beatam Matrem à contingendo infantulo quem verum Deum agnoscebat retraheret Maternus amor nihilominus ad eum elevandum, & Materna officia eidem exhibenda exstimulabat. Quare attemperato ex vtroq; affectu obsequio non reverenter minus quàm amanter illum vlnis excipit, amplexarur, exosculatur, pectori apprimit linteolis involvit, lacte pascit, omniaq; materna munia amantissimè exhibet. O si devotione simili eundem Deum in Sacra Communione excipere possis, quàm in solito amoris & lætitiæ affectu liquesceres. Gratulare Beatissimæ Virgini & cum ea saluta adora complectere exosculare Christum infantem. Invoca SS. Angelos & creaturas omnes ad benedicendum Deum pro tanto reparationis nostræ mysterio & dic devotè Canticum. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

*Excepit sinu & Maternis officijs fovit.*

*Punctum 3tium. Et reclinavit eum in præsepio. Lucæ 2.* Inter iumenta Christus nascitur; quia vt iumentum propter nos fieri voluit, nascendo ad labores, flagra, & im-

*Reclinavit in præsepio inter iumēta.*

& immolationem. Impletum est, quod Isaias prædixit: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Habacuc quoq; Cap: 3. iuxta 70. *In medio duorum animalium cognosceris.* Expende quàm teneros affectus compassionis, admirationis, amoris, tota illa nocte non absq; dulcibus lacrymis B. Virgo cum Ioseph frequentârit. Fac & tu similiter: & mentem tanto mysterio tota die applicatam habe. Expende item gratum esse Deo, si sis velut jumentum coram ipso. Iumenta domestica bos & asinus ad labores nascuntur; paleis contentantur, flagra suscipiunt, demum mactantur. Etiam tu ad ferenda patienter onera paratus esto: paleis, hoc est viliotibus esculentis contentus esto: ad verbera & linguarum flagella tace: victima Dei fieri appete; sic Christus libenter recumbet in medio tui.

*Vt iumenta esse debemus.*

## Pro eadem Die.

### *De Nativitate Christi Domini; æterna & temporali.*

Punctum imum. Et Verbum Caro Factum est. Joan: 1. *Confitemur duas Christi Nativitates, unam quæ est ex Patre æternam: alteram quæ est in ultimis temporibus propter nos.* Prima Christi Domini

*Damascenus lib: 3. Orthodoxæ fidei cap. 7.*

Nativitas est illa, secundùm quam ante Luciferum & ante Sæcula genitus est, & per totum *hodie* æternitatis nascitur ex vtero Patris, hoc est, ex essentia Patris, æqualis & consubstantialis Patri. Secunda, secundùm quam tempore quod præfiniverat ab æterno, apparuit in carne per omnia nobis assimilatus excepto peccato. In Nativitate æterna, habet Patrem sine Matre; in temporali Matrem sine Patre. In Nativitate æterna gignitur per cognitionem necessariam omnium quæ in Deo sunt, omniumq; creaturarum possibilium: in temporali genitus est per operationem Spiritûs Sancti, non ex seminali, sed ex purissimo pectoris Virginei Sanguine. Utramq; & Divinam & Humanam Christi generationem quis enarrabit? Credo, adoro, benedico te o VERBUM CARO FACTUM. In sinu Patris ante sæcula invisibilis recubuisti: nunc in sinu Matris visibilis recumbis. Sis Benedictus.

*S. Leo de Nat: Dñi.*

*Punctum 2dum.* Quare VERBUM CARO FACTUM? Finis vt Incarnationis, ita & Nativitatis Dominicæ est; vt homines renascantur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo, id est, ex ipsa Dei virtute. Et propterea de Virgine nasci voluit, *quæ*

*Quare Christus Natus, & quare ex Virgine?*

*signi-*

*significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundùm Spiritum nascitura.* Vide an respondeas fini Nativitatis Dominicæ: an semel imò sæpius renatus per Sacramenta in filium Dei, retineas dignitatem tuam? memorare quòd sis DEO natus secundùm Spiritum ex Virgine Ecclesia. Cave ne talem Nativitatem tuam moribus inordinatis deturpes.

*Aug: lib: de Sanct: Virginitate.*

*Punctum 3tium.* Tertia Nativitas Christi Domini, (secundùm D. Bonaventuram) gratuita, quando Christus per gratiam iustificantem nascitur in cordibus nostris. Et hæc est quotidiana: quia tali modo quotidie Christus Nascitur in fidelibus. Ad hanc respexit ipse Salvator quando discipulos monstrans dixit. *Hæc est Mater mea.* Hæc vt nobis & ex nobis perficiatur nativitas, quid opus sit disces ex S. Bernardo qui sermone in Vigilia Nativitatis Domini ait: *Si quæ anima profecerit eo vsq; vt (ad instar Deiparæ) sit fæcunda Virgo, vt sit Stella maris, sit plena gratia, & supervenientem in se habens Spiritum Sanctum puto quod non modo in ea, sed ex ea quoq; non dedignabitur nasci.* Ora infantem Deum vt det animæ tuæ fecunditatem virtutum, plenitudinem gratiarum & donorum Spiritûs Sancti, per quæ Mater JESU esse merearis.

*in Comp: Theologicæ veritatis.*

*Ut in nobis nascatur Christus similes nos fieri oportet Virgini Mariæ.*

## SECUNDA DIE.

### *De exultatione Angelorum, & apparitione Pastoribus.*

*Punctum 1mum. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ Cælestis laudantium Dèum, atque dicentium: Glòria in excelsis DEO. Lucæ 2.* Vide potentiam Christi infantis. In præsepio iacet: & in cælis imperat. Cui in terra iumenta adstant, huic in Cælo decies centena millia assistunt, & millia millium ministrant. Ecce Spiritus Cælestes facit Angelos, hoc est, Nuntios ad pastores: & ministros suos flammam ignis illustrantem & accendentem homines ad quærendum Messiam. Expende quanta devotione omnes Angelorum Chori Verbum in lucem editum, è cælis conspexerint, adorarint: qua lætitia Divinæ Majestati & Humanitati Christi egerint gratias pro tanto erga genus humanum amore, cantando canticum istud. *Benedictio & claritas & gratiarum actio honor virtus & fortitudo Deo nostro sedenti super Thronum & Agno.* Qua promptitudine obtulerint se æterno Patri ad manifestandam mundo Filij sui Nativitatem in carne.

*Punctum 2dum.* Discurre sigillatim per omnes Angelorum ordines, & cousidera

quomo-

quomodo ſinguli exultarint ex Chriſti Nativitate, per quam ruinæ cæli à prævaricatoribus Angelis factæ reparandæ eſſent. Expende quomodo gaudebant Cherubim Sapientiam increatam velatam carne humana in mundo apparuiſſe: quomodo iubilabant Seraphim de tanto amore erga homines: quam gaudenter Throni ſtupebant videntes Regem gloriæ ſic humiliatum: quomodo Dominationes Principatus Poteſtates, Virtutes lætabantur Dominum Deum Sabaoth ad conterendas tenebrarum poteſtates, ad virtutes in mundo ſeminandas, carnem mortalem aſſumpſiſſe: quomodo Angeli & Archangeli laudabant Deum eo quod ipſe Rex Angelorum factus ſit ad homines Magni Conſilij Angelus & Nuntius Paternæ voluntatis. Etiam tu cum Angelis exulta, lauda, gratias age, adora Divinam Sapientiam, Bonitatem, Charitatem, in Nativitate Chriſti Domini relucentem.

*Punctum 3tium.* Deſtinatus de ſuper cum certa multitudine Militiæ Cæleſtis Archangelus Nativitatem Salvatoris pauperculis Paſtoribus gregem ſuum cuſtodientibus circumfuſus luce annuntiavit. *Paſtores hi ad turrim Ader, id eſt gregis iuxta quam Iacob pavit greges ſuos nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excel-*

*Hieron: in Epitaphio Paulæ.*

 *ſis Deo*

*ſis Deo, & in terra pax hominibus. Dumq́; ſervant oves, invenerunt Agnum Dei.* Expende felicitatem horum Paſtorum præ multis alijs. Quàm vere dictum: *Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius:* Expende item quam placeat Incarnatæ DEI Sapientiæ paupertas, ſimplicitas, humilitas, vigilantia, labor: Expende inſuper quod Angelus in claritate apparuit paſtoribus: *vt oſtenderetur quod ille qui naſcebatur erat Splendor Paternæ gloriæ.* Stude æmulari ſi cupis Divinas conſolationes experiri. Et, ſi Paſtor es, ſi Superior es, cuſtodi gregem tuum, paſce eum verbo & exemplo; ſic Agnum Dei invenies.

*S. Thom: 3. p. q. 36. art: 5. ad 6.*

## TERTIA DIE.

### *Paſtores ex metu confirmati Natum Salvatorem quæſitum & inventum adorant.*

PUnctum imum. Quare ſolis paſtoribus leguntur viſibiliter apparuiſſe Angeli tempore Nativitatis Chriſti. non item Simeoni, Annæ Prophetiſſæ & alijs juſtis? *quia iuſti non indigent viſibili apparitione Angelorum ſed eis ſufficit interior inſtinctus Spiritûs Sancti, propter eorum perfectionem:* paſtores autem erant imperfecti in moribus & fide. Labora quantum potes vt iuſtus & perfectus ſis: quò Spiritûs

*Perfecti non indigent appa rit: Angelorum.*

ritus S. per interiores instinctus loquatur tibi. Ceterùm quia imperfecti sumus, bonum nobis credamus dirigi per Angelos, hoc est, Superiores & Magistros Spirituales. Qui te monet, qui te instruit, qui te excitat ad bonum, aut arguit de malo: Angelus est; audi eum & tace habeto bonam voluntatem, id est obedientem vt pax interior sit tibi.

*Superior, Angelus.*

*Punctum 2dum. Timuerunt timore magno.* Perturbamur & à nobis alienamur, quando perstringimur alicuius Superioris potestatis occursu. Quando enim homo supra se ipsum visione alicuius Cælicæ substantiæ elevatur, pars eius inferior debilitatur: ex quo provenit perturbatio prædicta. *Nolite timere* ait Angelus. Boni namq; Angeli scientes hanc esse naturam humanam vt turbemur ad visiones insolitas Angelorum, statim huic turbationi medentur. Unde non est difficilis bonorum, malorumq; Spirituum discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino sciamus venisse auxilium: quia securitas animæ, præsentis Maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur.

*Unde Spiritus boni & mali discernendi.*

*Punctum 3tium.* Animati alloquio pastores ad Natum Messiam quærendum properarunt. Expende qua devotione in-

ventum infantem in præſepio aſpexerint, adorarint. Matrem ſalutarint eiq; viſionem Angelicam retulerint: qua affabilitate eos Beatiſſima Mater exceperit, in fide confirmarit: quomodo reverſi viſa ruminarint, alijs narrarint, præſepe deinceps reviſerint. Diſce ab his paſtoribus fervorem in Divinis: diſce meditari Nativitatem & vitam Chriſti: diſce glorificare & laudare Deum ex omnibus quæ audiſti & vidiſti. Propoſitum & teſſera vt ſupra.

## QVARTA DIE.

### *De turbatione Herodis & cæde Innocentium.*

*Turb: Herod: indicabat Divinitatē Christi.*

PUnctum 1mum. *Herodes Rex turbatus eſt & omnis Hieroſolyma cum illo.* Turbatio hæc non obſcurum fuit indicium Divinæ in Chriſto Nato excellentiæ. Nam ſecundùm D. Gregorium terrena altitudo confunditur, cum Cæleſtis celſitudo aperitur. Deinde ſignum fuit iudiciariæ in Chriſto poteſtatis. *Quid erit Tribunal iudicantis ſi ſuperbos Reges cunabula terrebant infantis?* Inſuper ruinam regni diabolici portendebat; quia vt dicit S. Leo *Non tantùm Herodes in ſemetipſo turbabatur quantùm diabolus in Herode.* Nec mirum quòd turbabatur vterq; & Herodes

*judiciariā poteſtatē eiuſdem. Et ruinā Regni diabolici.*

& diabolus, *quia parvulus iste & puer, citò crescit in iuvenem, velociter hostes spoliat, Maturè prædatur Damascum, & Regem vincit Assyrium.* vbi per Regem Assyrium tam Herodes quàm diabolus intelligitur. Tu noli turbari cum iniquis, sed gaude cum justis ex Nativitate Christi Dñi. Considere Divinam in ipso Excellentiam, iudiciariam potestatem & imperium supra Cælestia, terrestria & inferna. Subijce te Sceptro ipsius & ora vt sit semper Rex tuus & Deus tuus.

*S. Hieron: ad Pammachium.*

*Punctum 2dum.* Herodes videns se illusum à Magis, iratus occidit multos pueros in Bethleem totoq; ipsius territorio à bimatu & infra. Quare multos? vt inter multos ille periret quem solum iugulare cupiebat, & invenire desperabat. Quare à bimatu? Pro abundantia cautionis maius tempus inclusit, ne quis vel proximæ ætatis effugeret. ait S. Chrysostomus. Hom. 7. in Matth. Quare non à bimatu solum sed infra? *Timebat ne puer cui sidera famulantur, speciem suam paulò supra ætatem vel infra transformaret.* Considera 1mo. ambitiosi scelus Herodis, quid non ausus fuerit propter dignitatem regiam conservandam. Considera 2do dolorem clamorem eiulatum & irremediabiles lachrymas Matrum. Considera 3tio

*Aug: Ser: de Innoc.*

Bona quæ Divina providentia elicuit ex hac tyrannide: Sanctificationem & salvationem tot innocentum qui aliàs forsan damnati fuissent: divulgationem Nati Messiæ: Benedictionem Ægypto impertitam. Propositum & tessera vt in Vigilia Nativitatis.

## QVINTA DIE.

### *De actibus Charitatis Christi Infantis.*

*Ad Tit: 2.*

PUnctum imum. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris Nostri Dei.* Apparuit potentia DEI in Creatione rerum: Sapientia in gubernatione earum; sed charitas apparuit in Humanitate Salvatoris Nostri Dei. Expende ergo quantum, te diligit. *imo.* Ideo quia pro te de Cælo descendit. videlicet, Incarnatus est, *2do.* Quia tibi per omnia etiam quò ad infantiam similis fieri voluit. Amantes enim assimilant se per omnia dilectis suis. *3tio.* Quia propter te officia onerosa suscepit: Sacerdotis, Doctoris, Mediatoris, Redemptoris, imò & formam atq; officium servi, nec tantùm servi simpliciter, *vt subesset: sed etiam Mali servi vt vapularet: & serui peccati, vt pænam* solveret cum culpam non haberet. O pietas, o Charitas, quis audivit talia?

*S. Bernardus.*

Pun-

*Punctum 2dum.* Expende actus externos infantiæ Christi quibus ſuam erga nos ineffabilẽ exprimit charitatem. *1mo.* Flet vagitq;, quare? *Me Christi vagientis abluunt fletus: illæ lachrymæ delicta mea laverunt.* *2do.* Dat ſe in amplexum & oſcula non tantùm Matri & Ioſepho, ſed & Paſtoribus, & Magis, & Simeoni, & Annæ & multis poſtea Sanctis dedit, vt Franciſco, Gertrudi & alijs atq; alijs. Beatæ Idæ IESUM parvulum porrexit Sanctiſſima Virgo MARIA dicens: *Accipe eum & colloca in gremio tuo: deſideratis amplexibus & oſculis diem feſtum age cum eo.* O quis det mihi agere feſtum eiuſmodi! Deniq; nobis datus, nobis Natus: nobis ridet, nobis plorat: nobis friget, nobis ſitit, nobis alitur, nobis faſciatur. Sit Nomen eius Benedictum in ſæcula.

*Punctum 3tium. Maximopere Christus propterea advenit vt cognoſceret homo quantùm Deus ipſum diligat: & vt eius dilectione, à quo prior dilectus eſt inardeſceret.* Aug: de Catechiſandis rudibus. Vides infantem Chriſtum totum tui amore ardere! Vides totam formam ad tui amorem compoſitam! Vides arridere tibi, manus parvulas ad te extendere, geſtire in ſinum tuum, ocellos blandulos in te defigere. *Si ergo amare pigebat, ſaltem redama-*

*Cauſa adventus Chriſti oſtenſio Charitatis.*

*dama-*

*clamare non pigeat*: Age gratias: & te totum quo ad animũ & corpus offer Christo.

## SEXTA DIE.
### *De actibus Humilitatis.*

PUnctum 1mum. *Humiliauit semet ipsum. ad Philip: 2.* Expende quemadmodum VERBUM CARO FACTUM post Nativitatem suam internos actus humilitatis exercere perrexerit. *1mo.* Gaudebat de sua exinanitione, quæ non in eo fuit quasi suam plenitudinem amiserit, sed in eo quod nostram parvitatem & formam servilem assumpserit. *2do.* Divinam eminentiam ampliùs quàm omnes alij homines reverebatur. *3tio.* Omnibus hominibus se in corde suo substernebat. Unde S. Grego: lib: 18. Moral. cap. 27. ait: *In altitudine sua Divinitas à nobis vt pote parvulis apprehendi non potuit: sed strauit se hominibus per humanitatem: & quasi in jacentem ascendimus: surrexit, & levati sumus.* *4to.* Vitam pauperem, asperitates, contemptus, improperia, tormenta, mortemq; ipsam infamem ardore ineffabili expectabat, iuxta illud: Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperium cor eius expectavit & miseriam. Age gratias, propone imitari.

*In Christo fuit timor Dñi, quatenus in eo fuit affectus reverentiæ ad Deum.*

modo

*Punctum 2dum.* Expende deinceps quomodo actus externos humilitatis exercuerit infans Deus, domum propriam non habendo, in stabulo nasci volendo, in præsepio iacendo, vilibus pannis se ligari permittendo inter iumenta reclinari non dedignando, idq; ob hos potissimùm fines: *1mo.* Ut nostram Superbiam confunderet & expiaret. *2do.* Ut ad sui imitationem provocaret. Unde S. Gregor: lib: 34. Mor: c: 18. ait: *Ad hoc vnigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc invisibilis non solùm visibilis sed & despectus apparuit: vt superbum non esse hominem humilis doceret Deus.*

*Punctum 3tium.* Reflecte oculos in te, & vide qualiter humilem Christum imiteris: Christus Dominus cum esset Filius Dei, factus est filius hominis, & mira humilitate se filium hominis appellabat: tu generis jactas nobilitatem; aut de ignobili erubescis ortu! Christus Dominus paupertatem, ignominiam, contemptum elegit: tu pecunias & honores quæris. ille dura & aspera amplexus: tu mollia appetis: ille omnia Patri suo æterno referebat: *Omnia mea tua sunt.* tu de donis Divinis quasi de proprijs gloriaris. dole, & disce. 1mo. Quod patritium genus, & primatus inter Monachos non debent esse tu-

*Tria discenda vt sis humilis.*

se tumoris, sed humilitatis occasio, scienti Filium Dei factum esse filium hominis. Disce 2do. Quantumcunq; te dejeceris Christo; humilior non eris. Disce 3tio. Vt necdum quidquam fecisse tibi videaris, donec ad hunc gradum pervenias, quòd nolis aliquid reputari, sed sperni, ut vilis & abjectus; qui enim existimat se aliquid esse, cùm nihil sit: ipse se seducit. *Galat: 6.*

*Hieron: ad Pammachum.*

*Bonaven: in Medit: Vitæ Xsti.*

## SEPTIMA DIE.
### *De actibus Obedientiæ Christi Domini.*

PUnctum 1mum. Salvator noster, sicut à principio vitæ suæ accepit mandatum Patris circa salutem generis humani; ita à principio ejusdem *factus obediens usq; ad mortem*. ad Philipp: 2. Expende qualiter infans Christus obedientiæ actûs internos prosecutus sit. 1mo ad omnia quæ sibi à Patre injuncta sunt agenda se offerendo. 2do. ad omnia quantumvis indigna & atrocia, tam quo ad animam, quam quo ad corpus sustinenda sese resignando. 3tio. Omne Patris sui beneplacitum tam circa se, quàm circa alios homines complendum, intellectu reverenter probando, & voluntate amplectendo. 4to. vnicuiq; homini propter glori-

am Patris sui ministrare & obedire desiderando. Et tu te ipsum offer ad omnia quæ Deus mandat agenda ac sustinenda.

*Punctum 2dum.* Expende quomodo procedente ætate, non suam, sed Patris voluntatem tam internè, quàm externè faciebat: quomodo Parentibus, atq; alijs hominibus obtemperabat, jussa eorum & nutus observando, atq; humiliter exequendo: quomodo demum tota vita Christi Domini nil aliud fuit nisi mera obedientia; ita quidem, ut etiam suis tortoribus fuerit in passione obedientissimus. Quare autem? 1mo. ideo, vt sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per unius hominis obedientiam justi fierent multi, ut dicitur ad Rom: 5. 2do quia obedientia melior est quàm victimæ, & magis Deo placet, quàm Sacrificia & holocausta. Vnde Christus Dominus ad Patrem æternum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. scilicet ad obediendum tibi. 3tio ut per obedientiam, victoriam de hoste nostro, nimirum morte, & mortis authore obtineret. Miles enim vincere non potest, nisi duci obediat. *Et vir obediens loquetur victorias.* Vide quantùm Deo placet obedientia. Propone Christum imitari in obediendo.

*Causæ obedientiæ Christi.*

*Prov: 1.*

*Pun-*

*Punctum 3tium.* Nec mirum quod à momento conceptionis actus obedientiæ (ut & alios internos, qui semper fuêre perfectissimi) eliciebat Salvator noster: quia statim fuit perfectus homo. *Mox ut Verbum venit in uterum, servata virtute propriæ naturæ factum est Caro & perfectus homo.* ait S. August: lib: 13. de Trinitate. ideoq; statim habuit usum rationis, & liberi arbitrij exercendo operationes intellectûs & voluntatis: perfectio enim ultima sita est non in potentia vel habitu, sed in operatione. Et idcircò statim nobis ab initio conceptûs sui cæpit mereri, meruitq; salutem æternam: nec plus nobis per sequentia vitæ & passionis merita obtinuit; quàm per unicum actum in primo instanti conceptionis elicitum: ex pluribus tamen causis, & pluribus titulis, eandem salutem nobis successivè promeruit. Quare S. August. super Exodum dicit: *Non habuit omnino Christus, juxta animæ meritum quo potuisset proficere.* Age gratias. Propone gratificari per vitam rectam. Nullum instans fuit quo tibi Christus non vixerit, non meruerit: nec tibi vllum labatur tempus quo eum non audias, non ames,

MEDI-

# MEDITATIONES

## *Ad fervorem Spiritûs permoventes.*

## In Octava Nativitatis.

### *De Circumcisione Pueri IESU.*

PUnctum 1mum. *Ut circumcideretur Puer* Luc. 2. JESUM in spelunca Nativitatis suæ circumcisum esse testatur S. Epiphanius. Voluit autem circumcidi. *1mo.* Ideo vt ostenderet veritatem carnis humanæ à se assumptæ. Futuri enim erant hæresiarchæ qui eam negarent vt Manichæus & Apollinarius. *2do.* Ut approbaret circumcisionem: quam *tanquam diabolicum sacrilegium & idololatriam esse à quibusdam abominandam* prævidebat. *3tio* Ut comprobaret se esse de genere Abrahæ qui mandatum circumcisionis acceperat. *4to.* ne Judæi excusationem haberent si eum non reciperent, tanquam incircumcisum. *5to.* Ut obediendi virtutem nobis suo commẽdaret exemplo. *6to.* Ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium quo caro peccati mundari consueverat non respueret. *7mo* Ut legis onus in se suscipiens, alios à legis onere liberaret. Age gratias quod ex his alijsq; sibi notis causis circumcisionem pro te susceperit. Ora dari tibi virtutes: obedientiam, Humilitatem, Patientiam, Cha-

*Apud Baron tom:1.*

*Causæ Circumcisionis.*

*August: in Epist: ad Hieronym.*

ritatem: quarum ſpecimen in Circumciſione Chriſti habes. Adora Sanguinem pretioſum infantis Dei pro te effuſum, eumq; Patri æterno pro tuis offer delictis & per eundem precare vt in ſanctitate & juſtitia annum inchoatum tranſigas.

*Punctum 2dum. Vocatum eſt Nomen eius IESUS.* Convenientiſſimè hoc Nomen Chriſto Domino impoſitum. *1mo.* Ideo, quia Nomina quæ imponuntur Divinitùs, ſignificant ſemper aliquod gratuitum donum Divinitùs datum illis quibus imponuntur. Quia igitur Chriſto Domino hoc munus gratiæ collatum erat, vt per ipſum omnes ſalvarentur; ideo convenienter vocatum eſt Nomen eius IESUS, id eſt Salvator. *2do.* Ideo quia in hoc Nomine continentur omnia Nomina Chriſti, prænuntiata à Prophetis vt Nomen *Emmanuel nobiſcum Deus*, quod ſignificat cauſam ſalutis noſtræ, nimirum vnionem Filij Dei cum natura humana vti illa Nomina: Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, quæ ſignificant victoriam ex diabolo hoſte noſtro vti & illa, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, quæ ſignificant modum ineffabilem & admirabilem ſalvationis noſtræ. vti demum illa: Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, quæ ſignificant finem vltimum Salvationis Noſtræ.

*3tio*. Ideo quia hoc Nomen omnia officia Christi exprimit vt Redemptoris, Doctoris, Ducis, Advocati, Pastoris, Medici, & alia. Esto mihi o IESU Emmanuel: esto mihi Consiliarius, Accelera: festina prædari hostes meos. Sis mihi Pater futuri sæculi Princeps pacis.

*Punctum 3tium*. Expende nominis huius dignitatem. Nam in Nomine IESU omne genu flectitur, Cælestium, terrestrium & infernorum. 2do. Novitatem: de eo Isaiæ 62. dicitur: Et vocabitur tibi Nomen novum quod Os Domini nominavit. Quam vis enim antea habuerint aliqui Nomen hoc non tamen ita sicut Christus; quia illi solùm tanquam particularis alicuius & temporalis salutis datores, hoc nomine vocati sunt: at Christus tanquam vniversalis & Spiritualis salutis Auctor. *Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum*. Quis hoc vnquam fecit? ¡Verè Nomen novum, saluare à peccatis! 3tio Efficaciam & virtutem, *Omnis qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit*. Et non est aliud sub Cælo nomen, in quo oporteat nos salvos fieri. 4to. Suavitatem: ait enim Bernardus: Nomen IESU mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. O Nomen dulce, Nomen delectabile, sis semper in ore meo: in corde

*Matth: 1.*

meo. Non vivam ſinè te: non moriar ſinè te! Sanctifica omnes dies, omnia momenta, anni quem ingredior.

Propoſitum fervoris Novi. Virtus *Religio* ſeu *devotio.*

Teſſeræ: *Sit Nomen Domini benedictum in ſæcula, ante Solem permanet Nomen eius. Benedictus es Domine in firmamento Cæli, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.*

*O IESU Noverim me, noverim te: nec aliquid cupiam niſi te.* Eſto mihi IESUS & ſalva me.

## PRO DIE II. JANUARII.

### *De tranſacto tempore.*

*Præludium 1mum.* Statue te vivâ fide coram Deo omnium bonorum atq; etiàm temporis largitore.

*Præludium 2dum.* Pete gratiam ut cognoſcere poſſis quomodo anni elapſi tempus traduxeris quantùmve profeceris.

*Punctum 1mum.* Conſidera quàm variè Dominus Deus ſua dona atq; adeo & tempus diſtribuit: uni longius, alteri brevius: uni lætius, alteri mæſtius. Et tu quòd hucuſq; vivas, quod anno præterito morte naturali aut fortuitâ non ſis oppreſſus, ab eodem omnium bonorum datore habes. Percurre mente exempla

eorum

eorum qui anno præterito vario mortis genere decesserunt. Age gratias quod tibi pænitendi & ampliùs merendi causâ, longioris vitæ spatium concesserit Deus.

*Punctum 2dum.* Considera quâm variè homines tempus à Deo sibi datum consumant: aliqui in pietatis, aliqui in nequitiæ operibus. Examina & tu te ipsum quomodo tempus anni præcedentis expenderis: qualiter Menses, Hebdomadas, dies, horas insumpseris: quot ex ipsis devotioni, vigilijs, orationi, meditationi, pio labori, choro, Obedientiæ; & quot otio verbis inutilibus, commoditatibus corporis, somno, deambulationibus dederis? Discute postea quantùm profeceris in vitijs extirpandis, vel virtutibus acquirendis: & affectus congruentes elice.

*Menses in Anno 12. Hebdom: 52. & dies vnus. dies 365. & 6. fermè horæ. Horæ 8766.*

*Punctum 3tium.* Considera excellentiam & pretium temporis: 1mo quia per illud plurima illaq; æterna bona homo lucrari potest. O si vel vnica ex eo horula damnatis vel in purgatorio detentis concederetur: quantùm gauderent, quantùm in operãdo fervèrent. 2do. quia semel elapsum, nunquam amplius revertitur: pecunia amissa semel, potest recuperari vel inveniri; tempus semel perditũ, æternùm perditum est. 3tio. quia singula eius momenta non possunt emi, vel auro æstima-

*Excellentia & pretium temporis.*

ri. Quanti ergo faciendum, quàm benè expendendum, quàm amarè vel minima eius jactura deflenda! quanto ſtudio reſarcienda! Teſſera aliqua ex poſitis in fine meditationis heſternæ frequentetur.

## PRO DIE III. JANUARII.

### *De Tepiditate.*

Præludia vt immediatè ſupra.

*Omnis tepidus & negligens, eſt proxim. lapſui*

PUnctum imum. DEUS tepidos deteſtatur & nauſeat. *Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc: 3. quo loco negligentibus comminatur ſubtractionem gratiæ, quæ eſt pænarum maxima. *Et Sancti* inquit Hieron: ad Iulianum, *corruunt ſi negligentes fuerint.* Permittit eos ſcrupulis & perplexitatibus anguſtiari: mærore, ariditate, turbâ paſſionum & tentationum premi.

*Laceratur varijs cogitationibus & tentationibꝰ.*

Examina te quoties fueris acedioſus & tepidus in rebus Divinis. Dole, propone ferventer Deo ſervire & omnia tui officij alacriter peragere, ac quotidie te ad novum fervorem ſtimulare juxta conſilium Thomæ à Kempis: *Omni die renovare debemus propoſitum noſtrum & ad fervorem nos excitare, quaſi hodie primùm ad converſionem veniſſemus atq; dicere. Adiuva me Domine Deus in bono propoſito & Sancto ſervitio tuo,*

*Oratiuncula quotidiana ad renovandum Spiritum.*

*& da mihi nunc hodie perfecte incipere; quia nihil est quod hactenus feci. l. 1. c. 29.*

*Punctum 2dum.* Expende damna, quæ homini ex tepore advenire solent in vita, in morte, post mortem. in vita multis gradibus gratiæ privatur tepidus, item multis solatijs & meritis; è contra multis maculis inquinatur, periculis lapsuum exponitur, amaritudinibus repletur: in morte tepiditas minuit filialem fiduciam, alacritatem resignationis obtundit; è contra horrorem mortis incutit, & in periculum desperationis inducit: post mortem impedit celerem fruitionem Dei, privat multis gradibus gloriæ. Fuga & detestatio tepiditatis omnisq; acediæ.

*Mala tepiditatis in vita, in morte, post mortem.*

Propositum, Tessera, Virtus ut in die Circumcisionis Domini.

## PRO DIE IV. JANUARII.

### *Meditatio ad fervorem pietatis alliciens per exempla.*

PUnctum 1mum. Considera exemplum Christi, qui ferventissimè & intensissimè operabatur salutem nostram statim à Conceptione sua per actus internos, postea etiam per externos, qui in infantili ævo fuerunt: Nativitas in stabulo, frigoris & nuditatis tolerantia, effusio Sanguinis cum circumcideretur, fuga in Ægy-

*Torporem excutiunt exempla Christi.*

ptum; creſcente ætate creſcebant in immenſum labores vſq; ad ipſam ignominioſiſſimam mortem. Propone item tibi ob oculos exemplum Virginis Beatiſſimæ cum ſummo fervore orantis, meditantis, laborantis, ad auxilium proximorum cum feſtinatione currentis. Expende quoq; fervorem variorum Sanctorum, vt S. Patris Pauli Primi Eremitæ, qui niſi fervidè vixiſſet rigorem illum & tantã ſolitudinem non valuiſſet ſuſtinere: aliorum quoq; Eremitarum ac Sanctorũ quorumvis, quorum vitam exploratam habes. *Priſci Sancti Patres qui in Eremo vixerunt dati ſunt in exemplum omnibus religioſis: & plus provocare nos debent ad proficiendum quam tepidorum numerus ad relaxandum.* ait Thomas á Kempis l. 1. de Imitatione.

*Deiparæ.*

*S. Pauli 1. Eremitæ & aliorũ Eremitarum.*

*Punctum 2dum.* Conſidera exempla viventium Fratrum, quomodo alacriter ad matutinas ſurgunt, ad diurnas feſtinant; quomodo devotè & ferventer celebrant, proximorum ſaluti ſtudent, orationes vocales prolongant, vivunt Sanctè & compoſitè. Vide & fac ſimiliter. Quod ſi tepidum ac negligentẽ vides, noli æmulari in malè agentibus, ſed condole & excita.

*Fratrum viventiũ.*

Status vitæ Religioſæ eſt Scala Iacob, in qua alij aſcendunt, alij deſcendunt: hoc eſt, alij proficiunt, alij deficiunt;

*Scala Iacob Quæ?*

*Non te terreant descendentes* monet S. Hieronymus *sed provocent ascendentes. Nunquam à malis exemplum sumitur: etiam in sæculi rebus à meliori parte incitamenta virtutum sunt.* Vidit Iacob innitentem scalæ Dominum; *vt lassis manum porrigeret, & ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu.* Ora Christum Dominum vt tibi quoties lassaris manum porrigat, teq; ad finalem ascensum animet.

*Ad Iulianum.*

*Punctum 3tium.* Perpende insuper exempla hominum sæcularium. Hi si mercatores sunt, die noctuq; per mare, per terras currunt lucelli gratiâ: agricolæ manè surgunt, portant pondus diei & æstûs, vt victum quærant: similiter Oeconomi & opifices. Ergo ne prudentiores & ferventiores erunt filij sæculi huius filijs Dei? ergo lucellum vnum meretur tantos labores & sudores? Regnum Cælorum non meretur? Quod si hæc non movent, vade piger ad formicam, vade ad apes variaq; irrationalia, & vide quomodo omnia officio suo fervidè funguntur ad quod creata à Deo: tu ratione præditus nihil minus curabis quàm fini ad quem conditus es satisfacere? Propositum vt supra. Tessera ejaculatoria aliqua ex positis in fine meditationis de Circumcisione Domini.

*Sæculariũ*

*Irrationalium.*

## PRO DIE V. JANUARIJ

*Meditatio ad fervorem & devotionem invitans, nostri ipsorum, & Virginis Beatissimæ consideratione.*

*Homo templum Dei vivum.*

PUnctum 1mum: *Vos estis templum Dei vivi* ait Apost: Templum est domus orationis; unde & oratorium dicitur. Quivis itaq; homo, & præcipuè cultui Divino, singulari ratione mancipatus, orationis domus esse debet. In templo quid aliud fieri vides, nisi Sacrificia, Meditationes, Lectiones spirituales, cantus & id genus cultus Divinos: ita pariter in nobis eadem exercitia semper fervere debent; & eò magis quòd sumus templum Dei vivi, vivum & animatum.

*In templo quid agitur.*

*Beatissima thuribulum aureum & sacrarium SS. Trinit.*

*Punctum 2dum.* Beatissima Virgo à Sanctis Patribus appellatur *Thuribulum aureum.* eò quod ex ejus corde, continuò svavissimus odor incensorum, hoc est affectuum piorum, & orationum ascendebat ad Dominum: ob eandem rationem Templum & Sacrarium SSmæ Trinitatis appellatur. Si filij veri sumus, imitemur. Propositum, tessera ut supra. Oratio fiat ad Virginem Beatam, ut à te torporem omnem amoveat. *Vitæ forma, morum norma, plenitudo gratiæ, Dei templum & exemplum, totius justitiæ, tuá dulci prece fulci*

*suppli-*

*supplices & refove; quidquid gravat vel degravat mentes nostras, remove.*

# MEDITATIONES
## Fidem in nobis aucturæ.
## Pro Festo Epiphaniæ Domini.
### *Meditatio de tribus Regibus Magis.*

P*Unctum 1mum.* Tres Magi ab Oriente, stellâ duce, Hierosolymam venerunt. Considera 1mo mirabilem DEI providentiam; qui sicut supra per Angelum Filij sui nativitatem pastoribus manifestavit, ita nunc gentibus per novam stellam. 2do. Charitatem pueri IESU, qui omnes homines ad se trahit, è vicino pastores, è longinquo Reges. 3tio. Fidem & fortitudinem Magorum, qui constanter Regem natum coram Rege Iudæorum confitentur, & quærunt. Vide quanto gaudio & alacritate iter peragunt! Propone fervorem eorum imitari in rebus Divinis. Ora ut quod proponis exequaris.

*Punctum 2dum. Ubi est qui natus est Rex Iudæorum?* Nullum alium Regem Iudæorum adorandum quæsierunt Magi: neq; alteri cuiquam hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ, & ab eodem regno prorsus extranei à se deberi arbi-

arbitrabantur, sed soli illi quem Regem Cæli agnoscerent, Deumq; simul & hominem crederent, & à quo salutem animæ consecuturos se, minimè dubitarent. Hoc idem crede & tu. *In Bethleem Iudæ.* Iudæi indicantes Magis locum Nativitatis Christi, similes facti sunt fabris Arcæ Noe, qui alijs vbi evaderent præstiterunt, & ipsi diluvio perierunt. Audierunt & abierunt inquisitores: dixerunt & remanserunt doctores, similes lapidibus milliarijs qui viam ostendunt nec ambulant. Cave ne sis de numero eiusmodi doctorum. Sapiant prædicatores. Docere & non facere Pharisaicum est.

*S. August. serm: de Epiphan.*

*S. Thomas*

**Punctum** 3tium. *Intrantes domum invenerunt puerum, &c.* Contemplare Magos supplices in terra prostratos cum summa exultatione Spiritûs Christum salutantes: Divinam Maiestatẽ in infantilibus membris confitentes: se ipsos priùs, mox & munera offerentes. Contemplare dulcem Iesum Regibus arridentem B. Virginem & Iosephum munera humiliter recipientes. Expende etiam mysterium munerum oblatorum. Per aurum Regia dignitas, per Thus Divinitas, per Myrrham humanitas & amarissima passio Christi designatur. Moraliter per aurum charitas, per thus oratio seu devotio, per myrrham morti-

mortificatio intelligitur. S. Epiphanius obſervat munera hæc fuiſſe ſpolia ex victoria illa celebri Abrahæ. Offer tu quoq; Iesulo animam tuam cum tribus potentijs intellectu, voluntate, memoriâ. Confitere ipſum eſſe Deum, hominem, Regem Cæli & terræ, Age gratias pro immenſa charitate erga nos. Age gratias, pro omni oratione & mortificatione ipſius propter nos facta. Statue per charitatem devotionem & mortificationem gratificari; omnem victoriam tuam, ex carne, mundo, & diabolo, Chriſto adſcribe & offer. Inſuper qui Chriſtum agnoviſti & ab eo receptus es in gratiam, noli redire ad Herodem diabolum: & diſce, quoties per Sacramenta Deo reconciliaris, aliam tibi converſationis viam ineundam eſſe. Placebit Deo tuo, loco muneris pretioſi.

*S. Epiphaniꝰ ſcribit quod Abraham relegando à ſe filios ſuos ex Cethura in Magodiā Regionē Arabicam cū pecunijs & varijs opibus, dedit ipſis etiam ex illa celebri victoria dona Sacra, thꝰ myrhā & aurum Regū Sodomorū & Gomorrhæ in peris concluſa propter Meſsiā ſervāda, quæ ſucceſſu tēporis Magi eorū*

*Propoſitum* aliquoties per diem adorandi Chriſtum in Euchariſtia, eiq; actus Fidei, Spei, & Charitatis offerendi, & pro beneficio vocationis ad fidem gratias agendi.

*Exercitium* Virtutis fidei.

*Eiaculatoria oratio* aliqua ex ſequentibus:

Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo?

O lux quæ illuminas omnem hominem veni-

*Postери ob. tulerunt Christo. Apud Baron: tom: 1*

venientem in hunc mundum: illumina me, accende me!

Ostende te mihi consolator meus videam te lumen oculorum meorum: videam te lætitia cordis mei! *S. Aug.*]

## Pro die II. infra Octavam Epiphaniæ.

### *Meditatio de oblatione Pueri IESU in Templo.*

*Luc: 2.*

PUnctum 1mum. *Tulerunt Iesum in Hierusalem vt sisterent eum Domino: & vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini par turturum aut duos pullos columbarum.* Considera 1mo humilitatem IESU: Natus est vt pauper, Circumcisus vt peccator, redemptus legali hostiâ quasi servus. Considera 2do Mysterium avium pro Christo oblatarum. Nam turtur quia est avis loquax, significat prædicationem & confessionem fidei: quia verò est animal castum, significat castitatem: quia insuper est animal solitarium significat contemplationem; columba vero est animal mansuetum & simplex, ideo mansuetudinem & simplicitatem significat; est etiam animal gregale, vnde vitam activam denotat: & ideo huiusmodi hostia figurabat Christi & membrorum eius in vtraq; vitâ scilicet activâ & contem-

*Turturis & colũbæ proprietates & mysteria.*

*Oblatio hæc vitã contemplativam & activam*

tem-

templativâ perfectionem. Virtutes has & vtramq; vitam perfice in me Domine vt tibi oblatio fiam acceptabilis.

*Christi ac Sanctorũ ejus præfigurabat.*

*Punctum 2dum.* Aviculæ istæ propter consuetudinem gemendi, designant etiam præsentes Sanctorum luctus: turtur quidẽ vt potè solitaria secretas, orationum lachrymas, columba verò quæ est gregalis, designat publicas, Ecclesiæ orationes. Utrumq; verò animal duplicatum offerebatur, ad demonstrandum, Sanctitatem debere esse, & in anima & in corpore. Vide an sint proprietates harum in te avium nec ne! si sunt, pertines ad Corpus Christi; si non sunt, cura & ora vt sint.

*Gemitus turturis & colũbæ quid significat?*

*Quare par turturum aut columbarum offerebatur?*

## Pro die III. infra Octavam Epiphaniæ.

### *Quibus, quando, qualiter manifestata Nativitas IESU Christi: & vnde meruit Simeon videre ac gestare eundem?*

PUnctum 1mum. *Venit Simeon in Spiritu in templum.* Luc: 2. Vide quomodo Nativitas Christi varijs, vario tempore manifestata est. Nam 1mo manifestata est pastoribus ipsâ illâ nocte, qua Christus natus. 2do. Manifestata est Magis tertio-decimo die à Nativitate: quo die

*Manifest: Christi Nativit: varijs facta.*

Festum

Festum Epiphaniæ celebratur. Pervenerunt autem Magi à longè ad cunas Christi in tam brevi tempore, tum virtute Divina, tum velocitate dromedariorum. 3tio. Manifestata est iustis in Templo, hoc est, Simeoni & Annæ, quadragesimo die à Nativitate ipsa. Per pastores designantur Apostoli quibus primò innotuit fides Christi: per Magos plenitudo gentium: per iustos plenitudo Iudæorum, qui novissimè ad fidem convertentur. Age gratias quod & tibi in persona Magorum sit monstrata Nativitas Salvatoris & gratia fidei donata. Propone opera fidei conformia exercere.

*Punctum 2dum.* Expende convenientiam signorum, quibus Christi Nativitas manifestata: pastoribus facta manifestatio per Angelum, Magis per stellam, iustis per instinctum Spiritûs Sancti. Pastores enim Iudæi erant: Iudæis autem consuetum fuit responsa Divina per Angelos accipere: gentilibus porro consuetum maximè verò Astrologis, quales hi Magi erant, stellarum cursus inspicere; justis demum familiare per interiorem instinctum Spiritûs S. edoceri absq; visibilium signorum demonstratione. Adora & admirare Divinam Providentiā hominibus se accommodantem, & per signa vsitata eos vocantem

Pun-

*Punctum 3tium.* Expende causas ob quas meruit Simeon videre & gestare Salvatorem. 1mo. Quia in eo erat Spiritus Sanctus. 2do. quia erat justus, hoc est à peccatis immunis. 3tio. quia timoratus timore filiali. 4to. quia expectans redemptionem Israel. Has virtutes & tu cura habere, vt Christum Dominum in sacra Communione merearis, cum spiritûs exultatione recipere.

## Pro Die IV. infra Octavam Epiphaniæ.

*Meditatio de fuga Christi in Ægyptũ.*

PUnctum 1mum. Herode ex auditis quæ in templo facta fuerant turbato ac se illusum à Magis indignante, monitus est Ioseph in somnis per Angelum, ut in Ægyptum fugeret cum Puero & Matre ejus. Quare Christus Dominus fugit, cum potuerit furorem Herodis infinitis modis compescere, vel declinare. Fugit 1mo ideo & in Ægyptum fugit: ut imitaretur Abraham & Iacob & filios Israel, qui peregrinati sunt in Ægypto: & ut compleret in se secundùm veritatem Scripturam illam: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, quæ secundùm figuram in Israele verificata fuit. 2do. Ut ostenderet se esse

*Baronius tom. 1.*

verum Ioseph, verum Salvatorem mundi, qui Ægyptum & totum mundum inopia panis cælestis laborantem ipse Panis cælestis reficeret. 3tio. Ut ostenderet se similem Moysi: qui populum electum de servitute Pharaonis diaboli liberaret. Promiserat Dominus *Deutoron 18.* Prophetam similem Moysi. Verè similis Moysi Christus. Ille Pharaonis, hic Herodis persecutionem sustinuit. Moyses dum cæteri parvuli necantur, mirabiliter servatus est: etiam Christus. Moyses parvulus ludens de capite Pharaonis coronam dejecit: Christus Herodi & coronam & vitam in brevi tempore ademit. Agnosce recapitulationem priorum temporum in Christo factam: & quidquid antea per Patres factum est, vmbram fuisse, & præsignationem futurorum Christi gestorum intellige.

*Christus similis Moysi.*

*Punctum 2dum.* Morales causæ hæ sunt: Ut populum gravissimis erroribus idololatriæ implicatum ad fidem & sanctimoniam initiaret. Ubi plures & monstrosiores erant superstitiones quàm in Ægypto, quæ per adventum Christi cum fanis & idolis corruerunt? Ut deserta Ægypti in quibus olim ad iracundiam Dominum provocaverant Iudæi immolantes Beelphegor, sanctificaret & habitationi Eremi-

*Ægyptiorum superstitio non quievisset nisi Dominus omnium in corpore quasi in nube vectus eo de-*

Eremitarum præpararet. Ut nos doceret non resistere malis, sed furori eorum cedere, & quidem magis timore peccandi, quàm timore mortis. Ut item doceret quò Herodem diabolum membraq; eius & omnem malorum societatem fugiamus. Fugit autem de nocte, vt fuga quæ per se difficilis est & molesta, noctis obscuritate fieret difficilior. Fugit ex Palæstina in Ægyptum. Palæstina religionem, Ægyptus sæculum notat. Non rarò enim sanctius vivunt sæculares quàm regulares: ideò ab his ad illos se transfert Christus. Vide ne tibi hoc contingat.

*scendisset & idolorũ errores cõpescuisset. Athan: de Incarnat: Verbi.*

*Punctum 3tium.* Quare autem portatur Christus Dominus? Licet enim per infantilis corpusculi infirmitatem ambulare nequiverit tamen id etiam non sinè mysterio fuit quòd gestari voluerit. Portatur itaq; ideo, vt ostendat quod sicut ipse fugiens Herodem portatus est: ita filios Israel fugientes Pharaonem portaverit: & portet semper electos suos. *Oseæ 11:* Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis. Et in Deutoron: *Portavit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare parvulum filium.* Portatur vt nos quoq; membra Christi, filios & subditos nostros portemus in sinu nostro, labores & fatigia ipsorum in nos assumen-

ſumendo, & periculo mortis temporalis, ac multò magis æternæ eos ſubducendo. Expende hìc qua charitate, patientia, reſignatione fugam hanc Chriſtus IESUS cum Matre & Ioſepho ſuſceperit & abſolverit: qua cura & ſolicitudine toto ſeptennio B. Virgo Filium educarit in civitate Hermopoleos: qua reverentia contrectarit: qua lætitia exultarit, dum creſcente ætate ambulantem orantemq; videret. Age gratias IESU Chriſto pro omnibus incommodis, quæ tui causâ paſſus. Ora vt tam in proſperis quàm in adverſis portet te ſemper in brachijs ſuis. Propoſitum, Exercitium, Teſſera vt in Feſto Epiphaniæ.

*Hermopolis civitas Thebaidis habitatio Chriſti,*

## Pro Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

### *De aſcenſu Chriſti duodennis in templum.*

PUnctum 1mum. Poſt reditum ex Ægypto IESUS duodennis è Nazareth peregrinatus eſt Hieroſolymam ad diem feſtum. Conſidera 1mo quanta devotione Beatiſſima Virgo cum IESU & Ioſepho aſcenderit Hieroſolymam licet ad id non teneretur; & diſce opera ſupererogationis facere. Conſidera 2do & mente con-

contemplare puerum Iesum cum Matre ac Iosepho iunctis manibus ardenter orantem. O vtinam ex illo ferventium precum igne vel vnica scintilla cadat supra frigidas orationes nostras!

*Punctum 2dum.* Remansit in templo IESUS nescijs Parentibus: & post triduum inventus inter Doctores interrogans & respondens. Expende 1mo. Christum inveniri in templo, in orationibus, in Sacramentorum vsu, in sacrificijs. Expende 2do interrogasse non ut aliquid (vt ait Origenes super Lucam) addisceret, sed vt interrogans erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare & respondere sapienter. Expende 3tio. non fuisse conveniens dignitati Christi, vt à quocunq; homine doceretur. de eo enim dicitur Isaiæ 55. *Ecce testem populis dedi eum Ducem ac præceptorem gentibus.* Præceptoris autem non est doceri sed docere. Disce frequens esse in oratione. Disce de divinis rebus crebrò conferre.

*Christus interrogat vt erudiat.*

*Non convenit ei doceri.*

*Punctum 3tium.* Duodecimo ætatis anno dignatus est Christus Dominus homines interrogare. quia, vt ait D. Thomas, nihil fecit quòd non congrueret suæ ætati: & ideo audiendis doctrinæ sermonibus non accõmodavit auditum nisi illo tempore quo poterat etiam per viam ex-

*Docendi authoritas non convenit nisi perfectæ ætati.*

perientiæ talem ſcientiæ gradum attigiſſe. Et ſecundùm S. Gregorium ſermo doctrinæ non competit niſi perfectæ ætati. Diſce ſanos maiorum diſcurſus cum reverentia auſcultare & de dubijs interrogare. Diſce non ſapere vltra ætatem, nec ſupra ſenes intelligere, ſed humiliter judicium tuum ſubmittere ſenioribus.

## Pro die VI. infra Octavam Epiphaniæ.

### *De vita Chriſti privata vſq; ad annum trigeſimum.*

PUnctum 1mum. Brevibus annos complures vitæ Chriſti Domini complexus eſt S. Lucas dicens. *Erat ſubditus illis: & proficiebat ſapientia & gratia apud Deum & homines.* Trutina inprimis verba illa: *erat ſubditus illis.* Quis, cui, quibus in rebus, & quomodo?

*Qua ſapientia Chriſtus proficiebat.*

*Punctum 2dum.* Trutina poſtea verba illa: *Proficiebat Sapientia.* Quis? ille, in quo ab inſtanti conceptionis abſconditi erant theſauri Sapientiæ & Scientiæ Dei. Quomodo proficiebat? *ſecundùm humanam ſapientiam.* id eſt, experimentalem, quæ nimirum humano modo ſcilicet per ſenſum & experientiam acquiritur: at non proficiebat in ſcientia Divina, quia hæc augeri non poteſt: neq; in beata neq; in

*Ambroſ: ſuper Lucam.*

infuſa

infusa, cum hæc vtraq; à principio fuerit ipsi plenariè indita, videbatur tamen proficere etiam in his, quia crescente ætate maiora & subtiliora opera faciebat quæ maiorem sapientiam & gratiam eiusdem demonstabant. Quare proficiebat? vt exemplo suo doceret quàm ipsi sit gratum si quotidie crescamus in virtutibus & donis Spiritûs S. vt item nos doceret quòd secundùm incrementum ætatis maiora, hoc est, maioris prudentiæ & gratiæ opera exercere debeamus.

*Non augebatur in Christo scientia vlla quo ad habitũ nisi sola experimẽtalis. sẽper tamen etiã hæc scientia fuit in Christo perfecta secundum tempus: quamvis secundùm naturam non semper erat perfecta, ideoq; capax augmenti.*

*Punctum 3tium.* Trutina demum solitudinem: quia cum esset Rex gloriæ, tantopere latere voluit, idq; ideo, vt nos instrueret iactantiam fugere, & à tumultibus causa orationis & contemplationis abscedere. Aliqui ex verbis S. Marci. *Non ne hic est faber, Mariæ Filius*, coniiciunt Christum Dominum eo tempore quo latuit, fabrilem artem exercuisse. Unde poteris considerare cum quo fervore fabrilia tractaverit: quomodo abiectiores labores pro nobis ferre desiderarit: quomodo Deo Patri opera manuum suarum obtulerit: quomodo Angeli obstupuerint fabricatorem mundi, tam humilem artem exercere. Age gratias. Imitari labore manuali propone.

## Pro Die VII. infra Octavam Epiphaniæ.

### *De excellentia virtutis Fidei.*

*Verbum Dñi fons omnis rectitudinis ipsaq; increata rectitudo.*

PUnctum imum. *Rectum est Verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.* Pl. 32 VERBUM enim CARO FACTUM, in quo est omnis rectitudo, omnia opera miraculosa quæcunq; fecit, fecit in fide credentium. Unde quia cæcus *Marci 8.* fidem valdè infirmam, & modicam habuit; ideo non subitò, non statim ut aliàs, sed cum mora, & quasi per gradus quosdam (uti fit in curationibus humanis) sanavit eum. *Vt sanaretur oculus ad videndum: inungendus erat ad credendum.* S. August: in Matth. Jta author fidei, & consummator JESUS Christus diligit fidem nostram! Ora ut adaugeat fidem tuam.

*Omnia opera eius in fide.*

*Punctum 2dum.* Tanta est dignitas virtutis hujus, ut ejus merito omnia planè miracula sua Christus Dominus adscripserit. Cæcis Matthæi 9. dixit: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Pro fide illorum (aitAug:) fecit Dominus: instauravit oculos eorum. Hemoroissæ: *Confide filia, fides tua salvam te fecit.* Chananeæ Mat: 15. *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Marthæ Joannis 11. *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Marci 9. *Omnia possibilia sunt credenti.*

Petrs

Petrus in virtute fidei ambulavit ſupra aquas: quando cæpit dubitare, cæpit etiam mergi; unde ipſi dictum: *Modicæ fidei quare dubitaſti. Fide valuit Petrus quod humana infirmitas non valeret*, ait S. Auguſt: in Matth: ſer: 14. Age gratias pro beneficio vocationis ad fidem. Propone firma fide deinceps orare.

*Punctum 3tium.* Et hoc eſt, propter quod toties illam vel illam virtutem, illud bonum ſpirituale (cum tamen ad ſpiritualia conferenda ſit Deus promptiſſimus) aut corporale non impetras, quia ſinè fide viva oras, plerumq; dubitando aut magis propendendo in hanc partem, quod Deus non exaudiet petitiones tuas. Dic ergo: *Credo Domine. adiuva incredulitatem meã. Ambula per fidem, vt pervenias ad ſpeciem. Species non lætificabit in patria, quem fides non conſolatur in via.* S. Aug. ſerm: 18. in Matth.

*Cur quæ petimus, non accipimus?*

## Pro die VII. Epiphaniæ
### *De Baptiſmo Chriſti Domini.*

P*Unctum 1mum.* Cum iam tempus adveniſſet quo Chriſtus Dominus ſeſe mundo vt Doctor & ſalvator manifeſtare debebat: licet puriſſimus eſſet imò puritatis totius fons, petijt à Ioanne baptiſari, propter has cauſas quæ ſeqvuntur.

*Causæ ob quas Christus voluit baptisari.*

1mo. Ut justitiam omnem impleret. 2do. Ut exemplum humilitatis Doctoribus exhiberet. 3tio. Ut priùs faceret quàm doceret; decreverat enim novum ex aqua & Spiritu Sancto baptismum prædicare & instituere; voluit itaq; ipse prius aquâ baptisari. Hæc etenim, juxta Ambrosium super Lucam, *Vera iustitia est vt quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo.* 4to. Iuxta Chrysostomum super Matthæum, vt aquas sanctificaret, & sanctificatas relinqueret postmodum baptisandis; seu juxta Sanctum Thomam, vt suo baptismo consecraret nostrum baptismum. Age gratias Christo Domino.

*Punctum 2dum.* Spiritus sanctus revelavit Ioanni hominem illum petentem baptisari esse Messiam Dei filium O quanto tunc gaudio fuit perfusus! o quomodo exultationem in vtero materno factam renovavit! quantam reverentiam Christo exhibuit! id ex ipsis verbis beati Ioannis quæ de Christo & de se ipso ad discipulos suos protulit intelligere possumus: *Qui habet sponsam sponsus est.* (Ioann: 3.) *amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.* O Sponse naturæ nostræ Christe IESU vtinam & ego sim semper amicus tuus per charitatem!

dili-

diligamq; te amore flagrantiſſimo: quia tu prior dilexiſti me! vtinam ſtem ſemper cum ſumma devotione & reverentia ante te præcipuè cum altari tuo adſto vel cum oro! Vtinam ſemper audiam te; audiam & impleam præcepta conſilia & inſpirationes tuas. Ergo fac me audire vocem tuam Sponſe dilectiſſime: vt auditui meo des gaudium & lætitiam, & vt exultent in te omnia oſſa mea, omnes potentiæ & vires animæ meæ: quò iugiter & vbiq; laudem & magnificem te, alioſq; ad agnitionem & amorem tui, imitando S. Præcurſorem tuum, verbo & exemplo traham: quod propono me cum adiutorio tuo facturum.

## Pro diebus poſt Octavam Epiphaniæ.

# MEDITATIO pro die prima.

### *De miraculis in baptiſmo Chriſti: & de oratione ejuſdem poſt baptiſmum.*

*Tria miracula in baptiſmo Xti, & myſteria eorum*

PUnctum 1mum. Pater æternus Filium ſuum ſic humiliatum mundo manifeſtaturus tria miracula, ad honorem ipſi conciliandum fieri fecit. 1mo. Aperti ſunt

sunt cæli; quo ostendebatur eum esse hominem cælestem non terrenum; quo item designabatur baptisatis patere viam in cælum. 2do. descendit Spiritus S. in ipsum in specie colũbæ: quo significabatur plenitudo Spiritûs Sancti intus latens in Christo ab initio Cõceptionis. quo item significabatur, quod sicut supra Christũ baptisatum Spiritus S. visibiliter descendit, ita super omnes baptisatos invisibiliter postmodum descensurus esset. 3tio. vox audita est de cælo dicens: *Hic est Filius meus dilectus.* quâ voce declarabatur, nos quoq; per baptismum in filios Dei adoptari. Expende in baptismo Christi, mysterium SS. Trinitatis. Dominus enim in natura humana baptisatur; Spiritus S. in columbæ specie apparet: Patris vox auditur; ut per hoc doceamur, baptismum nostrum invocatione & virtute SS. Trinitatis consecrari. Affectus congruentes elice. Cave ne Spiritum S., quem in baptismo accepisti, amittas.

*Quare Iesus oravit post baptismum?*

*Punctum 2dum IESU baptisato & orante, apertum est cælum.* Luc. 4. Post baptismum enim necessaria est homini oratio, ad hoc ut cælum introeat: quia licet per baptismum remittantur peccata, manet tamen fomes peccati nos interiùs impugnans; manet mundus & dæmon,

*Necessit: orationis.*

qui

qui nos exteriùs impugnant. Oportet proinde sinè intermissione orare, ut non intremus in tentationem carnis mundi, & dæmonis, hoc est, ne vincamur aliqua tentatione. Vide necessitatem orationis crebræ. Age gratias Christo Domino, pro exemplo tibi dato. Age item gratias quòd te ad baptismum vocârit, quòd pro te orârit, cælum tibi aperuerit. Propone vitare peccata, quibus velut pessulis, aut vectibus, janua regni cælestis clauditur. Tesseram accipe ex festo Epiphaniæ.

*Quamdiu Deus non tollit à te orationem tuam, non amovebit a te misericordiam suam. ait S. August: in Ps: 65ti versic: ult.*

## Pro altera die post octavam Epiphaniæ.

### *De descensu Spiritus S. sub specie columbæ in Christum*

PUnctum imum. *Descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum.* Luc: 4. Spiritus S. dicitur descendisse in Christum sub specie & similitudine columbæ: non quod aliquâ fictione usus fuerit, non enim convenit Spiritui Sancto, qui est Spiritus veritatis fingere, sed quòd veram columbam formaverit in qua appareret, non tamen assumendo ipsam in vnitatem personæ, at significando tantùm seipsum cum effectibus suis (quos proprietates columbæ repræsentant) manere in Christo. Credo Domine JESU

*Fictio non cadit supra Spiritum S.*

Spiri-

Spiritum Sanctum in te cum plenitudine donorum suorum habitare. Miserere mei, & qui me per baptismum adoptasti in filium Dei, & cohæredem tuum; fac ut semper Spiritu Sancto vivificer, & regar, ne unquam adoptionem hanc amittam.

*Cur Spiritus S. in specie columbæ descendit in baptisatū Christum?*

*Punctum 2dum.* Apparuit autem Spiritus S. in Speciæ columbæ. 1mo. Ideò quia columba proprietatibus suis septem dona Spiritûs S. figurat. Nam secus fluenta moratur, vt inde viso accipitre mergat se & evadat: per quod exprimitur donum sapientiæ, vi cujus Sancti penes fluenta Scripturæ divinæ morantur meditantes de Deo, vt rapacitatem diaboli effugiant. Item meliora grana eligit: sicut & Sancti saniores & sanctiores sententias quibus se & alios in fide instruant, per donum scientiæ eligunt: Item pullos alienos nutrit: quod pertinet ad donum Consilij, quo iusti homines alios juvant, & quodammodo nutriunt. Præterea non lacerat rostro: quod pertinet ad donum Intellectûs: per quod Sancti Scripturas & sententias bonas non lacerant nec pervertunt hæreticorum more sed juxta Ecclesiæ sensum eas intelligunt & exponunt. Tandem felle caret: quod spectat ad significandum donum pietatis per quam justi non effervescunt in iram irrationabilem

*Columba proprietatibus suis repræsentat septē dona Spiritûs S.*

lem. Insuper in cavernis nidificat, donum fortitudinis hac ratione signando: in eo enim fortitudo Sanctorum est quod in plagis mortis Christi nidum suum hoc est refugium & spem suam collocent. Demum gemitum pro cantu habet: per gemitum exprimendo donum timoris; cuius effectus est homines ad gemitum pro peccatis inducere.

*Repræsentat item effectum proprium baptismi.*

P*unctum* 3*tium*. 2do. Ideò Spiritus S. apparuit in specie columbæ super Christo baptisato, vt ostenderet effectum proprium baptismi qui est remissio peccatorum, & reconciliatio seu pacis restauratio cum Deo: columba enim est animal mansuetum & pacificum; propter quod etiam in diluvio apparuit ramum portans olivæ, hoc est, communem orbis terrarum tranquillitatem annuntians. 3tio Ideò vt ostenderet effectum communem baptismi, hoc est, coniunctionem fidelium in vinculo charitatis Christi: columba enim est animal amicabile & gregale; sicut autem remissionem peccatorum ita & vnitatem ecclesiasticam operatur Spiritus S. in baptismo. 4to. Ideò, vt doceret quod ij qui accedunt seu ad baptismum, seu ad quodcunq; aliud Sacramentum, sinè fictione & dolo accedere debeant: columba namq; est animal simplex astutiâ & dolo

*Nec non communē effectum.*

*Ostendit deniq; dolum exesse debere in Sacr. perceptione.*

dolo carens: & similiter Spiritus S. vt dicitur Sap: 1. odit fictionem. Adora Christum Dominum: & pete vt Spiritus S. in te semper maneat cum suis donis & effectibus. Propone pacem cum Deo & vnitatem cum Fratribus ac fidelibus omnibus inviolabiliter servare. Memento etiam ex aspectu columbæ glorificare Spiritum S. & implorare ipsius dona.

## Pro die tertia.

### *De testimonio Ioannis quod Christo perhibuit.*

*Quare Christus vocatur in Script: Agnus?*

PUnctum 1mum. *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan: 1. Agnus vocatur Christus: 1mo. Propter mansuetudinẽ & innocentiam suam. 2do. Quia pro nobis immolatus. 3tio. Quia vt ait S. Hieronymus super Isaiæ caput 53. *Non solùm sanguine suo nos redemit, sed etiam lanis operuit.* Adam primus nudos nos fecit & justitiâ originali privavit: Adam 2dus gratiâ sua nos cooperuit. O felices nos qui Agnum Dei, quem mundus per tot sæcula desiderabat: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ*, habemus, videmus, attrectamus, in altari quotidie immolamus, Deo offerimus & sumimus. O Agnelle DEI immaculate, innocentissime man-

mansuetissimè victima pro nobis facte! rogo te per bonitatem tuam, tolle peccata mea, per mansvetudinem tuam, aufer à me omnem animi rancorem. Nudus sum: operi nuditatem meam, ne in judicio tuo appareat ignominia & turpitudo mea ex peccatis contracta. Frigidus sum; calefacias me lanis meritorum tuorum. Pauper & inops sum in virtutibus; dita me vellere tuo verè aureo. *Et qui in medio throni es, rege me semper & deduc me ad vitæ fontes aquarum.* Apoc. 7.

*Punctum 2dum. Alterá die iterum stabat Ioannes & ex discipulis eius duo. Et respiciens IESUM ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei.* Ioan: 1. Ambulat IESUS ne ego sedeam, hoc est, ne torpeam; sed bona opera instanter & ferventer operer. Vide quàm contraria vita Christi superbo Lucifero: hic sedere appetit: *Sedebo in lateribus Aquilonis*, ille humiliter ambulat & se pro nobis miserculis fatigat. Ambulatio Christi significat quòd quousq; sumus in mundo, simus in via ad Cælum, imò ad Deum omniaq; nostra ad eum dirigere debeamus opera, verba, cogitata. Item significat vitam Christi temporalem: per quam nos instruxit, qualiter & nos ambulare, hoc est, vivere debeamus. *Ambulatio IESU*

*Ambulatio Christi quid?*

*dispensationem Incarnationis, qua ad nos venire ac nobis exempla vivendi præbere dignatus est, insinuat: sicut mansio eius, æternitatem Divinitatis in qua semper est Patri æqualis, aptissimè designat.* ait Beda. Dirige me o Christe IESU in semitis tuis! Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & iustifiationes tuas doce me.

## Pro die quarta.

### *De discipulorum Ioannis post Christum sequela.*

PUnctum imum. *Et audierunt duo discipuli & secuti sunt eum.* Ioann: 1. Discipuli Ioannis secuti sunt IESUM non quòd ei tunc stabiliter & animo non redeundi ad propria adhæserint, sed quod voluerint mansionem eius scire; frequentaturi eandem; & dulcia verba, verba gratiæ ex ore eius audituri: quem tantopere Magister eorum honorabat & magnificabat. *Conversus IESUS quid quæritis?* ait. Convertitur IESUS ad eos qui ipsum quærunt: quia diligit diligentes se. O vtinā sit ad me iugiter conversio tua! quod vt fiat, propono te semper sequi hoc est, mandata tua custodire: virtutes tuas imitari. *Quid quæritis* ait IESUS. Parce mihi benignissime IESU si ego te ipsum interrogavero: quid verò tu ipse quæris? quid

quid ambulando investigas? nunquid aliquid perdidisti? Hominem quæro respondet: ovem errabundam quæ semetipsam perdidit, quæro; vt illam in humeris reportem ad sinum Patris mei: ad pascua gloriæ cælestis. Ego sum illa ovis. Erravi: quære servum tuum.

*Punctum 2dum. Rabbi vbi habitas! dicit eis: Venite & videte. venerunt & viderunt vbi maneret. Et manserunt apud eum die illo. Hora autem erat quasi decima. Ioan: 1.* Ioannis discipuli interrogati à Christo quid quærerent, rogant vbi habitet; quibus Christus: *venite & videte.* Non monstrat locum mansionis suæ digito, non dicit: ibi vel ibi habito, sed humanissimè & suavissimè invitat. Quorsum? Tunc quidem, quantùm ad rei gestæ veritatem invitavit illud par sanctum ad domunculam in qua protunc hospitabatur; sed quantùm ad mysticum sensum nos omnes invitat ad Patris sui domum, in qua mansiones multæ sunt, scilicet ad regnũ cæleste.

*Hora decimâ venitur ad Christum.*

*Punctum 3tium. Hora autem erat quasi decima.* Non potes ad Christum pervenire, & cum ipso manere in perpetuum, nisi decima hora venias, hoc est: nisi perfecte legem Dei serves. perfectio enim legis Divinæ in denario numero videlicet in decalogo consistit. *Qui luce divinæ*

*Mysterium horæ decimæ.*

*contemplationis frui postmodum desiderat, prius adiuvante Domino decalogum legis per opera lucis, quasi decem horas diei sole illustrante compleat* ait Beda. Quis non desideret manere cum IESU vel vnico die? certè melior est dies vna in atrijs tuis o IESU super millia annorum in mundo hoc. O quando dies illa æternitatis illucescet mihi qua tecum manebo: qua videbo in specie propria humanitatem tuam: qua divinitatem tuam facie ad faciem contemplabor! O quid tunc audiam: quid videbo: quid gustabo: qua in dulcedine natabit cor meum? Nota. *Quando plures dies supersunt post Octavam Epiphaniæ, tunc vel dividantur hæ meditationes; vel certè accipiantur ad meditandum puncta de S. Paulo primo Eremita cuius festivitas in hoc tempus cadere solet.*

# MEDITATIONES

## *Fidelitatem erga* DEUM: *seu votorum regularium observantiam commendantes.*

## PRO DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

### *De miraculo facto in Nuptijs.*

P*Unctum 1mum. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater IESU ibi.* Ioan:

Ioan: 2. Ubi Mater IESU est, aderit & IESUS. Si vis vt ad te veniat IESUS & in te maneat, atq; dulcedine Spiriûs te inebriet: esto devotus Matri eius, & ora eam vt tibi semper assistat, & pro te semper interveniat. *Vocatus est autem & Iesus.* O quanta dignatio Domini nostri, tenuiorum hominum nuptijs interesse non dedignãtis! quanto maior eiusdem dignatio ad convivium cum anima nostra celebrandum toties in eucharistia vel contemplatione venientis! *Vocati & Discipuli IESU.* Præter Philippum neminem adhuc ad sequelam sui vocaverat Christus: habuit tamen iam aliquantos discipulos qui eum vltrò sequebantur & audiebant: sed necdum ei stabiliter adhærebant, & ad propria quoties libuit redibant. In Nuptijs cum Christo discipuli: post nuptias, & maximè in passione dilabuntur. Nimirum prospera & iucunda sectamur: adversa & aspera horremus. Tu æquè in consolationibus ac in desolationibus Christo adhærere firmiter statue.

*Punctum 2dum. Deficiente vino.* Defectum eiusmodi Beatissima Virgo Filio suo insinuavit. O quæ pijssimæ Matris charitas! si tam solicita fuit pro corporali inopia sponsorum à quibus non rogabatur: quid putas faciet pro Spirituali subsidio

& solatio servorum suorum à quibus invocatur? O Mater misericordiæ nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus! *Iussit Iesus impleri hydrias aqua, quam in vinum convertit.* Dei perfecta sunt opera, & quid quid se solo facit, est valde bonum. Et vinum ergo illud quod Christus miraculosè fecit, præstantissimum fuit ad stuporem architriclini & convivarum. Si tantam potentiam & liberalitatem monstravit Christus in nuptijs carnalibus: quantam monstrat animæ in nuptijs spiritualibus, hoc est, in coniunctione sui cum anima per gratiam: quantam item monstrabit in suis illis æternis nuptijs quas cum Ecclesia triumphante & singulis Sanctis celebrabit: quo & quali vino tunc nos tractabit? O nuptiæ agni quando venietis! quomodo me ad vos præparabo? Orna me dulcis IESU byssino iustificationum tuarum: vt dignus fiam ad nuptias venire, quas tibi Pater tuus faciet.

*Vinū præstant*[*]*si: in Cana.*

*quale verò in convivio cum anima?*

*quale in Cælo?*

*Punctum 3tium. Impleverunt aquá ad summum hydrias.* Cana Galilææ significat zelum trasmigrationis. Qui zelo amoris divini transmigravimus è sæculo ad Monasterium: nuptias celebramus. Sponsa nostra, crux est: cruci copulati sumus cruci adhærere spopondimus. In his nuptijs

*Sponsa religiosorū Crux.*

ptijs multum est de aqua tribulationis: sed confide; Dominus has aquas dulcorabit, & in consolationes convertet. Adest Domina nostra in his nuptijs, & ut adsit roganda: aderit & IESUS. Illa interpellatricem: hic datorem gratiæ, & postmodùm gloriæ se monstrabit. Ora MARIAM ut pro te intercedat, tuasq; necessitates Filio suo proponat. Ora Christum, ut quod Mater suggerit, præstare dignetur. Gratias age pro beneficio vocationis ad religionem. Vota renova, & diligentiùs observare propone. E Tesseris quæ magis placuerit ruminandũ elige.

*Ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

*Adjutor meus esto, ne derelinquas me: neq; despicias me Deus salutaris meus.*

*Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.*

## PRO FERIA II.

### *De Beneficio vocationis ad Religionem.*

PUnctum 1mum. Considera vocationem ad Religionem esse peculiare beneficium, & post prædestinationẽ omnium maximum, paucisq; concessum. Religio enim est status perfectionis, non quòd omnes religiosi perfecti esse obligentur,

sed

*Religio quid?* sed quòd quotidie ad vitæ Christianæ perfectionem tendere debeant. Hæc est dempto martyrio angustissima porta, & arctissima via, quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sunt qui inveniunt eam. In hac si quis convenienter ad sua vota & regulam perseveraverit, probabilissimum argumentum habet se esse in numero prædestinatorum: hæc est schola imitationis Christi: locus meritorum.

*Punctum 2dum.* Considera causas, cur hoc beneficium magno sit in pretio habendum? 1ma est, quia extraordinarium & gratuitum, & ex mille uni concessum. 2da. quia SS. Patres comparant illud baptismo, eò quod per ingressum religionis & votorum emissionem percipiat homo plenariam remissionem omnium peccatorum in vita sæculari commissorum. 3tia quia S. Gregorius dicit, quòd sicut holocaustum excedit alia sacrificia: sic ingressus religionis omne genus pænitentiarum & satisfactionum. 4ta. quia S. Bernardus religiosam vitam comparat continuo martyrio. 5ta. quia Religio est quoddam admirandum pactum, quo homo offert se facturum quod potest propter Deum, Deus verò offert homini centuplum in hac vita, & regnum cæleste. Agnosce ergo & venerare Dei benignitatem

*Religio comparatur baptismo, holocausto, martyrio, licitationi & pactioni cũ Deo.*

tatem

tatem. Virtus. Propositum. Tessera ut supra in diei Dominicæ Meditatione.

## PRO FERIA III.

### *De novem bonis Religionis à S. Bernardo enumeratis.*

IN Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur crebriùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, remuneratur copiosiùs.

*Punctum 1mum.* Expende hæc singillatim bona. *In religione vivit homo puriùs.* quia bonus Religiosus & corpus habet purum ob castitatem, & animam ob fugam peccati mortalis, imò & venialis, & opera omnia ob intentionem rectam. 2do. *cadit rariùs*: quia in Religione desunt peccandi occasiones, desunt laquei opum, honorum, voluptatum. 3tio. *Surgit velociùs*, quia divina subsidia promptiora, & Superiorum, Confessariorum, Fratrum, Magistrorum Spiritualium adminicula frequentiora suppetunt.

*Punctum 2dum.* Expende bonum 4tum: *incedit cautiùs.* quia multis regulis circumscribitur, & multos suorum morum habet inspectores. 5tum. *quiescit securiùs*: quia expers est omnis curæ de victu & amictu; & fruitur conscientiæ pace. 6tum

*irro-*

*irroratur sæpius*: quia in exercitijs spiritualibus, ut in orationibus, meditationibus communionibus, jejunijs, disciplinis, cilicijs &c: particeps fit divinarum inspirationum, consolationum, & donorum Spiritûs Sancti.

*Punctum 3tium.* Expende ulteriùs reliqua bona. 7mum. *purgatur citiùs*: quia in Religione quotidie conscientia examinatur. Confessio, communio, & mortificationes variæ frequentantur. 8va. *moritur confidentiùs*: quia tenet infallibilem Dei promissionem dicentis: *Vende omnia, & habebis thesaurum in cælo.* quòd si fortè sit conscius aliquarum culparum adhuc expiandarum, scit se habere in agone ex privilegio Ordinis indulgentiam plenariam, ac post mortem plurima suffragia precum ac sacrificiorum. 9num. *remuneratur copiosiùs*, quia, qui relictis omnibus secuti sunt Christum, centuplum hîc accipient, & vitam æternam possidebunt.

Tessera ut supra.

## PRO FERIA IV.

### *De voto Obedientiæ Religiosæ.*

*Obedientiæ natura.*

PUnctum 1mum. Considera in primis naturam religiosæ obedientiæ, quòd sit inferioris ad superiorem voluntaria propter Deum subjectio. Deinde consi-

dera

dera excellentias ejus: quod ſit ſignum Filij Dei, nota veri religioſi, tutiſſima ad cælum via, pacis & ſecuritatis internæ authrix. Demum conſidera actus ejus, hi autem ſunt: 1mo. imperata, vel inſinuata ſuperioris exequi. 2do. cum executione externa operis conjungere alacritatem animi. 3tio. Offerre ſe ultrò ad quævis abiecta amore Chriſti cum gaudio.

*Excellentia*

*Actus.*

*Punctum 2dum.* Recogita quàm perfectum nobis exhibuerit exemplum obedientiæ Chriſtus Dominus, Beatiſſima Virgo, & alij Sancti; quàm tu hactenus frigidè ſis eos imitatus, non cavendo defectus contra obedientiam. qui ſunt 1mo. non parere ad nutum. 2do. mandata examinare. 3tio. invitè obedire, contraq; murmurare. 4to. Differre imperatum, ſimulare ſe exequi, & non facere.

*Exempla*

*Defectus.*

*Punctum 3tium.* Conſidera media obedientiæ, qualia ſunt: 1mum. exemplum Chriſti intueri. 2dum. expendere ſæpiùs voti obligationem: expendere item, hominem ſuo fidentem judicio facilè errare & labi; qui verò ſuperioris dictum ſimpliciter ſequitur, nunquam. Propoſitum ſeriò hæc media exequendi. Teſſera ut ſupra.

*Media.*

## PRO FERIA V.

### *De voto Religiosæ Castitatis.*

*Castitatis natura.*

PUnctum 1mum. Considera naturam castitatis: quia est virtus, qua quis ad perfectius Dei obsequium promptè ab omnibus carnalibus voluptatibus abstinet. Considera deinde excellentias ejus:

*Excellẽtia.*

quia Deo, Beatissimæ, Angelis, Sanctisq; omnibus grata: quia utilis ad familiaritatem cum Deo consequendam, & dona cœlestia impetranda: quia eximiam mentis tranquillitatem parit: quia Angelis homines æquat: quia auro, & centesimo fructui in Scripturis comparatur: quia *Virginibus & continentibus*, ut ait S. Hieron:

*contra Iovinianũ.*

*quasi quibusdam pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur.*

*Actus.*

Demum considera actus ejus, qui sunt. 1mo. custodire diligenter, manus, aures, oculos & linguam. 2do. cogitationes immundas statim reijcere, aut potius mentem aliò avertere. 3tio abducere se longè ab occasionibus & periculis impuritatis. 4to. abstinere à calidiori cibo & potu ex amore castitatis. 5to. afflictiones corporis in eum finem assumere.

*Exempla.*

*Punctum 2dum.* Considera quàm perfectè Christus Dominus, Beatissima Virgo, cæteriq; Sancti, ut in veteri testamento Mel-

Melchisedech, Ioseph, Iosue, Elias, Elisæus, Daniel cum tribus pueris: in novo, Apostoli, & post Apostolos innumeri castitatē coluerint; pensa quomodo tu eos hactenus imitatus sis: quomodo hactenus cautus & solicitus fueris in cavendis det... bus contra castitatē, qui ex prædictis ... actibus colliguntur. *Grandis fidei est, grandisq; virtutis* ait Hier: contra Iovinianum, *templum Dei esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & juxta Apostolum, esse Sanctum & corpore & spiritu.* Vide quomodo hucusq; puritatem & sanctitatem tam corporis quàm animæ custodiveris. Ora, propone.

*Punctum 3tium.* Post exempla, expende alia motiva castitatis. 1mum. quia hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra, ut abstineamus nos ab omni specie luxuriæ: ut sciat unusquisq; vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. Corpora enim nostra, templum sunt Spiritûs Sancti & membra Christi. Honor est templo Dei, & membro Christi, si impollutum custodiatur: ignominia est, si inquinetur. 2dum. quia non sumus nostri, sed ejus qui emit nos pretio magno sanguinis sui; ideoq; glorificare & portare debemus Deum in corpore no-

*Motiva*

*Hier: in 1. ad Corint.*

ſtro, caſtum illud ſervando. Quodſi abutimur corpore noſtro ad libidinem, injuriam graviſſimam Chriſto facimus. *Qui enim non eſt ſuus, non ſuæ debet ſervire voluntati, ſed eius à quo emptus eſt.* 3tium. quia nihil damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto IESU: qui non ſecundùm carnem ambulant. 4tum. quia Apoſtolus (& in eo Spiritus S.) crebrò nos cùm obteſtationibus ad caſtitatem exhortatur. *Induimini Dominum noſtrum IESUM Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpera veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Ora ut corpus tuum fiat talis hoſtia. Propone omne inquinamentum carnis & ſpiritûs Deo diſplicens vitare.

## PRO FERIA VI.

### *De voto Religioſæ paupertatis.*

*Paupertatis natura.*

PUnctum unum. Paupertas eſt virtus per quam quis propter Deum privat ſe dominio, ac poſſeſſione, imò & affectu pecuniæ, & omnium facultatum temporalium. Conſidera excellentiam ejus, quia eſt grata Deo; quia compendiosè ad cælum ducit, quia ad humilitatem diſponit, quia à cura temporalium liberat.

*Excellētia*

*Actus.*

Deinde conſidera actus ejus, qui ſunt: 1mo nullâ re uti tanquam propriâ, ſine expreſſa ſu-

sâ superioris licentiâ. 2do. omnem exuere affectum, etiam erga res minimas. 3tio viliora cupere & amplecti. 4to. Oblata ab externis ægrè, & rarò acceptare, juxta illud D. Hieronymi: *Nunquam petentes, rarò accipiatis rogati.* 5to. penuriam in rebus necessariis, cibis, vestibus &c. libenter & cum gaudio sufferre.

*Punctum 2dum.* Considera quàm perfectè Christus Dominus, Beatissima Virgo, cæteriq; Sancti paupertatem coluerint: quomodo tu hactenus eos imitatus sis; quod facilè ex contrarijs tuis actibus advertere potes: tum quia rebus tanquam proprijs, cùm affectu ad ipsas & sinè benedictione uteris; tum quia de penuria conquereris, murmuras de victu, amictu &c. Dolor, Propositum Christum imitandi. *Defectus.*

*Punctum 3tium:* Considera media consequendi paupertatem, qualia sunt: 1mo obligationem voti crebrò expendere. 2do paupertatem Christi, Beatissimæ, & aliorũ Sanctorum intueri. 3tio. licet res parvæ sint, cor ad eas non apponere. 4to. omnia conscribere, & Superiori manifestare. Desiderium, Propositum: hæc omnia seriò sedulòq; exequendi. Tessera ut supra. *Media.*

## PRO DIE SABBATHI.

### *De virtute fidelitatis.*

P*Unctum 1mum. Esto fidelis usq; ad mor-*

tem

tem, Apoc. 2. Fidelitas consistit in promissis adimplendis. dicit enim S. Thomas 2.2. q. 88. ar. 3. *Ad fidelitatem hominis pertinet, vt solvat id quòd promisit.* Maximè autem debet homo Deo fidelitatem: tum ratione dominij, tum ratione beneficij suscepti. Et ideo maximè obligatur homo ad hoc, quod impleat Deo vota facta. Iuxta eundem, fractio voti, est species infidelitatis. Graviter plectitur fides violata marito à consorte, duci à milite, domino à servo. Ah o quàm graviùs plectitur violata Deo ab homine! *Ergo quod egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Devt: 23.

Punctum 2dum. *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare.* Proverb: 20. Vide quàm grande sit piaculum non servare vota.

*Fractio voti quà grave peccatū.*

Quemadmodùm gravissimè peccant, & certissimæ ruinæ salutis æternæ ac temporalis involvuntur illi, qui devorant Sanctos, vel personas eorum persequendo, vel bona diripiendo; ita gravissimè peccant, & certissimam ruinam in corpore atq; anima subibunt, qui quod semel Deo voverunt, & divini juris effecerunt, Deo per retractationem, aut non adimpletionem auferunt, & abripiunt. Vovisti

Deo

Deo obedientiam: jam illi, ejusq; Vicarijs, Superioribus tuis voluntatem tuam consecrasti. Vovisti paupertatem? bona omnia temporalia quæ habuisti & habere potuisti, tuæ jam non sunt proprietatis. Vovisti continentiam? jam mens, corpusq; tuum, speciali quodam jure non tuum esse cæpit, sed Domini. Cave ergo ne quæ dedisti Deo, repetas ab eodem ad tuas delectationes. Time exemplum Ananiæ & Saphiræ.

---

# MEDITATIONES

## Ad resignationem voluntatis nostræ permoventes.

### PRO DOMINICA III. post Epiph:

*De cælestis Regis IESV Christi ad se sequendum & imitandum invitantis excellentiâ.*

*Præludium 1mum* Pone tibi ob oculos Christum IESUM instar excellentis cujusdam ducis milites conscribentem, subditosq; suos ad se sequendum invitantem.

*Prælndium 2dum.* Pete efficacem gratiam audiendi & obsequendi.

PUnctum 1mum. *Secutæ sunt eum turbæ multæ* Matthæi 8. Hujus Regis,

 seu

*Excellentia cælestis Regis Iesu Christi.*

*ex origine*

seu ducis, quem vocantem & prædicantem secuti sunt discipuli & turbæ multæ, expende excellentiam ex origine & alijs titulis. 1mo. quantum ad originem, *factus est Patri suo ex semine David secundùm carnem*: idemq; *prædestinatus Filius Dei in virtute*, vt ait Apostolus, dans intelligere, secundùm hoc, quòd est factus ex semine David quo-ad carnem, esse prædestinatum vt sit filius Dei in virtute.

*ad Rom: 1.*

*S. Thomas 3. p. q. 24. ar: 1. ad 2.*

*Quamvis enim naturale sit illi personæ secundùm se consideratæ quod sit Filius Dei in virtute: non est tamen hoc ei naturale secundùm naturam humanam, secundùm quam hoc sibi convenit per gratiam vnionis.* Et ideò quantum ad naturam humanam cadit sub prædestinationem hoc quod Christus sit Filius Dei. Est ergo etiam secundùm humanitatem Filius Dei in virtute, hoc est naturalis non adoptivus. 2do. quantum ad honorem est caput corporis Ecclesiæ: est ante omnes, & in ipso omnia constant: in omnibus primatum tenens. In nomine ejus omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum. 3tio. quantum ad officium: est *Dux & præceptor gentium*: est Rex constitutus à Patre, supra Sion montem sanctum ejus, id est supra Ecclesiam ex Angelis & hominibus conflatam: nec solùm Rex, sed etiam Apostolus

*ex honore*

*ex officio.*

ſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ : eſt mediator DEI & hominum.

*Punctum 2dum.* 4to quantum ad divitias : in ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei : in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, quaſi dicas *ſummaliter* ait Hieronymus. 5to. quantum ad ſpeciem : ſpecioſus formâ præ filijs hominum. *Vt non ex æquo, vt alij, homo; ſed cum homine Dei Filius intelligatur; ideò pulchrior dicitur præ alijs filijs hominum.* 6to. quantum ad potentiam. Accinctus gladio ſuper fæmur ſuum. *Per gladium Verbum: per fæmur, Incarnatio. Accinctus ergo gladio ſuper fæmur ſuum, hoc eſt verbo prædicationis ſuper carnem aſſumptam.* quo gladio & morbos, & mortem ipſam, & hominum ſuperbiam, duritiam ac malitiam, & dæmonum potentiam victam cadere neceſſe eſt.

*ex divitijs*

*ex ſpecie.*

*Hier:*

*ex potentia.*

*Hieron:*

*Punctum 3tium.* 7mo. quantum ad mores & virtutes ejus, deſcripſerunt eum Prophetæ : non erit triſtis neq; turbulentus, ſed totus ſvavis, totus deſiderabilis. Diffuſa gratia in labijs ejus : quidquid loquitur gratia & amor eſt. Morbos verbo ſanat, mortem pellit, mare facit quieſcere, ventis indicit ſilentium, dæmones compeſcit : deniq, quoties os aperit toties gratia egreditur de labijs ejus. Regi-

*ex moribus.*

men eius placidiſſimum & iuſtiſſimum: non violentum non iniqvum. Virga æquitatis, virga regni eius. Veritas manſvetudo & juſtitia in omnibus verbis & operibus eius. 8vo. quantum ad doctrinam verba vitæ æternæ habet. Doctrina eius, doctrina veritatis & ſalutis. *Lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quis iam tali Domino ſervire nolit: quis abnuat ſequi caſtra & ſigna talis Ducis, talis Regis. O Rex meus & Deus meus, intende proſpere in adiutorium meum: procede ad eruendum me de poteſtate diaboli: rege me ſemper virga directionis tuæ, regna ſuper me in perpetuum. O ſi Regem hunc in decore ſuo videbunt oculi mei! o ſi cernent terram de longè! Propoſitū, *Abnegatio voluntatis propriæ.* Virtus, *prompta obedientia, & conformitas cum voluntate Dei.*

*...us doctrina.*

In ſuſpirijs crebris ſint ſequentia:

*Thomas à Kempis.*

*Benigniſsime Ieſu fac mecum ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit, & maior tuus honor fuerit.*

*O dulcis Ieſu, tu es via veritas & vita: per te, in te, ad te perveniam! non mea ſed tua voluntas, ſive in parvo, ſive in magno fiat.*

*Sequar te quocunq; ieris: mihi tolli non poteris Ieſu laus noſtri generis.*

## PRO FERIA II.

### *De circumstantijs initij prædicationis Christi.*

PUnctum imum. Jncæpit Christus Dominus prædicare in Galilæa: vbi terra Zabulon & Nephtali posita. Et hoc ideò, 1mo vt adimpleretur vaticinium Isaiæ: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Nephtali. Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* 2do. Quia Ioannes in Galilæa positus fuit ad carcerem ab Herode: vbi ergo ille cessavit prædicare, inde sibi IESUS exordiendum decrevit. 3tio. Iuxta S. Hieronymum ideò, vt vbi Israelis fuerat ab Assyrijs prima captivitas, ibi redēptionis præconium nasceretur. O requies nostra Christe IESU alleuia me ab oneribus peccatorum! O lux nostra orire mihi in regione vmbræ mortis sedenti! Cæpit autem prædicare ætatis suæ anno trigesimo iuxta illud Luc: 3. *Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta.* Ad docendum namq; requiritur perfecta ætas: qualis est triginta annorum. vnde & Ezechiel trigesimo anno cæpit prophetare. Requiritur item vita perfecta: hanc autem numerus trigenarius designat; qui consurgit ex ductu ternarij in denarium: por-

*Locus.*

*Tempus.*

ro per ternarium intelligitur fides SS: TRINITATIS, per denarium impletio decalogi; & in his duobus perfectio vitæ Christianæ consistit. Utinam & ego crescam in virum perfectum: quo fiam aptus etiam alios viam mandatorum tuorum docere.

*Occasio.* *Punctum 2dum.* Occasio ex qua publicè orsus est prædicationem suam IESUS, fuit coniectio Ioannis in vincula. Ait enim Evangelista: *Postquam autem traditus est Ioannes venit Iesus in Galileam prædicans Evangelium regni Dei.* Marci 1. Sed quare incarcerato Ioanne incepit Christus prædicare? Quia quousq; Ioannes officio suo fungebatur manifestando IESUM & ad fidem in eum baptismo ac doctrina disponendo homines, noluit ab eo Christus abstrahere homines: ideoq; supersedebat à docendo publicè, & à patrandis miraculis; at postquam lucifer occidit, tota virtute sol mundo sese manifestare cæpit. S. Chrysostomus hanc dat causam. *vt omnis inquit, multitudinis affectio ad Christum transiret & non vltra his quæ de vtroq; erant sententijs scinderetur.* Etiam enim de Ioanne fuit opinio quod Christus esset: quæ cessavit, postquam Ioannes è medio sublatus est. O Christe, da mihi nullam occasionem glo-

riam

riam tuam propagandi, & salutem proximorum procurandi prætermittere: da mihi dum tempus tacendi tacere, dum tempus loquendi loqui salutaria: da non moveri zelo contra alios sive sermone, sive opere potentes; sed potius ex ipsis Deum glorificare.

*Punctum 3tium. Regressus est Iesus in Galilæam in virtute Spiritûs.* Luc: 4. Qualiter regressus, taliter cæpit annuntiare Evangelium. Quid autem est in virtute Spiritûs ire: est in sermone & opere, virtutis suæ potentiam demonstrare. Prædicabat ergo in virtute Spiritûs: quia & sermonibus omni gladio ancipiti penetrabilioribus & miraculis, & ipsa quæ ex oculis & facie eius radiabat gratiosa majestate commovebat homines ad pænitentiam. Matthæus Evangelista ait: *Erat docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & Pharisæi. Potestas autem Christi in docendo attenditur & quantum ad miracula per quæ doctrinam suam confirmabat: & quantum ad efficaciam persuadendi: & quantum ad authoritatem loquentis, quia loquebatur quasi dominium habens supra legem, cum diceret: Dictum est antiquis &c. Ego autem dico vobis: & etiam quantum ad virtutem rectitudinis quam in sua conversatione monstrabat sinè pecca-*

**Modus.**

*Thomas 3. p. 9. 42. art: 1. ad 2.*

*to videndo*. Fac & me ô bone IESU in virtute Spiritûs S. quidquid operor operari; vt ferventer & recta intentione omnia faciam. Reple me Spiritu tuo: illumina me, accende me; vt totus ardens amore tui, & ipse magis ac magis trahar, & alios traham ad te.

## PRO FERIA III.

### *De vocatione discipulorum.*

*Quadriga Xti prædicationem inchoantis.*

PUnctum imum. Ambulans IESUS juxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem & Andream: & procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem: & vocavit eos. Matt:4. Isti primi (intellige post conjectionem Ioannis in vincula: & cum Dominus cæpit publicè prædicare) vocati sunt vt Dominum sequerentur. ait D. Hieronymus. *Hac quadriga* (ait idem) *vehimur ad æthera vt Elias: his quatuor angulis construitur Ecclesia prima: his quatuor literis hebraicis, id est tetragrammaton Nomen Domini agnoscitur a nobis.* Simon obediens: Andreas virilis: Iacobus supplantans: Ioannes gratia in latino sonat: vt si volumus coniungi cum Christo, ejusq; discipuli fieri; simus nos quoq; obedientesDei & superiorum mandatis: simus viriles & fortes in tentationibus, ne ipsis succum-

*Interpretatio quatuor nominum Apostolicorũ.*

bamus

bamus: caveamus ne nos ſupplantet inimicus, ſed potius nos eum calcemus, & plantis noſtris proteramus; quod faciemus perſeverando in bono: demum gratiam Dei cuſtodiamus ſolicitè, ac virtutes cardinales, quæ his quatuor vocabulis ſignantur.

*Punctum 2dum.* Generaliter autem de omnibus diſcipulis quos Chriſtus vocavit, & quos poſtmodum elegit in Apoſtolos Conſidera, quis, quos, vnde & ad quid, & quando vocaverit.

*Quis vocavit?*

*Quis?* DEUS & Dominus cæli & terræ, homo pro nobis factus. *Quos?* Piſcatores, telonarios, illiteratos, divitiarum & eloquentiæ facultatibus carentes, & tam viles, vt eos Apoſtolus infirma, & contemptibilia mundi appellet. Patriâ fuere omnes Galilæi: ſtirpe aliqui ex tribu Iuda, vt fratres Domini: ex qua etiam & ipſe Dominus ortum duxit: alij ex tribubus Zabulon & Nephtali, in quarum tribuum terra habitabant. Vnde Pſalmiſta de Apoſtolis canit; *Principes Iuda duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali.* Vnde & ad quid vocavit eos? A piſcatura piſcium, ad piſcaturam hominum. Quàm mira dignatio Salvatoris mundo deſpectos, in teſtes ſuos, in prædicatores & doctores, in columnas

*Quos?*

*Unde, & ad quid?*

Eccle-

Ecclesiæ, in Principes Orbis, in assessores judicij assumentis!

*Quando?* *Punctum 3tium. Quando?* post missionem Ioannis in carcerem. Ante hoc enim tempus, & ante nuptias in Cana, solum Philippum vocavit Christus. *Quomodo?* svaviter, efficaciter, mirabiliter, svaviter. Verba enim vocantis Christi, melle dulciora fuerunt, & animas vocatorum mira dulcedine affecerunt. efficaciter: quia relictis retibus, relictis parentibus, relictis omnibus quæ habebant sive in re sive in spe, aut desiderio, sinè ulla mora secuti sunt Christum. Mirabiliter: quia ad unam vocem ei adhæserunt. Quo fructu vocati? mundum totum fidei Christi subjugarunt. Qua mercede? centuplum consolationum internarum, & subsidiorum externorum: gloria judiciariæ potestatis, & demum vita æterna ipsis appromissa. Quàm mirabilis Divina potentia & sapientia in eligendo infima mundi ad confusionem fortium: in eligendo stulta mundi ad confusionẽ sapientum! Quanta item misericordia Dei te indignũ ad sequelam Christi vocare non dedignantis! Age gratias, voluntatem tuam abnega, & solam voluntatẽ divinam attendere & facere propone. Tesseram quæ ex positis sub meditatione diei Dominicæ placet, in mente & ore versa.

*Qumodo?*

*Quo fructu?*

*Qua mercede?*

## PROFERIA IV.
### *De initio prædicationis Christi Domini.*

PUnctum imum. JESUS relictâ civitate Nazareth venit & habitavit in Civitate Capharnaum: & exinde cæpit prædicare & dicere: Agite pænitentiam appropinquavit enim regnum Cælorum Matth: 4. Patriam deserit IESUS vt doceat, si velimus alios catechisare & Spiritualia docere, debere nos exuere omnem affectum ad patriam & cognatos: vt item ostendat neminem prophetam aut prædicatorem acceptum esse in patria sua. Capharnaum elegit habitationi suæ: quia erat propagationi & divulgationi Verbi Divini aptissima vt pote civitas maritima ad quam plurimi homines etiam è longinquo mercaturæ causa confluebant: quos Dominus spiritualiter negotiari docebat: & quibus pretiosissimum Evangelij margaritum vendebat gratis. Capharnaum interpretatur ager pænitentiæ. In agro pænitentiæ à pænitentia orsus est Christus Dominus Evangelium: vt ostenderet primam & auream clavem qua peccatoribus cælum aperitur esse pænitentiam. Orsus est autem, quemadmodum & Ioannes Baptista, à pænitentiæ

*Cur patriam Christus prædicaturus deseruit?*

*Cur elegit Capharnaum?*

*Capharnaum quid?*

*Cur orsus à pænitentia.*

tiæ prædicatione & regni cælestis annuntiatione: vt indicaret Evangelium cum lege, novum testamentum cum veteri concordare: vt item demonstraret *se eiusdem Dei esse filium, cuius propheta fuit Ioannes Baptista.* Age gratias Christo Domino pro tam dulci exordio prædicationis, & pro tam bona annuntiatione. Confitere ipsum esse filium Dei. Pete contritionis gratiam & ex nunc contritinis actum elice.

*S. Hieron. Evangeliũ idem est quod bona annuntiatio.*

Punctum 2dum. *Et circuibat totam Galilæam docens in Synagogis eorum.* Matt. 4. Galilæa latinè transmigratio. Ad hoc ergo in ea Salvator noster circuibat prædicando; vt à peccatis ad virtutes, à dæmonis servitio ad Dei obsequium & amorem nostra fieret transmigratio. Vide an eiusmodi transmigrationem feceris. *Docens in Synagogis.* Hoc ideò dicitur vt ostendatur, quod Christus publicè & palàm docuerit: & in occulto, vt ipsemet de se ait, locutus sit nihil. *Nunquid enim venit lucerna,* id est vt explicat S. Thomas vera & honesta doctrina *vt sub modio ponatur.* Matt: 4. Jlle solus in occulto loquitur, qui ex invidia non vult alijs communicare suam scientiam, quò cæteris excellat: vel qui falsa aut in honesta docet, vt faciunt hæretici: vel qui paucis loquitur:

*Cur Galilæam per ambulabat?*

*Doctrina Christi publica.*

*In occulto quis loquitur?*

tur:

tur: quorum nihil Christo convenit; quia & absq; invidia docebat: & doctrina eius non fuit de errore aut immunditia: & omnem doctrinam suam vel toti turbæ vel omnibus discipulis proponebat. Si verò aliquando locutus est paucis, per eos sermonem suum voluit innotescere multis. Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESU Christi, qui multifariam multisq; modis olim loquens Patribus in Prophetis novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio: & per eum revelavit nobis abscondita à constitutione mundi.

*Punctum 3tium.* Quamvis autem semper palàm loquebatur: non semper tamen apertis verbis: quia crebrò vtebatur parabolis ad annuntianda cælestia mysteria. Quare verò id? 1mo ideo vt adimpleretur quod ex persona Christi in psalmo dicitur: *Aperiam in parabolis os meum.* 2do: quia hi qui audiebant non erant idonei vel digni ad capiendas sub verbis nudis & apertis spirituales doctrinas. 3tio quia sic loquendo servavit morem patriæ: familiare est enim Syris & maximè Palestinis ad omnem sermonem parabolas iungere. 4to. quia faciliùs capimus & firmius tenemus quod nobis per similitudines & exempla, quàm quod simplici discursu proponitur. Demum quia Deus? vti

*Quantum ad modū docendi doctrina ChristiDòmini erat in occulto quia parabolica: & quare talis.*

vti in rebus ita & in verbis verè absconditus: & in vno eodemq; sermone aliter doctis, aliter loquitur indoctis. O illuminatio mea & salus mea, quando veniet tempus illud quo non iam sub parabolis loqueris nobis: quo nec facies tua nec verba tua velata nobis erunt? Revela interim Domine oculos meos, vt considerem mirabilia tua. Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis. Da vt sim parvulus; quò mihi declares sermones tuos & intellectum tribuas ad eos capiendos.

*Colloquiū.*

## PRO FERIA V.

### *De miraculis Christi Domini generatim.*

PUnctum unum. *Et sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo.* Matth: 4. Quia impossibile fuit, omnes malè habentes qui curati sunt à Christo Domino, specifice describere: hoc, quod præfertur, compendio vsus est Evangelista Matthæus. Nec solus ille; sed & alij Evangelistæ. vnde S. Chrysostomus ait: *Intende quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Evangelistæ, non unumquemq; curatum enarrantes; sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum in ducentes.* Lucas duobus verbis exprimit

*Singula Christi mi racula enumerare impossibile.*

*In Matth. hom: 28.*

& sanantis potestatem & sanatorum multitudinem: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Qualis virtus? divina: inferior enim virtus talia signa tali modo scilicet imperativè, & sola iussione, in tanta multitudine facere non posset. Vide quomodo IESUS Christus fini adventûs sui satisfaciat. Venit homines salvos facere; ecce salvos facit & in anima, docendo ac peccata dimittendo; & in corpore, languores curando. Age gratias. Ora vt te salvum faciat in vtroq; homine.

*Punctum 2dum.* Circa miracula Christi Domini. Considera 1mo quod quemadmodum quævis miracula fiunt propter duo nimirum ad confirmandam veritatem quam quis docet: & ad manifestandã hominis sanctitatem; ita & miracula Redemptoris nostri ad hoc fiebant, vt per illa, doctrinam suam tam excelsam & quæ humanam rationem excedebat tanquam per argumenta omnipotentiæ Divinæ firmaret: & vt ostenderet quòd Deus esset in ipso per vnionem hypostaticam. Credo Domine IESU quidquid docuisti: credo te Sanctum Sanctorum esse quia filium DEI, in quo Pater manens cum Spiritu S. stupenda propter salutem nostram fecit opera. Miserere: fac ne fructu suo

*Miraculorum Christi Domini finis.*

miracula tua in me careant, sed finalem salutem mihi operentur. Considera 2do quod aliquando sola potestate divina, & per modum imperij miracula faciebat Christus: aliquando aliquo suæ humanitatis adminiculo vtebatur: vt spuendo supra oculos cæci: imponendo manus: digitos in auriculas imittendo; vt ostenderet quod venit salvare mundum non solùm virtute divina, sed etiam per mysterium Incarnationis: & vt ostenderet quòd humanitas ipsius esset instrumentum divinitatis in operando mirabilia. O quàm abundat erga nos gratia IESU Christi, dum & divinitatis & humanitatis suæ potestatem ad nostram vtilitatem dirigit?

*Principiū seu causa.*

P*unctum 3tium.* Considera 3tio quòd Christus Dominus neminem curavit externè, quin simul internè curaverit in anima. Dei enim perfecta sunt opera. Non fuisset autem perfecta curatio respectivè ad Christum Dominum, si tantùm quoad corpus facta fuisset, quia finem suum non fuisset consecuta: quod enim finem suum non consequitur, non est perfectum: porrò finis externæ curationis per Christum factæ, fuit curatio animæ: ideo namq; curabat corpora, ut curaret animas, hoc est ut eas ad fidem & pœniten-

*Potestas.*

tiam

tiam induceret ; atq; idcircò paralitico dixit : *Dimittuntur tibi peccata tua*, vt indicaret principaliter ipsum in anima sanari. Considera 4tò. quòd ea quæ Christus Dominus miraculosè operatus est, perfectissima fuerunt ; vinum quod miraculosè fecit, optimum fuit : visus quem cæcis dedit, clarissimus : sanitas quam ægris contulit, vivacissima. Vndè Chrysostomus in Matth: ait : *Talia sunt Christi miracula, vt multò his quæ per naturam fiunt, speciosiora & vtiliora fiant.* Considera 5to. quòd miracula Salvatoris nostri non sint absq; mysterio : aliudq; nobis per potentiam ostendant, & aliud per mysterium loquantur. Quare & in veritate debent à nobis credi facta esse, prout narrantur : & simul quia per significationem aliquid nobis innuunt, fructum spiritualem ex eorum consideratione colligere debemus.

*Mysteriũ*

*Colloquium.* O Christe IESU salus & vita nostra ecce ego malè habeo ; malè quo ad corpus; malè quo ad animam : miserere mei quoniam infirmus sum. Non est sanitas in carne mea : non est pax ossibus meis propter peccata quæ dirè animam meam lacerant. Exeat virtus tua ex te ad sanandum me : vt expeditus à ma-

lis meis ſequar te, & jugiter magnificem ſummum bonum meum.

## PROFERIA IV.

### *De leproſo & ſervo centurionis.*

**P***Unctum imum. Et ecce leproſus veniens adorabat eum &c.* Poſt altiſſimas vitæ ſanctæ præceptiones in monte traditas, deſcendit Chriſtus: & obvium leproſum tactu & verbo ſanavit. Quare id? Imo ideò vt *per virtutum miracula præteritus apud audientes ſermo firmaretur.* Oſtenderat ſe Chriſtus Dominus in monte, Dei ſapientiam aperiendo os ſuum & docendo: reliquum fuit, vt ſe oſtenderet Dei virtutem; quod fecit extendendo manum, & mundando leproſum. 2dò ideò, vt quæ verbis docuerat, opere impleret. Dixerat enim: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Petite & accipietis &c.* Deſcendit itaq; miſericordias facere: petitiones aliorum implere. 3tio. ideò, vt doceret, de monte contemplationis & ſpeculationis ad praxim boni operis, ad opera miſericordiæ, ad ſervitium & auxilium proximorum deſcendendum nobis eſſe. 4to. vt humilitatis daret exemplum, doceretq; quo altiùs evecti ſumus, eò humiliùs nos gerere debere, nec miſerabiles & abjectos aſpernari.

*S. Hieron. in Matth.*

*Cauſæ miraculi poſt ſermonem in monte.*

O Dei

O Dei ſapientia & virtus Chriſte IESU! da mihi non tantùm verbo & exhortatione, ſed etiam opere & exemplo alijs prælucere: & contemplativæ & activæ vitæ officijs inſiſtere: in omnibus autem humilitatem tuam imitari.

*Modus leproſi in petenda ſanitate: & Chriſti in danda.*

P*unctum 2dum.* Expende modum leproſi in petenda ſanitate, & modum Chriſti in danda. Leproſus genuflexus ſupplicat: *Domine ſi vis potes me mundare.* vbi advertis fidem leproſi, per quam credidit Chriſtum ſola voluntate omnia poſſe: advertis ſpem: quia cum magna fiducia obviavit Chriſto. religionem: quia Chriſtum adoravit. reſignationem: ait enim: *Si vis.* Chriſtus autem poſt hanc leproſi orationem extendit manum ſuam. O quoties nos illa & illa proponimus! illa & illa volumus! volumus eſſe humiles, devoti, patientes &c. ſed manum non extendimus: & facto ipſo noſtram voluntatem non curamus implere. Deinde tetigit leproſum. Quare? *vt oſtenderet*, ait Cyrillus ſuper Luc. 4. *propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia.* O benignitas & dulcedo Domini Ieſu ad omnes! tangit manu ſacratiſſimâ & mundiſſimâ leproſum: non exhorret vlcera: à ſanie oculos non avertit. Tu qualis es erga miſeros & moribundos? Demum dixit: *volo*

*Leproſus tria fecit, occurrit 1, adoravit, oravit.*

*Tria Chriſtus fecit in curatione leproſi.*

*Ritus puri ficandi leprosũ Lev. 14. describitur. Ratio literalis & figuralis hujus ritûs in S. Thoma assignatur parte 2da. q.11. ar. 6.*

*mundare.* In veteri testamento, ad mundandum leprosum opus erat ligno cedrino, hysopo, sangvine passeris &c. hîc autem Christus nihil horum adhibet, sed solo attactu & imperio sanat leprosum; vt quod in monte verbis monstraverat, hoc re ipsa monstraret, se nimirum esse Dominum legis & potestatem habere supra legem. Spiritualiter tamen omnia recensita in lege, Christo conveniunt. Per lignum cedrinum, crux: per hysopum, caro Christi valdè humiliata & attrita, per cocum, vermiculum & sanguinem passeris, sanguis ipsius: per passerem vivum, divinitas ejusdem significatur. In virtute ergo crucis & passionis, quam subiturus erat, ac sanguinis sui quem effusurus erat, & hunc, & infinitos alios leprosos, leprâ peccati fædatos mundavit. Extende etiam ad me manum tuam. Dic verbum illud, verbum amoris & misericordiæ: *volo mundare.* Asperge me hysopo, & sanguine tuo; vt munder, vt super nivem dealber.

*Centurionis virtus.*

*Punctum 3tium.* Ingressus Iesus Capharnaum, Centurioni pro servo paralitico deprecanti ait: *Ego veniam & curabo eum.* Cui Centurio. *Domine non sum dignus &c.* Expende virtutes huius Centurionis. 1mo charitatem, per quam solici-

lici-

licitus fuit de salute servi. 2do. humilitatem, per quam se indignum dixit Christi præsentiâ. 3tio. fidem, qua credidit absentem posse sanare verbo; quia item Deum agnovit, cui ad nutum omnes creaturæ, & morbi ipsi obediant magis, quàm famuli sui sibi. 4to. obedientiam: fatetur enim se sub potestate constitutum pendere à voluntate aliena. 5to. pietatem in Deum, & liberalitatem in Ecclesias; nam ædificavit Iudæis Synagogam. Propone imitari. Ora vt tibi virtutes hæ, aut augmentum earum detur à Deo per Christum.

## PRO DIE SABBATHI.

### *De eodem leproso.*

PUnctum imum. *Domine si vis potes me mundare.* Leprosi oratio ista est. Leprosus hic significat hominem in peccato existentem. Lepra coloris vitium est non valetudinis: ideoq; leprosus non curari, sed mundari dicitur. Quid immundius omni peccato mortali? nec immunditia lepræ, nec immunditia cadaveris, nec immunditia menstruorum, nec immundicitia quarumcunq; rerum comparari potest cum immunditia peccati. Habet fædas maculas lepra: habet & peccatum: maculat corpus, maculat conscientiam, maculat famam

*Nihil immundius peccato.*

*Comparatio peccati cum lepra.*

famam. Contagiosa lepra est: contagiosum & peccatum; ne associeris malis, quia te exemplo suo inficient. *Cum perverso perverteris. Exite de medio eorum & separamini, & immundum ne tetigeritis.* 2. ad Corin: 6. Quatuor in lepra defectus: putredo, fætor, insensibilitas, turpitudo coloris. Contra 1mum cedrus, contra 2dum hysopus, contra 3tium passer vivus, contra 4tum Vermiculus offerebatur in purificatione leprosi. Etiam in peccato hi defectus dantur. Fuge ergo peccatum omne.

*Punctum 2dum.* Præter lepram corporis humani etiam in rebus inanimatis vt in domibus & vestimentis ponebat lepram vetus testamentum: hæc autem lepra nihil fuit aliud nisi corruptio aut corrosio aliqua in domo aut veste propter excessum humiditatis vel siccitatis. *Per lepram domûs significatur immunditia Congregationis hæreticorum; per lepram in veste linea significatur perversitas morum ex amaritudine mentis: per lepram vestis laneæ significatur perversitas adulatorum: per lepram in stamine significantur animæ vitia: per lepram verò in subtegmine significantur peccata carnalia. Sicut enim stamen est in subtegmine ita anima in corpore.* Reflecte te supra teipsum & vide ne forte aliquâ ex recensitis lepra infectus sis.

*Lepra domorum & vestiũquid significat.*

*S. Thomas p. 2. q. c. 11. art: 5.*

*Pun-*

*Punctum 3tium.* Qua ratione obtinuit leproſus vt mundaretur? adoravit Chriſtum: oravit humiliter: potentiam & miſericordiam eius confeſſus eſt: Sacerdoti ſe oſtendit: munus obtulit. Sic & quicunq; peccator humiliter ſuorum veniam orare debet peccàtorum cum firma ſpe in omni potentia & miſericordia Dei: poſtea confiteri coram ſacerdote peccata ſua: tandem ſacrificium offerre vel communionem ſacram ſuſcipere. Dic tu etiam cum hoc leproſo: *Domine ſi vis potes me mundare.* Si vis potes me de ſuperbo humilem, de iracundo manſuetum, de guloſo abſtinentem, de incontinente caſtum facere. Si vis, potes; non dubito de potentia, non dubito de miſericordia. Et vis & potes. Ergo dic verbum illud: *volo mundare*; vt protinus omne vitium fugiat à me. In te Domine ſperavi non confundar in æternum. Propoſitum & Teſſera vt in die Dominico proximo.

*Opera leproſi quæ non tantùm ante curationẽ ſui, ſed etiam poſt curationẽ fecit.*

*Colloquiũ.*

# MEDITATIONES
## Ad ſtudium perfectionis excitantes.
## PRO DOMINICA IV. poſt Epiphaniam.

## De 8. beatitudinibus seu perfectionibus.

PUnctum 1mum. *Ascendente Iesu* Mat: 8. Frequens est in sacris Evangelijs memoria ascensûs Christi: quare id? vt nos quoq; exemplo eius provocati ascensiones ponamus in corde nostro, & de virtute in virtutem proficiamus: nunquā descendamus sed semper ascendamus in via spirituali. Qualiter autem & per quos gradus ascendere debeamus docuit ipsemet in sermone illo quem postquam in montem ascendisset sic orsus est: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cælorum?* Utinam crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.

*Ad Eph: 4*

*Punctum 2dum.* Expende 8. beatitudines quasi 8. spirituales ascensus seu gradus. 1ma beatitudo paupertas Spiritûs, quæ consistit in abdicatione omnis affectûs ad divitias, & ad omne proprium. 2da. Mansvetudo; hæc consistit in repressione omnis iræ; in fuga omnis contentionis & detractionis; in oblivione omnium injuriarum. 3tia. Luctus hæc consistit in dolore de peccatis, in mortificatione carnis, in fuga iocorum lusuum, &c.

4ta. Esuries justitiæ; consistit indesiderio adimpletionis divinæ voluntatis, in cura & cultu perfectionis, in custodia legum sui statûs.

*Punctum 3tium.* Expende alias beatitudines quarum 5ta misericordia, consistit in compassione & in reali adiutorio sive amici, sive inimici. 6ta. munditia cordis, quæ consistit in fuga omnis peccati etiam venialis & in puritate cogitationum. 7ma pacificatio, quæ consistit in pace carnis cum spiritu, passionum cum ratione, animæ cum DEO. Dicuntur autem beati non qui vnum actum ex prædictis fecerunt; sed qui plurimos, vbiq; semper data occasione. Propositum: *Studium orationis & perfectionis.* Tessera: *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit.*

*Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.*

## PRO FERIA II.

### *De octava beatitudine.*

PUnctum 1mum. Octava beatitudo est tolerantia adversorum, quæ vt sit perfecta, quinq; requirit. 1mum. Ut sit lata, hoc est, vt se extendat ad omnis generis iniurias sufferendas sive corporis, sive animæ, sive ab amicis, sive ab inimi-

cis. 2dum. Ut sit alta, hoc est, vt non solùm patienter sed & gaudenter fiat. 3tium Ut sit purissima quo ad intentionem, hoc est, vt merè propter Deum fiat. 4tum vt sit fortis & constans ad mortem. 5tum vt sit insatiabilis, plura & acerbiora semper desiderans pati. Desiderium & postulatio eiusmodi tolerantiæ.

*Punctum 2dum.* Expende quàm absolutum huius tolerantiæ exemplum nobis Christus reliquit in infantia fugiens Herodem; tempore prædicationis, sustinens tot persecutiones tot injurias, tempore passionis, sustinens tantos cruciatus. Expende item persecutionum præmium, in hac quidem vita inter ærumnas spirituale gaudium; in altera cæleste bravium. Utinam imitatores fiamus Domini nostri excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritûs S. Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione. Benedictus, qui per momentaneum & leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

*1. ad Tes-sal: 1.*

## PRO FERIA III.

### *De perfectione Evangelica.*

*Matth: 5.*

Punctum 1mum. Dictum est antiquis: *Non occides. Ego autem dico vobis non irasci*, &c. Considera Evangelicam legem

legem non tollere quo ad moralia Mosaycam, sed perficere, præcipiendo omne genus virtutum, tam theologicarum quàm moralium, erga Deum, nos ipsos & proximum. Considera deinde perfectionem eiusdem legis Evangelicæ: quæ omnem culpam sive parvam, sive magnam, non tantùm quo ad externa opera sed & quo ad internas cogitationes & affectiones pravas prohibet. Considera item perfectionem legis eiusdem ex eo, quod omnem non modo offensam Dei, sed etiam injuriam proximi, sive opere, sive ore faciendam arceat, dum & racha & fatue prohibet dici fratri: *Frater enim nullus noster est, nisi qui eundem habet nobiscum patrem. Cum ergo similiter credat in Deum & Christum Dei noverit sapientiam qua ratione stultitiæ elogio denotari potest.*

*Lex Evangelica non tollit Mosaycam quo ad moralia.*

*Prohibet omnẽ culpam & magnam & parvã: & internam & externam.*

*Prohibet omnẽ iniuriam proximi, etiam in verbis.*

Pu*nctum 2dum. Estote ergo perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Considera quàm absolutam idæam perfectio hæc Evangelica habeat infinitam scilicet perfectionem cælestis Patris. O quanto zelo & solicitudine in omni sanctitate & justitia imitanda! O quanto conatu quotidie ad maiorem & maiorem oportet aspirare perfectionem! vide & examina te an ad sanctitatem Patris cælestis saltem per recessum à malo tendas. Ora vt te

*Hieron: in Matth: 5.*

*Perfectio æterni Patris, idæa nostræ perfectionis.*

Chri-

*Dignitas nostra exinde quia Patrẽ habemus Deum ipsum*

Christus Dominus faciat in justitia abundare. Considera insuper, quæ sit dignitas nostra quòd Patrẽ in cælis habeamus: quòd filij Dei nominemur & simus, sumus autẽ si præcepta eius custodimus, si mundamus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, si perficimus omnem sanctificationem in timore Dei. O ergo Pater noster qui es in cælis sanctificetur Nomen tuum in nobis regula sanctificationis & perfectionis nostræ voluntas tua fiat semper in terra sicut fiat in cælo: vt quemadmodum Angeli inculpatè tibi seruiunt in Cælo, ita & in terra nos homines seruiamus tibi.

## PRO FERIA IV.

### *De recta Intentione.*

*Matth: 6.*

PUnctum imum. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis* Considera quàm solicitè Christus inculcet, ex operibus bonis non venari more Pharisæorum vanam gloriam sed solùm gloriam Dei scrutantis ima cordium quærere, ideoq; quantum fieri potest, potius in occulto, quàm publico exercenda velit, nisi aliud charitas & ædificatio proximi exigat. Redi in te ipsum, & vide qualiter opera tua faciebas: qua intentione, an Deo, an hominibus placendi? & propone in posterum in oc-

culto tuam facere iustitiam. Quod si opus tuum sit in publico, intentio maneat in occulto: totusq; finis boni operis publici sit glorificatio æterni Patris, & proximi ædificatio.

*Punctum 2dum.* Considera Christum Dominum totâ vitâ sua, id quod docuit, expressisse, cavendo plausum hominum dum miracula patraret quærendo secretum dum orationi vacaret; & in omnibus operibus alijs intentionem suam ad maximam æterni Patris gloriam dirigendo. Considera item mercedem bonæ intentionis quæ est in hac quidē vita maior gratia & bonæ conscientiæ testimonium in altera maior animæ & corporis gloria. Considera demum pœnam vanæ gloriæ, quæ est in hac quidem vita turbatio conscientiæ; in altera retributionis privatio. Fatuis Virginibus oleum laudum humanarum pro sua externa rectitudine mercantibus clausa est janua regni cælestis.

*Merces rectæ intentionis.*

*Pœna vanæ gloriæ*

## PRO FERIA V.

### *De angusta porta salutis: & suavi iugo CHRISTI.*

PUnctum 1mum. *Contendite intrare per angustam portam.* Clamat ille qui factus est via, intrate per arctam portam ait S. Aug: ser: LV. in Ioan. Qui ja-

*Lucæ 13. & Mat: 7.*

nua est, idem & via. Si vis intrare per Christum in vitam æternam, ambula per ipsum: imitare eius humilitatem, mansuetudinem, patientiam, paupertatem, aliasq; virtutes. Per arctam portam tumens quomodo intrabit? Ergò detumesce si cupis ingredi. Accipe humilitatis medicamentum bibe contra tumorem poculum amarũ sed salubre humilitatis. S.Aug: ibid.

*Punctum 2dum.* Expende quàm seriò æterna sapientia commendat intrare per angustam portam, hoc est, per accuratam præceptorum Dei & consiliorum observantiam: per corporis passionumq; mortificationem: per bonorum operum exercitationem & animæ cum Deo vnionem: sed pauci sunt qui hoc perfectionis studium curant: quod serò nimis deflebunt cum intrare non poterunt. Discurre hîc mente & cogita quam multi sunt, qui per latam viam gradiuntur & pereunt. Dole, ora, ne & tu cum pereuntibus pereas. Ora ne à paucis dividaris.

*Viam virtutis quæ reddūnt amabilē?*

*Punctum 3tium. Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Quanquam servitus Dei habet suas asperitates habet tamen & jucunditates. Laborem in via virtutis suavem reddit, imo exemplum Christi & Sanctorum. 2do consolatio interna & dulcedo ex conscientia recte facti. 3tio. spes

ſpes præmij cæleſtis. 4to. ipſa bonæ actionis honeſtas. E contra jugum diaboli o quàm durum! Cupidi honorum, deliciarum, divitiarum, heu quæ & quanta patiuntur? o quàm multos Martyres habet diabolus? O IESU via veritas, & vita, da mihi per anguſtam portam ad auguſtam gloriam pervenire? ſuave mihi ſemper ſit jugum tuum. Amanti ſuave eſt: non amanti durum. Inſpira ergo mihi amorem & da ſuavitatem.

*S. Auguſt: ſerm: 12.*

## PRO FERIA VI.

### *De dormitione Chriſti in Mari.*

PUnctum imum. *Ipſe verò dormiebat.* Quare dormit IESUS dum fluctus naviculam mergere incipiunt? 1mo. vt oſtendat quandam dulcem requiem ſe in hominis corde tunc habere quando tribulationum fluctibus impetitur, non quòd lætetur ex anguſtia noſtra ſed quod ſciat vtiliſſimum valde meritorium nobis eſſe tribulari. 2do. dormit ideò vt oſtendat ex permiſſu & diſpoſitione ſua eſſe ſi inſurgant quæcunq; contra nos adverſitates. 3tio. dormit ideò quia vult vt eum orationibus ad dandum auxilium excitemus. Clamemus ergo ad Dominum in omni tribulatione noſtra. Exurge quare obdormis Domine: exurge & ne repellas

*Cauſæ dormitionis Chriſti inter fluctu maris.*

in finem. Cur faciem tuam avertis oblivíscens inopiæ nostræ & tribulationis nostræ.

*Punctum 2dum.* 4to. dormit ideò vt probet fidem & fortitudinem nosttam in adversis. Unde discipulos increpuit: *Quid timidi estis modicæ fidei.* In fortitudine defecerunt propter timorem: in fide propter vacillationem: 5to dormit vt ostendat hominem justum in medijs malis securum & tranquillum esse secundùm illud Prov: 93. Non contristabit justum quidquid illi acciderit. Dormit tandem quia dissimulat peccata hominum quæ continuò perpetrantur: quasi ea non videns. Sed inopinatò excitabitur & percutiet inimicos suos: opprobrium sempiternum dabit illis. O IESU da mihi fidem firmam in te ipso: da fortitudinem in concussam: da conscientiam rectam da & pro præteritis pænitentiam propter quam dissimulas peccata nostra: & tunc non nocebunt nec prævalebunt mihi tentationes vllæ.

Mar: 4.

*Punctum 3tium. Erat dormiens in puppi super cervical.* Durus lectus fuit puppis naviculæ sed durior longè Crux in qua in meridie inter incendia amoris sui inter æstus immanium tormentorum salvator meus recubuit. Quo fine? vt nos molli-

molliter in regno eius quiescamus: sed nunc necesse in duris perferendis Christum imitari. Per naviculam Crucem intelligit Dionysius Carthusianus in qua dum IESUS dormit, magnus motus factus est in mari; quia totus mundus commotus fuit. Navicula fluctibus operta: quia Christus in Cruce pendens tormentis, blasphemijs, irrisionibus, doloribus repletus erat. impletumq; illud: Repleta est malis anima mea. Et super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Crux tua Domine IESU in omni tribulatione sit cervical meum, solatium & quies mea. Da in hac soporari dum insurgunt contra me tentationum & persecutionum venti.

## PRO DIE SABBATI.

*De sedata maris tempestate.*

PUnctum 1mum. Dormiente Christo oborta est in mari tempestas vehemens. Ut ab origine mundi ita etiã nunc non solùm universalem Ecclesiæ navem, sed in particulari quemq; electum occultæ providentiæ suæ consilio persæpe Dominus Deus sinit iactari propter varias causas. 1ma. ut electi suam infirmitatem agnoscant. 2da. ut sibi diffidentes divi-

*Causæ ob quas Deus electos suos permittit iactari ten-*

*tationum & tribulationum fluctibus.*

num auxilium implorent. 3tia. vt viriliter certando meritum augeant.

*Punctum 2dum* Excitatus Dominus imperavit ventis & mari. Quàm admiranda, amanda, & glorificanda Christi potentia, cui omnes creaturæ licet rationis expertes ac etiam furiosum mare ad nutum obediunt! solus homo ad imaginem Dei factus, rationis compos, aliquando obedire non vult. Per ventos, passiones: per mare, cor intelligitur. Imperas Domine & non compono passiones meas: nec conquiescit cor meum, sed fervet jam concupiscentiâ, jam irâ, jam alijs perturbationibus. Nimirum relinquis me mihi vt obediens voci tuæ præmium, inobediens pænas reportem, sed rogo te benignissime Domine cohibe evagationes meas, & vim facientes elide tentationes. Impera ventis & mari: & rebellem etiam propitius ad te, compelle voluntatem meam. Et te rogo Domina facta nobis quasi navis institoris: porta me securè inter fluctus mundi ad portum felicitatis æternæ.

*Punctum 3tium. Et facta est tranquillitas magna.* Ecce author pacis mare turbatum pacatum reddit; scilicet ad hoc venit in mundum, vt pacificaret omnia, & quæ in terris, & quæ in cælis sunt.

Et pro-

Et propterea non fecit miraculum in aqua per divisionem; sicut Moyses divisit mare, & sicut Iosue & Elias diviserunt flumina, neq; in aere tonitrua excitavit & fulgura, sicut Elias. *Quia videlicet non conveniebat ei qui omnia in statum pacis & tranquillitatis revocare venerat, vt vel turbationem aeris, vel divisionem aquarum faceret.*

*S. Thomas 3. p. q. 44 ar. 4. ad 3.*

Deus meus & omnia? qui facis cor tranquillum & pacem magnam, lætitiamq; festivam: & quando veniet beata & desiderabilis hora, vt me tua saties præsentia & sis mihi omnia in omnibus; vtq; per te pacem habeam & abundantius habeam! Adhuc (proh dolor) vivit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfectè mortuus. Adhuc concupiscit fortiter contra spiritum, bella movet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum: sed tu qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius mitigas; exurge, adiuva me.

*Colloquiũ ex Thom: à Kempis. l. 3. c. 34.*

# MEDITATIONES

## de Castitate.

## PRO DOMINICA V. post Epiphaniam

## *De malis cogitationibus vitandis.*

PUnctum 1mum. Cum dormirent homines venit inimicus homo & super seminavit zizania. Discute primùm parabolam zizaniorum & interpretationem eius in Evangelio positam, postmodum sequentia. Evagatio mentis ad illicita est filia acediæ. dormimus, cum nos acedia tenet: hac verò dum tenemur, mens nostra ad illicita defluit; & sic seminantur in agro cordis nostri cogitationes malæ: quæ demum nisi resipiscamus, erunt nobis pabulum ignis infernalis. Detestatio cogitationum impudicarum. Propositum mentem aliò avertendi dum occurrent.

*Punctum 2dum. Spiritus S. auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate. Sap: 1mo.* Cogitationes sine intellectu sunt illæ, quæcunq; sunt contra dictamẽ rationis & contra legem divinam: vti sunt cogitationes impudicæ: & quibus alteri malum optatur aut paratur. Vide quia Spiritus S. non potest habitare vbi sunt cogitationes stultæ & illicitæ. Vide item quia talis homo qui immoratur stultis cogitationibus, citò corripietur ab iniquitate. Examina te qualis soleas esse in incursu cogitationum malarum: an morosus, an fugitivus.

*Proximus peccato operis, qui immoratur cogitationibus pravis.*

Pun-

*Punctum 3tium. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Deum videbunt mundi corde tanquam purgatũ mentis oculum habentes. Si beati mundo corde. quoniam Deum videbunt: igitur miseri & maledicti, qui volvunt in mente cogitationes immundas quoniam privabuntur visione Dei; indigni scilicet videre Deum, qui mentem suam occupabant imaginibus & imaginationibus turpibus. Pete munditiem cordis, detestare cogitationes malas, & alios affectus congruentes elice. Propositum: malas cogitationes fugiendi, hoc est, dum occurrunt, statim aliò mentem avocandi. Virtus: *Castitas*. Tesseræ quibus vel quarum aliquâ per septimanam interdum aspires ad Deum: *Matth: 5.*

*Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

*Magister mi castissime, fac me spurcitias carnis immaculato calle transire.*

*Qui pergis inter lilia septus choreis Virginũ: fac nos nescire omnia corruptionis vulnera.*

## PRO FERIA II.

### *De exemplis, voto, & bonis castitatis.*

PUnctum 1mum. Meditare affectum castitatis, & constantiam eiusdem con-

ſervandæ in Sanctis relucentem. S. Caſimirus maluit mori quàm fœdari. S. Thomas de Aquino titione lupam fugavit. S. Benedictus volutavit ſe in vepribus. S. Franciſcus in nivibus. Tot greges virorum, mulierum, ac virginum maluerunt in fruſta diſcerpi, vri, ſecari, ac ingentia ſubire tormenta, qàm caſtitatem amittere. Pudeat non imitari? potuerunt alij cur non ego?

*Punctum 2dum.* Conſidera obligationem voti quo obſtrictus es. *Melius eſt non vovere quàm votum non adimplere.* O quanto zelo & furore corripiuntur viri dum vxores infideles deprehendunt. Atqui Deus maior zelotes. *Quisquis continentiam Deo voverit* (ait S. Hieronymus in 1. ad Teſſal: c. 4.) *fecit ſibi illicitum quod licebat.*

*Punctum 3tium:* Conſidera item bona caſtitatis quæ ſunt: 1mo. familiaritas cum Deo. Hinc caſti iuvenes, viri virgineſq; familiaritatem cum Deo Sanctiſq; Angelis habuerunt, vt S. Ioſeph, S. Antonius, S. Paulus primus Eremita. Beatus Stanislaus Koſtka, B. Stanislaus Oporovius, S. Roſa, & innumeri alij. 2do. delectationes ſpirituales. Pectus enim caſti hominis eſt lectulus floridus vbi IESUS cum anima deliciatur. 3tio. gratioſitas

quæ-

quædam ex animo in vultum promicans. *Castimoniæ enim comes, nitor gratiæ.* Propositum & tessera sumatur ex die hesterna.

*Ambrosius de Ioseph.*

## PRO FERIA III.

### *De natura & malis Luxuriæ.*

PUnctum 1mum. Luxuria est appetitus inordinatus turpium voluptatum. Vitium hoc ex natura sua est nimis lubricum, & maximæ adhærentiæ: facilisq; ad illud lapsus sed exitus difficilis; & ideò *diabolus maximè gaudet de peccato luxuriæ.* Insuper est origo amoris proprij, *omnium peccatorum fontis*: item odij Dei: nec non desperationis in quantum ex affectu carnalium delectationū fastidiuntur spiritualia nec reputantur pro bonis ac proinde non sperantur, imò ratione acediæ luxuriam comitantis, positivè desperantur tanquam non possibilia ad adipiscendum. Hinc est quod multi luxuriosi, vt exempla docent, ad extremum vitæ sinè seriâ pænitentiâ venerunt: & in articulo mortis desperantes pænitere noluerunt. Detestare luxuriam. Pete de sursum castitatem.

*Punctum 2dum.* Mala luxuriæ sunt: 1mo. inquinat non modò mentem sed & corpus. Quodsi grande peccatum est polluere materialem Ecclesiam: quid vivum

templum Dei? 2dò. summè scandalisat, væ autem homini per quem scandalum venit. 3tio. infamiam inurit, quæ est quædam mors civilis: nocetq; non soli infamato sed toti congregationi ex qua est ille qui malè audit. 4to. morbos obscænos procreat. 5to. *consumit omnia bona gratiæ & naturæ* vt patet in filio prodigio. Ora vt superiùs.

*Glossa in Luc: 15.*

*Punctum 3tium.* Demum luxuria, vt supra, ad desperationem trahit. Desperatio autem est omnibus alijs etiam gravissimis peccatis periculiosior: quia per spem revocamur ad bona prosequenda: sublatâ verò spe irrefranatè labuntur homines ad vitia. Et ideò desperatio insanabilis dicitur. Insanabilis fractura tua Hier: 30. & Hieron: ait: *Solum desperationis crimen est quod curari nequeat.* Est autem vnum ex peccatis in Spiritum S. Contrariatur enim bonitati eiusdem quia per contemptum abijcit donum ipsius, (scilicet spem) quô à peccando retraheretur homo. Cave & ora ne lubricâ viâ ad baratrum desperationis & inferni ruas.

## PRO FERIA IV.

### *Væ luxuriosis.*

*Lucæ 6.*

PUnctum 1mum. *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis.* Risus hic pro

iocis

iocis lascivis, & quibuscunq; impudicis delectationibus accipitur. Rectè risus vocatur omnis inhonesta & mundana delectatio: quia solùm in ore & externa corporis natat superficiè, ad cor non pervadit; vnde & illicò post expletam libidinem mærore cor cruciatur. *Væ vobis qui ridetis nunc:* sicut beati qui nunc lugent, quia in perpetuum consolabuntur; ita væ illis qui nunc rident; quia in æternitates perpetuas plorabunt.

*Quid per risum intelligitur in scriptura.*

*Punctum 2dum. Execratis & fornicatoribus pars erit in stagno ardenti & sulphure. Apoc: 21.* Execrati qui intelliguntur? *imo. qui naturæ iniuriam in proprio corpore inferunt. Deinde qui cinædos cogunt obsequi ad masculam venerem. Et qui quoquo modo postica diverticula quærunt explendæ libidini sive in simili, sive in dissimili specie sexuve. Arbitror etiam consanguineorum incæstus in hoc catalogo censeri, & Sacerdotum sive etiam Monachorum fornicationes. Hos omnes scriptura hæc condemnat & cogit in stagnum ardens igne & sulphure:* hucusq; Gregorius Cælius.

*Execrati qui?*

*in Apoca.*

*Punctum 3tium.* Iustè cruciabuntur libidinosi igne & sulphure; quia ipsi ardebant concupiscentiâ, & fætebant voluptatibus. Ignis enim vrit, & sulphur fætet: quibus fomentis omnia gravissima & fæti-

*Ignis & sulphur quid?*

fœtidissima pænarum genera designantur. Propositum & oratio eiaculatoria per diem replicanda petatur ex die Dominico.

## PRO FERIA V.

*Inquinationi in cælo locus non est: nec in nobis sit.*

*Inquinatus, abominationem faciens, qui?*

PUnctum imum. *Non intrabit in eam* hoc est, in Ierusalem cælestem *aliquid coinquinatum aut abominationem faciens. Apoc. 21.* Inquinatus dicitur, mentaliter peccans: abominationem faciens, fœda carnis exercens opera; vterq; excluditur à regno cælesti. Unde & infra arcentur ab eodem canes & impudici. Canes, sunt luxuriosi: impudici sunt, qui vacant actibus impudicis, moriturae virginitatis prodromis. Quis non desideret introire in Civitatem illam cælestem de qua tam gloriosa dicta sunt? Ergo procul esto inquinatio omnis, procul abominatio omnis.

*Sumus Sponsa Christi.*

*Punctum 2dum. Sponsa Christi, arca est testamenti intrinsecùs & extrinsecùs deaurata, custos legis Domini.* S. Hieronymus ad Eustochium. Anima nostra sponsa est

*Arca testamenti.*

Christi: debet ergo charitatis & puritatis tam intus, hoc est in mente, quàm in ore opereq; quod foris est splendere. *Nos sumus genus electum, regale sacerdotium,*

gens

*gens sancta, populus acquisitionis*: Omnis cogitatio & conversatio nostra cælestis esse debet. Nec tantum status & vocatio nostra sublimis est, sed etiam grandia & pretiosa castitatis promissa: quæ nobis donavit Deus, vt per ea divinæ efficiamur consortes naturæ fugientes eam quæ in mundo est concupiscentiam corruptionis. Quid maiùs dici potest, quàm quod Divinæ efficiamur consortes naturæ? Propositum & oratio eiaculatoria vt supra.

*Genus electum, &c*

*Grande præmium castitatis. divinæ participatio naturæ.*

## PRO FERIA VI.

*Iesus crucifixus docet continentiam.*

Punctum 1mum. *Cum aperuisset Agnus librum, omnia quæ in cælo & in terra, & subtus terram sunt: dederunt gloriam Deo.* Quid est liber apertus, nisi IESUS Christus in cruce tanquam in cathedra expansus: lege in eo, meditare in eo; & sordescent tibi carnalia desideria. Disces in eo amorem Dei erga nos intensissimum, ipseq; vicissim redamare ardebis dabisq; gloriam Deo: disces puritatem omnimodam; ideo enim pro nobis in carne mortuus est, vt non secundùm carnem vivamus.

*Apocal 5.*

*Liber apertus est IesusChristus crucifixus.*

*Punctum 2dum. Dominus meus crucifixus est: & ego oleum comedam?* Vox est

*Meditatio de crucifixo movet ad fugam delectationis & peccati.*

S. Palæmonis nolentis in oleo comedere in die Paschatis. dic tu: Dominus meus crucifixus est, & ego voluptati operam dabo! *Salvator noster caput inclinavit in morte vt oscula daret suis dilectis.* S Augustinus. Ille mihi dulce vult dare osculum: imò sæpè dat per illustrationem mentis, & dulcem affectionem voluntatis: & ego ipsi obvertam dorsum, & me ad nefanda, ad turpia convertam? Propositum & Tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *Voluptas momentanea.*

*S. August: stulte eligitur momentanea voluptas.*

PUnctum imum. *Momentaneum quod delectat: æternum, quod cruciat. Sub momento enim transit impetus libidinis; & permanet sine fine animæ infelicis opprobrium.* Quanta stultitia pro momentanea oblectatione æternos gehennæ mercari cruciatus! Quis non fatuum judicaret, qui pro exigua & brevissima vnius pomi delectatione regno exui eligeret: sicut & Esau fatuitatis arguitur, qui pro vno edulio ius primogenituræ vendidit. Stultus Aman, qui pro brevi voluptate & vitam perdidit & regnum. *Stulti illi qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Stultorum horum infinitus est numerus. Vide ne eorum numerum te ipso augeas.

*Pun-*

*Punctum 2dum. Sed nemo poteſt eſſe continens niſi Omnipotens dederit? omne enim donum perfectum deſurſum deſcendit, vbi non ſunt nuptiæ: & deſcendit non à quolibet, ſed à* Patre *luminum.* Ergo ora vt tibi detur continentiæ donum: dabitur ſine dubio ſi perſeveranter petieris. Ora per Beatiſſimam Virginem, cui ſummè placet caſtitatis virtus, ipſa eſt Mater pulchræ dilectionis: fædos amores non deſeres niſi per illam. Ipſa eſt aula lucis fulgida: eam ames & ores, ſi tenebroſa carnis opera fugere deſideras. Ipſa eſt hortus concluſus, fons ſignatus: eius ſimilitudinem habebis ipſeq; per continentiam clauſus & ſignatus eris carnalibus illecebris, ſi ad eam fueris devotus. Propoſitum & Teſſera vt ſupra.

[*Ora à Deo caſtitatem. Contra Iovinianũ.*]

[*Virgo Beatiſſima caſtitatis conciliatrix.*]

# MEDITATIONES
## Ad virtutem humilitatis inclinantes.
## PRO DOMINICA VI. poſt Epiphaniam.
### *De grano Sinapis.*

Præludiũ 1mum. Statuè ante oculos tuos Christum de grano ſinapis prædicantẽ.

Præludium 2dum. Pete gratiam, vt poſſis intelligere & fructum ex meditatione reportare.

Pun-

Matt: 23.

PUnctum 1mum. *Simile est regnum cælorum grano Sinapis.* Regnum cælorum doctrina Christi est: quia per eam tendimus ad possessionem æternæ beatitudinis. Grano sinapis assimilatur; quia potissimum de humilitate tractat, contemptum nostri suadet, & monet ne abhorreamus conteri ab hominibus. Salubre sinapi est; salutaris doctrina Christi. Requiescunt volucres in arbore sinapis; & nos magnam requiescendi in eloquijs Christi opportunitatem habemus. Requiescemus autem si audiamus & custodiamus verba Dei, si, quod suadet Evangelium, amemus humiliari, amemus conteri, pro nihilo, pro vilibus & abiectis reputari, si amaritudines & opprobria non horreamus. Ita ne tecum est o anima mea?

*Doctrina Christi granũ sinapis.*

*Quare?*

*Qui fiet vt requiescamus in eloquijs Christi.*

*Punctum 2dum.* Doctrina christi de humilitate, de contemptu sui, de mortificatione, crescit in arborem altissimam per quam in cælum facilè conscendimus. Quò magis humiliamur, eò magis in cælum elevamur: qui se humiliat exaltabitur. Humiliare itaq; vt exalteris. Eia o humillime IESU da mihi ne horream amare pusillitatem, abiectionem & contemptum mei ipsius. Tu ipse granum sinapis fuisti quia pusillus: quia humillimus: quia ama-

*Colloquiũ.*

*Granum sinapis Christus.*

amarus tibi ipsi, nobis verò suavis & dulcis; quia te conteri & in pulverem redigi optabas amore salutis nostræ: quia tota substantia tua non propriæ vtilitati, sed gloriæ æterni Patris & nostræ saluti serviebat. Fac ergo vt imiter, qui aliunde ex natura parvulus sum & abiectus. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Propositum desiderare contemni & vilis haberi. Virtus: humilitas. Tessera replicanda crebrò per septimanam assumatur ex infra positis:

*Da Domine humiliter sentire, & non exaltare animam meam: ne sicut ablactatum est super matre sua; ita retributio fiat in anima mea.*

*Da mihi dulcissime Iesu omnibus mori, quæ in mundo sunt, & propter te amare contemni, & nesciri in hoc sæculo. Thomas à Kempis.*

*Confiteor Domine quia nihil aliud sum quàm terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione nihil germinat: fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum, & mortem. S. Aug: in solilo.*

## PRO FERIA II.

### *De humilitate eiusque actibus.*

Præludium 1mum. Statue ante oculos Christum Dominum humilitatis studium inculcantem.

Præ-

Præludium 2dum. Pete gratiam ex humilitatis cognitione in eius amorem exardescendi.

PUnctum 1mum. Humilitas est virtus moderans & restringens appetitum hominis, ne efferatur supra se. Actus seu gradus humilitatis duodecim assignat S. Benedictus in regula. 1mus. est aspectum in terram defigere. 2dus. pauca verba & rationabilia loqui non clamorosâ voce. 3tius. non esse facilem aut promptum ad risum. 4tus. taciturnitas vsq; ad interrogationem. 5tus. tenere quod habet communis regula monasterij. 6tus. credere & pronuntiare se omnibus viliorem. 7mus. ad omnia indignum & inutilem se credere & confiteri. 8vus. confessio peccatorum. 9nus. in duris & asperis patientiam amplecti. 10mus. cum obedientia se subdere maiori. 11mus. vt voluntatem propriam non delecteris implere. 12mus. vt Deum timeas & memor sis omnium quæ præcepit.

*Gradus humilitatis 12.*

*Punctum 2dum.* Esto hîc ponuntur etiam aliarum virtutum actus, non est tamen inconveniens quòd humilitati adscribantur; quia sicut vnum vitium oritur ex alio, ita naturali ordine actus vnius virtutis procedit ex actu alterius virtutis. Adverte quòd absq; omni falsitate & men-

& mendacio possis te credere & pronuntiare omnibus viliorem secundùm defectus tuos occultos, quos in te recognoscis; & secundùm dona Dei quæ in alijs latent vel patent: ad omnia item te indignum & inutilem secundùm proprias vires, vt sufficientia nostra omnis in Deum referatur iuxta illud 2. ad Corint: 3. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Amor humilitatis. Desiderium & Propositum actus enumeratos exercendi. In super propositum & Tessera vt heri.

## PRO FERIA III.

### *Humilitas necessaria ad salutem: & qualis?*

PUnctum 2dum. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum. Matth: 18.* Vide humilitatis necessitatem: qua necessitate conversio ad Deum per charitatem, eadem & humilitas requiritur. sed qualis? qualis in parvulis. Humilitas parvulorum non est posita in profundis inclinationibus, capitis apertione, alijsq; externis signis sed in eo quia non efferuntur: quia neminem contemnunt: non appetunt honorari, non curant, nec tristantur si de-

*Necessitas humilitatis.*

*Humilitatem parvulorum requirit Christus in nobis.*

ſpiciantur: deniq; omne genus hominum ſibi ſimile putant, ac de nemine quidquam mali ſuſpicantur. Hanc humilitatem in nobis deſiderat Dominus.

*Punctum 2dum.* Vide humilitatem Christi Domini in hoc ipſo: quia de præcedentia in regno cælesti interrogatus parvulum accerſivit, ſuaviter allocutus & complexus eſt, ſuſcipi in nomine ſuo cum appromiſſione præmij iuſſit, ſcandaliſari horrendâ ſimilitudine vetuit. O Magiſter humilitatis quàm ego longè ſum à doctrina tua! nullos mores nullam ſimilitudinem parvulorum habeo, totus faſtuoſus, aliorum contemptor, deriſor, mei ipſius amator. Væ mihi, væ mihi peccatori! Miſerere Domine IESU: ecce nunc vt parvulus metuens virgam indignationis tuæ iaceo ad pedes tuos ſanctiſſimos, flens & deprecans; vt avertas indignationem tuam à me; vt dimittas quod conſcientia metuit, & adijcias quod oratio non præſumit. Propoſitum & Teſſera vt ſupra.

*Humilitas Chriſti circa parvulos.*

*Colloquiū.*

## PRO FERIA IV.

### *Superbia omnem iuſtitiam deſtruit, & vindictam poſt ſe trahit.*

PUnctum 1mum. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne*

*forte*

*forte elidatur virtus tua per stultitiam: & folia tua comedat, & fructus tuos perdas, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Eccl. 6. Superbia est mera stultitia per eam omnis virtus nostra, quam Dei gratiâ comparavimus eliditur & annihilatur: per eam pereunt omnes exteriores obseruantiæ nostræ instar foliorum quæ à bruchis aut erucis comeduntur: per eam pereunt omnes interiores fructus virtutum nostrarum: per eam demum efficimur velut lignum aridum in eremo aptum non nisi igni infernali ad combustionem.

*Superbia est stultitia.*

*Per eandē destruitur omnis virtus nostra.*

*Punctum 2dum. Humilia valdè spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis.* Eccl: 7. Superbus, impius vocatur; quia se Patri suo cælesti, aperto quasi Marte opponit: propter quod etiam Deus dicitur peculiari modo resistere superbis. Omnium quidem vitiorum vindex Deus; at potissimum superbiæ quia regina est iniquitatis. Ignis pœnam sensus, vermis pœnam damni significat: hac vtraq; vlciscetur se Deus de superbis. Ergo humiliemur sub potenti manu Dei. Quid enim est vnde superbire & gloriari possimus? quid habes seu in bonis naturæ, seu in bonis gratiæ quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

*Omnis superbus est impius.*

*Sequitur superbos vltor à tergo Deus. Sen.*

*Ignis & vermis quid?*

## PRO FERIA V.

### *Humilitas Apostolorum: amori proprio inimica.*

*Humilitas Apostolorum.*

PUnctum imum. *Tanquam purgamenta facti sumus: omnium peripsima.* ait Apostolus Paulus ex persona aliorum Apostolorum. Purgamenta sunt sordes quas conspuimus, conculcamus, & demum in vnum collectas eijcimus foras. Tales fuerunt Apostoli quantum ad præparationem animi. Parati erant conspui & conculcari: indignos se aspectu humano divinoq; iudicabant: parati erant eijci è Synagogis & domibus hominum, sicut etiam eijciebantur. En tanta fuit humilitas in Apostolis Principibus mundi penes curam totius orbis, penes solicitudinem omnium Ecclesiarum, penes miraculorum potestatem. Ego verò propter peccata mea, & ingentes abominationes verè non sum dignus quem terra portet: dignus sum omni dehonoratione & contemptu; & tamen quomodo exardesco si dehonoror! quam longè sum ab humilitate Apostolorum.

*Punctum 2dum.* Cogita quod arrogantiæ fons sit amor proprius. *Amor Dei & proprius duas ædificant civitates: ille vsq; ad contemptum sui, hic vsq; ad contemptum Dei.*

ait S. Aug: Amor autem proprius ibi eſt, vbi deficit cognitio ſui ipſius. A cognitione Dei & ſui ipſius tam initium quàm proſecutio vitæ melioris pendet. Quia Apoſtoli ſe cognoſcebant: ideo ſeipſos contemnendo in amore Dei iugiter proficiebant. noſce & tu teipſum & dic: frequenter cum S. Franciſco: *Quis ſum ego Domine & quis tu.* & cum S. Auguſtino. *Noverim me, noverim te, nec aliquid cupiam niſi te.* Propoſitum & Teſſera vt in die Dominico.

*Amor Dei & proprius duo architecti: ille humilitatē & contēptū ſui, hic ſuperbiā & contēptū Dei architectatur.*

## PRO FERIA VI.

### *Humilitas Christi Domini.*

PUnctum imum. *Cum in forma Dei eſſet formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo.* ait Apoſtolus de Chriſto. *Cum in forma Dei eſſet*: hoc eſt, cum eſſet Deus & Dominus vniverſorum *exinanivit ſemetipſum*: hoc eſt, ita ſe depreſſit & humiliavit, vt plane nihil factus ſit, non quidem amittendo, ſed abſcondendo naturam Divinam, conditionem verò imo & habitum ſervi aſſumendo. Conſidera quàm exactè implevit ſervilem conditionem. Servus erat Patris æterni: ideo in omnibus voluntatem eius faciebat vſq, ad mortem crucis, ſervus erat hominum;

*Humilitas Chriſti Domini ſecundùm formā ſervi.*

quia non venit ministrari sed ministrare. Perpende vitam Christi & invenies eam nihil fuisse nisi ministrare hominibus, obediendo, prædicando, infirmis serviendo, docendo, peregrinando, patiendo. Tu verò qui naturâ servus es, an imples conditionem servi? Examina teipsum an voluntatem divinam facis? an humiliter exples superiorum mandata? an paratus es ad sustinenda convitia & verbera? an ministras alijs? an verò potius ministrari & deferri tibi desideras?

*secundùm habitum.*

*Punctum 2dum.* Non erat contentus Dominus formam servi, hoc est, naturam humanam accipere, nisi & habitum acciperet. Poterat in natura quidem humana apparere, at lumine sicut vestimento indui; non fecit tamen, vt per omnia & internè & externè servum ageret. Nobis exemplum proposuit, vt externo habitu internam humilitatem nostram restemur; vt simus & exteriùs & interiùs humiles. *Erubescat homo esse superbus quoniam humilis factus DEVS.* S. Augustinus. in Ioan: serm: XLI. Propositum & Tessera vt supra.

PRO

## PRO DIE SABBATI.

### *Humilitas dilectionis Mater, in Virgine Beatissima admirabilis.*

*Punctum imum. Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, vt idem sapiatis eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes: nihil per contentionem aut inanem gloriam, sed in humilitate sibi invicem superiores arbitrantes. ad Philip: 2.* En quomodo obtestatur Apostolus discipulos suos vt fraternitatis dilectionem servēt: simulq; dat modum vnanimitatis servandæ, si nimirum sint humiles, & alter alterius sensui cedat, nemo per cōtentionem aut inanem gloriam præcellere velit, & singuli singulos sibi superiores existiment. Felix societas, felix communitas, vbi viget regula hæc Apostoli, vbi humilitate certatur! Disce ac memoriæ imprime regulam hanc, singulaq; eius puncta: atq; opere implere cura.

*Vbi humilitas: ibi vnanimitas & fraternitatis dilectio.*

*Punctum 2dum.* Ut monitum hoc Apostolicum exequaris, propone tibi Virginem Beatissimam Iosepho, Elisabethæ, Ægyptijs & tot hominibus infimis humiliter ministrantem sese abiectissimam, & præ omnibus vilissimam reputantem. Vere ipsa

*Virgo Beatissima humilitatis exemplar.*

rè ipsa omnes homines sibi superiores. Superiores arbitrabatur. Unde magnificabat Dominum quia respexit humilitatem eius. alij legunt *nihilitatem*. Si Mater Dei non nisi ancillari avet; tu dominari & superbire audebis? Ora Virginem Beatissimam vt tibi impetret virtutem hanc sibi familiarissimam. Propone exemplo eius nulli te præponere, omnibus postponere. *Non nocet enim si omnibus te postponas: nocet autem plurimum si vel vni te præponas. Thomas à Kemp:*

# MEDITATIONES
## Mansvetudinem suadentes.

## PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

### *Ira ex iniuria apprehensa: & ex invidia oritur.*

Præludia convenientia.

*Ira non fit nisi ob iniuriã apprehensã.*

PUnctum imum. Murmurant servi indignantes æquiparatos sibi esse in mercede conservos qui minus laborarunt. Ira non fit nisi ob iniuriam. Nemo enim irascitur si se iustè læsum recogitet. Unde etiam vni servorum hodiernorum dicitur: *Amice non facio tibi iniuriam.* ac si diceretur: cur indignaris, si tibi nulla fa- *Matth: 2.*

cta iniuria? Et nos plerumq; irascimur non læsi iniuriâ vllâ, nisi fortè falsò apparente & apprehensâ. Examina te ipsum, & depræhendes te toties excanduisse absq; causâ iustâ. Dole, aliosq; affectus elice.

*Punctum 2dum.* Vitium vnum oritur ex alio vnde indignatio hæc in servis contra Dominum? ex invidia. Invidebant felicitatem æqualis mercedis conservis suis, ideo indignabantur contra Dominum: invidebant qui gaudere debuerant de bonis proximorum suorum: si dilectionem proximi habuissent, nec conservis, nec Domino fuissent irati; sed quem fructum reportarunt ex livido & nequam oculo? afflictionem. Afflictio enim in proximorum prosperis est filia invidiæ. Amor proximi. Gaudium de aliena felicitate & desiderium eiusdem. Detestatio iræ & invidiæ. Propositum nullum durius verbum alijs loquendi, sed nec gestu iniurioso offendendi. Virtus *mansvetudo.* Eiaculatoria oratio crebrò per hebdomadã repetenda aliqua ex subiectis.

*Ex invidia oritur ira.*

*O IESU mi absconde me in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum!*

*Creator mi evelle à me animi rancorem, & largire mihi mitis mentis dulcedinem S. Aug:* cap. 1. in meditationibus.

*Tu qui imperasti ventis & mari & facta*

est

*est tranquillitas magna: veni & ingredere super fluctus cordis, vt tranqvilla & serena fiant omnia mea, quatenus vnum bonum meum amplectar te. S. Aug: ibidem.*

## PRO FERIA II.

### *Quare? & qualiter? & unde exterminabuntur iracundi?*

PUnctum 1mum. *Desine ab ira & derelinqve furorem quoniam qui malignantur exterminabuntur.* Malignatur quis contra te, hoc est, malè indignatur, irascitur, furit: ne tu rependas vicem, ne æmuleris in malignando. Quare? quia omnes malignantes exterminabuntur, hoc est, eijcientur è numero viventium. Cholera enim abbreviat vitam. Eccl: 30. *Zelus & ira minuent dies.* Et non modo morte naturali citò extingvuntur omnes iracundi, sed etiam plerumq; casuali inter iurgia vel per insidias aliquas ex improvisò. Miserere mei Domine quoniam conturbatur in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Conturbatur intellectus, voluntas, memoria mea: & sic utraq; vita mea læditur. Miserere ne vincar à malo, sed vincam in bono malum.

*Punctum 2dum.* Exterminabuntur iracundi, quod infinite miserius est, ex terra illa quæ est solidus & æternùm duraturus

turus beatorum locus, quam ipsi soli hæreditabunt sustinentes Dominum, hoc est vindictam non quærentes, sed proximo quidem omnem offensam condonantes, Deum autem solum judicem & vindicem salvo affectu & dilectione proximi expectantes. Non demus ergo locum diabolo. Non contristemus Spiritum S. per iram. Non simus nosmetipsos defendentes charissimi sed demus locum iræ. Scriptum est enim: mihi vindictam & ego retribuam sic modo quidem vitam prolixam, postea verò æternam habebimus.

## PRO FERIA III.

*Non irascendum quia judicabimur & quia qui nos exercent in spe sunt emendationis prosuntq; nobis.*

PUnctum 1mum. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, &c. Matt: 5.* Tres gradus iræ assignat Magister noster. 1mus est, irasci in corde. 2dus. erumpere in vocem aliquam iniuriosam internæ commotionis testem & nihil aliud significantem qualis est vox Racha, & quæcunq; alia interiectio indignantis. 3tius. est erumpere in verbum contumeliosum malitiosè. His correspondent tres reatus; judicij, concilij, gehennæ. In judicio fit

discus-

discussio de crimine, in concilio de pæna, in gehenna executio pænæ. Grave peccatum: gravis & pæna. Non enim leve est imaginem Dei in proximo proscindere: fædare alterum appellatione, honorem & pacem cordis alteri auferre. Soni etenim contemptivi & irrisorij & multo magis convitia & contumeliæ conturbant homines atq; ad iram & tristitiam adducunt. Pone Domine custodiam cordi & ori meo vt cor meum ad iram, os meum ad sonos & verba malitiæ non declinet ne fortè reatum gehennæ incurram. Quæ si ob verbum fatue incurritur quis eam effugiet?

*Punctum 2dum.* Audi & perpende verba S. Aug: in Psal: 54. dicentis: Utinam qui nos modo exercent convertantur & nobiscum exerceantur: tamen quam diu ita sunt vt nos exerceant non eos oderimus; quia in eo quod malus est quis eorum, vtrùm vsq; in finem perseveraturus sit ignoramus. *Et plerumq; cum tibi videris odisse inimicum fratrem odisti & nescis.* Non habes certè o anima mea cur irascaris contra eum qui te verbis & factis impellit. imò verò gaude & gratias age, quia tibi factus occasio meriti amplioris. quia te exercitatione sua in virtute mansuetudinis roborat: quia factus tibi velut aurifaber te in camino tribulationis à scoria

*Prodest nobis qui nos affligit.*

expur-

expurgans vel tanquam lithogoliphus ſeu lapicida te rude ſaxum cæleſtis Hieruſalem ædificio expoliens. Propoſitum. Teſſera vt ſupra in die Dominico.

## PRO FERIA IV.
### *Manſuetudo honor animæ*

PUnctum 1mum. *Fili mi ſerva in manſvetudine animam tuam: & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum. Eccl: 10.* Anima noſtra meretur honorem ampliſſimum, quia ſecundùm eam portamus imaginem Dei: ſecundùm eam ſumus capaces gratiæ & gloriæ Dei· ſecundum eam ſumus ſimiles Angelis paulò minus ab illis minorati. Iuſtum eſt igitur vt illi honorem præſtemus. Honoramus homines cum illis inclinamur, cum caput aperimus, cum genua flectimus; honoramus animam cum eam in manſuetudine ſervamus. Manſuetudo honor eſt animæ: ſceptrum & diadema per quod regnat in affectibus hominum: nam per manſuetudinem non ſolùm honorabilis ſed & amabilis vnuſquiſq; efficitur. Unde alibì dicitur: *Fili mi in manſvetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris. Eccleſ: 3.* Quantopere igitur deſideranda, colenda, & cuſtodienda!

*Anima noſtra honoranda.*

*Quare?*

*qualiter?*

*Punctum 2dum.* Exhonorat ſe qui vul-

tum

*Non solũ homo sed etiã Deus exhonoratur per iram.*

tum ſuum luto commaculat: exhonorat Regem qui imaginem eius detergens pingit imaginem beſtiæ. Manſuetudo, ſimilitudo Dei eſt. Quid enim Deus eſt? niſi mera pax & ſvavitas nullis mutabilis adverſis. Qui ergo pacem & pacatam mentem commutat in rancoris effervefcentiam, ſimilitudinem Dei tollit ex anima ſua, diaboli, beſtiæ immaniſſimæ figurâ ſuccedente. Deteſtatio iræ. Propoſitũ Teſſera.

*Colloquiũ.*

O IESU mi qui me hominem creaſti: qui mihi pretioſam animam intellectualem, virtutum, gratiæ gloriæq; tuæ capacem contuliſti; fac ne vnquam eam exhonorem vllo vitio, ac potiſſimum beſtialibus iracundiæ motibus; fac vt honorem imaginem tuam in anima mea. Si carnem meam diligo, cur non diligo animam meam, creaturam tuam, ſpiraculum vitæ, quod tu inſpiraſti mihi; imò thronum tuum, aram tuam, cælum tuum rationale.

## PRO FERIA V.

### *Mitibus & humilibus lætitia Spiritualis appromiſſa.*

PUnctum imum. *Et addent mites in Domino lætitiam & pauperes in Sancto Iſrael exultabunt. Iſaiæ 29.* Pauperes ſpiritu hoc eſt, humiles & mites addent lætitiam ad lætitiam: novis & novis lætitiæ

tiæ Spiritualibus gradibus cumulabuntur, & in Deo suo non qualitercunq; gaudebunt, sed exultabunt, id est quodammodo præ gaudio saltabunt. vt S. Franciscus præ gaudio saltitasse narratur. Iracundi novum & novum addunt sibi merorem, novas & novas experiuntur molestias, alterationesq; dum quid non juxta eorum succedit votum: mansueti alieni sunt à fluctibus alterationum. Omnem ergo amaritudinem & iram & indignationem, clamorem, & blasphemiam tolle à me Domine: Da mihi dulcedinem animæ quæ est sanitas ossium vt vterq; homo meus exultet in te Deo meo.

*Punctum 2dum.* Quare verò & quando mites addent lætitiam in Domino? ideo quia mites maximè sunt sui compotes, pacatumq; gerunt animum, in quo suaviter author veræ lætitiæ Spiritus S. requiescit. *In pace enim locus eius & habitatio eius in Sion.* Nec otiatur vnquam Spiritus S. sed vbicunq; est, ibi fructus suos operatur, inter quos & lætitia principalem habet locum. Quando & hic & in cælo lætitiam super lætitiam habebunt mansveti: præcipuè autem in vsu Sanctissimi Sacramenti iucundabuntur. Hic lac consolationum sugunt mansveti: hic torrente voluptatis potantur. *Beati mites,*

*Quare?*

*Quando abundant in lætitia mansveti?*

quoni-

*quoniam ipsi possidebunt terram.* Corporis & sanguinis Domini: & in hac terra tanquam propria hæreditate delicijs fruentur, & de ubertate illius inebriabuntur. Amor mansuetudinis. Detestatio iræ. Condonatio offensarum. Propositum Tessera.

## PRO FERIA VI.

### *Christus mansvetus: imitandus ut pacem cordis habeamus.*

PUnctum imum. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis reqviem animabus vestris.* Suavis Dominus vniversis optans nobis tanquam amicis & fratribus suis tranquillam & beatam adhuc in hoc sæculo vitam dat medium breve & efficax ad cordis requiem obtinendam. *Discite à me &c.* hoc est, imitamini meam mansuetudinem & humilitatem. O verè mansuetus Christus! mansuetus in nativitate, in vita, in morte; in nativitate pacem toti mundo attulit, & per Angelos annuntiavit, non inter leones, sed mansueta inter animalia iacuit, furori Herodis cessit non restitit: in vita cum parvulis & simplicibus colloquebatur, ad calumnias & convitia Iudæorum suaviter & modestè respondebat, aut tacebat, ex discipulis neminem ne quidem Iudam

*Christus mansvetus in nativitate.*

*in vitá.*

*in morte.*

Iudam ipsum durius increpuit: in morte tanquam agnus, coram tondente se obmutuit. Sis benedictus Christe IESU totus suavis, totus mansuetus & amabilis. Fac vt discam semper quàm sis mitis, & discendo ac recogitando mansuetudinem tuam, eandem in me ipso exprimere studeam.

P*unctum. 2dum.* Imitare anima mea Christum Ducem ac Magistrum tuum, si vis requiem cordis invenire. Quid desiderabiliùs requie cordis? quid optabiliùs quàm suaviter & imperturbatè vivere in hoc sæculo? Habebis id si mitis & humilis corde fueris. Pacem cordis vel maximè impedit ac turbat passio iræ. Hæc enim cum sit furor quidam, insanis hominem agitat intùs, & extra motibus. Mansuetudo est mater pacis internæ. sed mansuetus non potest esse nisi qui humilis est. superbi namq; cum sibi ipsis placeant, & suam excellentiam appetant, si quid contrarium fortè fiat eorum voluntati, facilè exardescunt, ideoq; *inter superbos semper iurgia sunt. Prov: 18.* Meliús ergo humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.

*Pacem cordis passio iræ turbat.*

*Mansvetũ non potest esse, nisi qui humilis est.*

Hei mihi Domine quoniam anima mea turbatur valde motibus passionum! *quoniam non cesso ambulare vias difficiles, & à*

*Colloquiũ.*

*te magis magisq; me elongans iactor & effundor, & diffluo & ebullio per transgressiones meas! Collige me Domine à dispersione mea. Repauset & requiescat anima mea in te saltem fatigata fallacijs.* Ut verò requiescat, da illi veram humilitatem: da mansuetudinem: da quod iubes Domine, & iube quod vis.

*S. August.*

## PRO DIE SABBATI.

### *Dulcis Dominus: dulcis & Domina nostra.*

PUnctum 1mum. *Dulcis & rectus Dominus diriget mansvetos in iudicio: docebit mites vias suas.* O quæ & quanta mansuetis promissa! sicut dulcis Dominus erga nos est, ita vult, vt alter ad alterum dulces non amarulenti simus. Et si dulces ad invicem fuerimus, etiam recti erimus Domino dirigente vitam nostram. Vide quomodo speciali ratione Magistrum mansvetorum agit Dominus. E contra iracundus non habet Deum directorem: sed præceps ruit in peccata. *Qui ad indignationem facilis est, erit ad peccandum proclivior. Eccl. 24.* Ora vt tibi det Dominus virtutem mansuetudinis, doceatq; te vias suas, in quibus constanter ambules.

*Qui dulcis est, & rectus erit*

*Punctum 2dum.* Dulcis etiam & mansuetis-

ſuetiſſima Virgo MARIA. *Spiritus meus ſuper mel dulcis..* ait de ſe ipſa. Eccl: 24. Imitare in dulcedine ſi filius es, ſi vis vt ſe tibi monſtret matrem. *Quando iſta vel vultu læſit parentes: quando diſſenſit à propinquis: quando faſtidivit humilem: quando deriſit debilem?* Hæc omnia, actus ſunt manſuetudinis. *Abominatio eſt Domini omnis illuſor: ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.* Illuſoribus manſueti contraponuntur; illos abominatur Dominus, hos diligit. Time lædere, time diſſentire, time faſtidire humilem, deridere debilem; ne etiam in tuo interitu rideat Dominus. Oratio conveniens ad Virginem Beatiſſimam. Propoſitum. Teſſera vt ſupra.

*Dulcedo & manſvetudo Virginis B.*

# MEDITATIONES
## Ad patientiam invitantes.
## PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

### *In patientia reportatur fructus ex verbo Dei.*

PUnctum 1mum. *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ 8.* Retractatâ primùm hodierni evangelij parabola eiuſq; explicatione à Chriſto facta. Conſidera quàm providè conſerat Deus ſemine Divini verbi animas noſtras, partim per

*Retractatâ primùm hodierni evangelij parabolâ eiusq́ explicatione à Christo facta considera quã providè, &c.*

internas inspirationes, partim per ora concionatorum, confessariorum, magistrorum spiritualium. Considera deindè quàm multi ex semine verbi nullum fructum referunt: aliquando illud flocci pendendo conculcant: aliquando spinis curarum sæcularium obruunt: aliquando mox oblivioni tradunt. O quanta hominum cæcitas! Tu qualis es ad verbum Dei? an secus viam: an petra, an spinetum, an terra bona?

*Punctum 2dum.* Considera item eos solos Auditores verbi Divini à Christo laudari, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientia, hoc est, qui patienter audiunt uerbum, patienter retinent pro tempore & in tempore tentationis, atq; ita in sua patientia fructum reportant ex verbo Dei. Patientia ergò nobis necessaria vt reportemus repromissiones. Sicut agricola debet esse patiens in laboribus & iniurijs cæli; debet patienter expectare messem; ita nos nisi simus in animi nostri cultura patientes, nullum fructum faciemus. Amor & desiderium patientiæ & constantiæ. Propositum *illusiones & confusiones quasvis patienter amore Christi tolerandi.* virtus: *patientia.* Eiaculatorij actus sequentes commendantur.

*Domine IESU dummodo me non proÿcias*

*cias in æternum, neq; deleas de libro vitæ, nihil mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis, super me.* Thomas à Kempis.

*In manu tua sum: gyra & reversa me per circuitum.* idem

*O qui talem sustinuisti adversum temetipsum contradictionem, fac ne fatiger animo deficiens in adversitate.*

## PRO FERIA II.

### *Considerationes tribulationem alleviantes.*

Præludium 1mum. Statue ante oculos tuos Christum Dominum ad patientiam adhortantem.

Præludium 2dum. Pete gratiam ad amandi virtutem patientiæ.

*Christus patiens solatium ac robur tribulatorũ.*

PUnctum 1mum. Omnis tribulatio levis imò & suavis futura est ex sequentibus considerationibus. 1mo. *Recogitemus eum qui talem pro nobis sustinuit adversum semetipsum contradictionem:* quomodo Christus in cruce manibus, pedibusq; confixus erat ita vt nec digitum vnum sublevare, nec cruorem abstergere, muscam depellere datum sit illi. Omnis status, omnis conditio persequebatur, calumniabatur, blasphemabat innocentem. Consolantem se quæsivit & non invenit: vndiq; afflictissimus & desolatissimus; & quidem non

pro ſe nec culpa ſua, ſed pro nobis, culpiſq; noſtris diſpenſavit ſecum, vt tanta abſq; vllo ſolatio pateretur. Pro nobis ipſis & pro noſtris culpis, cur nos non patiamur adverſa?

*Punctum 2dum.* Cogitemus etiam Chriſtum peculiari modo eſſe nobiſcum dum tribulamur. Abeſſe quidem videtur à corde noſtro, adeſt tamen præſens & velox ad auxilium ſi invocemus. Antonio magno quærenti: *vbi eras Domine IESU*, dum tantas inferni perſecutiones paterer? in corde, inquit, tuo affui: certamen tuum aſpiciebam, ſpectator ſimul & auxiliator. D. Chryſoſtomus in Pſalmum 9. ait: *Tunc maximè ſentimus auxilium Dei, quando verſamur in afflictionibus.* Adiutor in tribulationibus Domine IESU: da reſumere ſpiritum poſt tempeſtatem, da reconvaleſcere in luce miſerationum tuarum.

*Christus Dominus peculiariter adeſt tribulatis*

*Punctum 3tium.* Cogitemus item omnem tribulationem ſive illa ſit ab hominibus, ſive à morbis, ſive à peccatis & quibuſcunq; cauſis leve quoddam & breve purgatorium eſſe, de quo Dominus Iſaiæ cap: 48. *Ecce excoxi te vſi te non in argenti ſed inopiæ & tribulationis fornace.* Si nolumus in purgatorio horrendas tolerare pænas; hic purgemur in camino tribulationis. Ecce Pater dilecte in mani-

*Tribulatio purgatorium huius vitæ.*

bus

bus tuis ſum ego: ſub virga correctionis tuæme inclino. Meliùs eſt hic corrigi quàm in futuro. Hic me de negligentia purga cum paucis, vt mundus coram te inveniar.

*Thomas à Kem: lib: 3. c. 50.*

## PRO FERIA III.

### *David idea patientiæ & manſuetudinis.*

P*Unctum 1mum. Si Dominus incitat te adverſum me, odoretur ſacrificium* 1. Reg: cap: 26. verba ſunt patientiſſimi & manſuetiſſimi David ad Saulem perſecutorem ſuum prolata. Intellectus eorum iſte: ſi voluntas Domini eſt vt per te affligar, imò & moriar: fiat quod ei placet, habeat me ſibi pro victima; paratum cor meum ad omnia etiam ad ipſam mortem ſuſtinendam iuxta ſanctiſſimum eius beneplacitum. Non præſtantioris naturæ ſed obſervantioris David fuit: & ſi ille ante incarnationem Domini tanta inſignia patientiæ monſtrabat; quid nos facere & quales eſſe convenit poſt vitam & exempla Chriſti?

P*unctum 2dum.* Multi ſunt qui ad martyrium vel ad aliquam patientiam heroicam dari ſibi occaſionem optant: & in modicis rebus patientiam ſuam probare & exercere gravantur; vix modicè læſi & iam exardeſcentes. Habemus omnes vbe-

*Materia patientiæ ſemper eſt obvia.*

rem materiam patientiæ à fratribus, à superioribus, ab ægritudinibus, à molestijs varijs & defectibus. Dicamus ergo omnibus istis seu hominibus seu afflictionibus: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.* Utinam fiam victima in odorem suavitatis Dei! Examina te qualis esse soleas in occasionibus patiendi. Propositum. Tessera vt supra.

## PRO FERIA IV.

### *Tribulatio brevis & parva: sed gloria æterna & immensa.*

*Punctum imum. Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corin: 4. Considera verba singula. Vita nostra quantumvis prolixissima, vix momentum dici potest respectu æternitatis; quid verò tribulatio exiguo durans spatio? Levis porrò est omnis tribulatio mundi, quia ipsam levem facit finis ipsius propinqvus: deinde facit levem maior miseria & afflictio aliorum hominum: item exemplum Christi patientis & Sanctorum; item spes mercedis æternæ: demum quia & ipsa tortura corporis vitam adimens, quo maior est eo citiùs mortem adducit, & sic finitur. Efficiatur mihi Domine quælibet

*Quæ levẽ faciũt tribulationẽ omnem?*

bet exercitatio tribulationis pro nomine tuo non tantùm levis sed & amabilis ac optabilis. Nam pati & vexari pro te valdè est salubre animæ meæ.

*Thomas à Kem. lib: 3. c. 19.*

*Punctum 2dum.* Considera quòd quanquam momentanea & levis est omnis tribulatio; tamen supra modum, supra mensuram, supra captum in sublimitate statûs beatitudinis æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Propter quod iubet gaudere Salvator in adversitatibus: *Cum vos oderint homines &c. gaudete & exultate quoniam merces vestra multa est in cælo.* Radix amara tribulationis, quàm dulcem fructum gloriæ æternæ profert. Benedictus Deus qui tribulationes quidem nostras breves voluit esse, at præmia felicitatis æterna! *Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo IESU, modicum passos ipse perficiat confirmet solidetque.*

*Poæmium tribulationis.*

*1. Per. c. 5.*

## PRO FERIA V.

### *Calix duplex: medicinalis vnus, alter non.*

P*Unctum 1mum. Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?* Ioan: 18. ait Christus ad Petrum. Bibit Salvator meus alacriter calicem amarissimum passionis pro mea salute, quia ipsi Pater

*Calix duplex tribulationis tempora-*

 propi-

*lis & æternæ damnationis* propinavit. Et mihi amantissimus Pater offert calicem tribulationis epotandum; ergo ne abijciam? Pater est: amat non odit offerendo. Est & alius calix in manu Domini, scilicet furoris & iræ divinæ ex quo meretrix Babylonica, hoc est, vniversitas reproborum per sæcula sæculorum inebriabitur amarissimis supplicijs: & præ magnitudine amaritudinis ac torturæ insaniet & blasphemabit Deum omnipotentem. Elige ex his duobus calicem vnum. Calicem Domini affectanter bibe, si amicus eius esse, & partem cum eo habere desideras.

*Calix tribulationis, medicinalis.*

*Punctum 2dum.* Sumimus potionem quantumvis amaram causâ sanitatis. Calix tribulationis, medicinalis est & conducentissimus saluti nostræ: igitur impigrè bibamus. Biberunt tot Sancti & Sanctæ quos memoriâ tenes. Biberunt bibuntq; fratres & proximi quos vides; cur ergo tu nauseas? potuerunt alij: tu non poteris? *Omnis afflictio carnis patienter tolerata, medicina est animæ & satisfactio pro peccatis, & spes futuræ beatitudinis & gloriæ.* O mi IESU fac per merita Sanctissimæ passionis tuæ, vt in quacunq; angustia, in quacunq; tribulatione imiter ardorem & alacritatem tuam patiendi. dicam: *Calicem quem dedit mihi Pater*, vtiq; bonus,

*Thomas à Kem. c. 6. in valle liliorum.*

vtiq;

vtiq; misericors, vtiq; summè & infinitè amans, *non bibam illum*: bibam, bibam avidè. Calix hic à Deo mihi propinatur; ergone respuam illum? Tribulatio ista à Deo mihi immittitur, ad probandam patientiam & constantiam meam: patiar itaq; libentissimè. Gratias tibi ago Pater æterne, quia me fecisti communicare passionibus Filij tui vt & gloriæ ipsius congaudeam exultans. *Colloquiū.*

## PRO FERIA VI.

### *Christus Dux ad patiendum.*

PUnctum 1mum. *Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam.* Si Christum pati oportuit vt intraret in gloriam suam; nos quomodo intrabimus non compatiendo? Via crucis, est via regia ad cælum: hanc Christus trivit, calcavit; hanc & tu calcare necesse habes, si vis ad regnum eius pervenire. *Si pati non vis, recusas coronari*, ait Thomas à Kempis. Sequela Christi patientis, indicium est electionis ad gloriam. Quando es in tribulatione, & mærore cordis; tunc es cum IESU in cruce, futurus cum eodem in Paradiso. Si quid aliud meliùs & vtiliùs saluti hominum quàm pati fuisset, Christus vtiq; verbo & exemplo ostendisset.

*Punctum 2dum.* Milites ferventer in 

vehun-

vehuntur in hostem inter mille pericula vitæ, quando vident Ducem suum præcedentem & vulnera excipientem. En dux noster Christus & mercedem gloriæ æternæ proponit, & ipse primus sanguinem fundit: ipse primus in arenam cruenti certaminis descendit; sequamur. *Nolo sine vulnere esse cum te sic vulneratum videam*: ait Bonaventura. *Nemo potest de delicijs transire ad delicias.* ait Hier: ad Iulianum. Necesse est vt vel hîc cum Christo patiamur æternum lætaturi; vel cum mundo breviter tripudiemus, in puncto ad infernum descensuri.

*Colloquiũ.* Non convenit Domine vt ego gregarius miles cuticula non sauciâ & benè curatâ triumphem; tu verò dux in oculis meis pænè vnum sed grande & lachymabile vulnus lassescas! O dux meus, & notus meus tam multi bellantes adversum te, tam multorum ictus excipis; & ego in pace manebo? Tu mare amaritudinis effectus es; ego vir consolationum sim? O mi IESU fac ne sim delicatum membrum sub spinoso capite. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *Præconia & exempla tribulatorum.*

*Apocal: 2.* P*Unctum vnum. Scio tribulationem tuam:*

*am: sed dives es & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse & non sunt, sed sunt Synagoga sathanæ. Ne timeas quæ passurus es: ego protector tuus.* Christus alloquitur Episcopum Smyrnæum, & in eius personá vnum quemq; tribulatum. Blasphemia est sermo iniuriosus adversus Deum & Sanctos eius. Omnis ergo qui tribulationem sustinet & exercetur à perversis; & dives est in spiritu, & Sanctus est, & sub Dei protectione est. *Ne timeas quæ passurus es.* hoc est, noli mærere ex præsenti tribulatione, sed neq; timeas imminentem: *Ego protector tuus.* Verè Domine tu es Deus confortans in tribulatione. Tu protector meus: non timebo *quid faciat mihi homo.*

*Punctum 2dum. Dicunt se Iudæos & non sunt, sed sunt Synagoga sathanæ.* hoc est, isti qui alios dictis aut factis iniuriosis affligunt, dicunt quidem se confessores Christi, dicunt se Christianos; re ipsa tamen non sunt, sed potius sunt è numero & cætu ministrorum diaboli. Ad Synagogam sathanæ spectant qui alios tribulant: igitur qui tribulantur & patienter sustinent, ad Ecclesiam & regnum Christi pertinent. Magna consolatio cuiusvis patientis: quia est dives in spiritu: quia Sanctus: quia habet protectorem Altissimum: quia spectat ad Ecclesiam Christi primùm militantem, postea triumphantem.

*Cõsolatio patientis.*

*Exempla patientiæ*

*Punctum 3tium.* Perpende exempla variorum Sanctorum ab alijs iniuriam passorum. Noe octavus iustitiæ præco ab improbis per centum & amplius annos subsannatus. Abraham à Chaldæis variè divexatus & in ignem vt traditio Hebræorum est, coniectus. Loth, inter pessimos Sodomitas iniquis operibus de die in diem cruciatus. Iob inter impios Idumæos afflictus. Et extra scripturam varia patientiæ specimina habes. S. Martinus adversarium suum patientissimè sustinuit illud replicans: *Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Brictium?* Perpende patientiam ipsius Virginis Beatissimæ, qua tolerabat omnes iniurias Filio suo & sibi, facto ac verbo irrogatas à filijs hominum; *quorum dentes arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Oratio ad Virginem Beatissimam pro virtute patientiæ. Propositum & Tessera vt supra.

*Quis Sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit? Thomas à Kem: l. 2. c. 12.*

# MEDITATIONES
## Ad modestiam allicientes.
## PRO DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.
### *De cæco illuminato & increpatione eius.*

Prælùdium 1mum. Statue ante oculos tuos

tuos Iesum modestissimum ascendentem Hierosolymam, prædicentem passionem suam, & cæco lumen impertientem.

Præludium 2dum. Pete gratiam, vt te illuminet, quatenus per virtutem modestiæ fias velut lux quædam alijs bono exemplo lucens.

Punctum 1mum. Cæcus quidam sedebat secus viam. Fuit is Bartimæus, id est filius cæcus. Considera virtutes huius cæci. 1mo. fidem qua Christum esse Messiam & filium David credidit. 2do. fervorem in oratione, quia cum affectu clamabat: *Iesu Fili David, miserere mei.* 3tio constantiam quia cum moneretur vt taceret, magis vocem elevabat. 4to. gratitudinem, quia sanatus sequebatur Iesum magnificans Deum. Cæcus hic est typus cuiuslibet peccatoris à Christo per gratiam illuminati, de quo illud: *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Michææ 7. Imitare virtutes cæci istius.

*Lucæ 18. Mar: 10.*

*Punctum 2dum. Et qui præibant increpabant eum vt taceret.* In tota illa turba & comitatu ob reverentiam Salvatoris nullus clamor, nullus tumultus erat, sed silentium & modestia omnis; ideoq; & cæcus increpatur, quod præsente Salvatore immodestiùs clamaret. Præsens est tibi Christus: ne ergo clames, ne cachinneris,

ne le-

ne levitates exerceas, ne quidquam indecens opereris. Propositum abstinendi in publico à circumspectionibus, & omni immodestia. Virtus: *modestia.* Tesseræ per Septimanam repetendæ: aut omnes aut aliqua earum:

*Domine Iesu sit oculus meus simplex & totum corpus meum lucidum.*

*Quocunq; iero tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram vbicunq; fuero non recedis. quidquid facio ante te facio:* S. August.

*O lux animæ meæ! o beata dulcedo Domine, da mihi placere proximo in ædificationem.*

## PRO FERIA II.

### *De præsentia Dei per 3. modos.*

Præludium 1mum. Cogita videre te quasi immensum lumen quod vniversum orbem velut punctũ penetrat & illustrat.

Præludium 2dum. Pete gratiam congruentem.

P*Unctum 1mum.* Contemplare omnes vniversi partes, & quidquid in illis est. 1mo. Cælum cum sole, luna, stellis. 2do. Elementa: vt ignem cum sphæra sua; aërem cum nubibus, pluvijs, ventis, avibus; aquam cum piscibus & monstris marinis; terram cum arboribus, animalibus, segetibus, lapidibus. 3tio. locum vbi stas aut flectis, & teipsum & omnia existentia, imò etiam & possibilia, & spatia imagina-

ginaria: nihil ex istis invenies quod non occupet & intimè penetret DEUS. O quam cæci sumus qui sic præsentem non veremur vt iudicem, non amamus vt Patrem!

*Triplex modus præsentiæ divinæ.*

*Punctum 2dum.* Considera 3. modos quibus Deus noster est in omni loco, & in omnibus rebus. 1mò. per essentiam quia verè ac realiter est in illis secundùm suam totam divinitatem. Quare credendum est quod hic vbi ego sum, est DEUS secundùm totum suum esse, Pater & Filius, & Spiritus S. & idem qui hîc est, est etiam in cælo; & si hîc haberem lumen ad ipsum clarè cognoscendum, hic me faceret beatum. 2do. per præsentiam: quia omnia cognoscit & videt individua, opera, verba, cogitationes, desideria, motus omnes cuiusq; rei. 3tio. per potentiam: quia non solùm est cognoscens quid in vno quoq; sit, sed etiam suâ omnipotentia dat omnibus rebus esse & operari. Non itaq; Deum locus sustinet sicut me: sed Deus ipse locum sustinet, & quod aliquæ res sunt, ideo sunt quia ipse illis dat esse; quod vivunt vel vegetantur, vel intelligunt, Deus ipsis dat vivere, vegetari, intelligere. O anima si oculum tuum elevares, videres te nunquam esse solam; gauderes de præsentia talis Mo-

narchæ qnovis loco: illiq; soli placere non hominibus aut tibi studeres.

*Punctum 3tium.* Considera adhuc magis particulares modos quibus Deus est intra me & ego intra ipsum. 1mo. quia me circumd t & ambit ex omni parte, sicut aer avem, aqua piscem. 2do. quia quemadmodum pupilla est intra oculum, ita ego sum intra ipsum. 3tio. quia existo in illo velut in abysso inscrutabili, aut in oceano immenso: velut in lumine infinito: in igne semper ardenti. 4to. quia semper circumdor eo tanquam infans vtero, vt non possim vivere, spirare, moveri nisi per ipsum & in ipso. O anima mea quomodo non exultas aspiciens te ipsum, hoc modo intra Deum tuum! quomodo audebis peccare! Propositum & Tessera vt supra.

## PROFERIA III.

### *Præsentia Dei modestiæ autrix.*

*Dens semper nobis præsens tanquam spectator.*

P*Unctum 1mum.* Qui in scena personam aliquam spectante Rege, Senatoribus, magnaq; hominum frequentiâ agit; curat vt quam optimè agat. In theatro mundi huius personam Christiani, Sacerdotis, Religiosi spectante Deo, Angelis, totoq; cælo agendam suscepimus: quidni ergo curemus exactè implere?

Quid

Quid tibi Christiane cum pompis Diaboli quibus renuntiasti? quid cum moribus gentilium? saltus impudici, larvatæ facies, cantus inhonesti, non sunt Christianæ militiæ sed gentilismi. Sed & tu Sacerdos, tu Religiose considera quomodo personam tuam agis in conspectu Dei.

*tanquam iudex.*

*Punctum 2dum.* Quis audebit peccare vel leviter in conspectu Dei sedentis super throno iudiciario in Maiestate magna, imo verò quis tunc non tremet & non pavebit? Anima mea, idem ille est coram quo ambulas nunc: in eius oculis versaris: ergone peccabis & non potius in timore ac tremore te habebis. Cælestes potentatus contremiscunt coram tanta maiestate: & tu miser ac miserabilis homuncio, ridebis, insolesces, peccabis?

*tanquam vltor.*

*Punctum 3tium.* Si aliquis iudex aut iustitiæ executor potestatem habens supra vitam tuam tibi semper quocunq; te verteres, præsens cum districto gladio adesset, posset q; te dum aliquid mali patras aut loqueris, statim occidere; non ne cautissimus esses, teq; decentissimè gereres. Sane Deus cum districto gladio iustitiæ suæ semper nobis adest præsens, potestq; nos dum aliquid mali lethalis facimus, perdere in instanti & mittere in gehennam: imò & fecit multis sic, quorum

exempla ſcire potes. Time ergo & tu: *Verè magna nobis indita eſt neceſsitas iuſtè, piè & timorate vivendi, quia cuncta facimus ante oculos iudicis cernentis.* S. Aug. Propoſitum & Teſſera vt ſupra.

## PRO FERIA IV.

### *De natura actibus & motivis modeſtiæ.*

*Modeſtiæ natura.*

PUnctum 1mum. Conſidera quid ſit modeſtia? eſt enim virtus inclinans hominem ad componendos iuxta rationis dictamen externos motus. Conſidera item quæ excellentia, vtilitas & neceſſitas ipſius.

*Excellētia*

Excellentia magna; maximè enim commendabilis homo modeſtus.

*Utilitas.*

Utilitas eius & neceſſitas ſumma præcipuè in Religioſo. Religioſus enim immodeſtus facile ſcandaliſat fratres & ſæculares; *Væ autem mundo à ſcandalis.*

*Actus.*

Actus modeſtiæ ſunt motus iræ comprimere: in inceſſu, ſtatu, habitu, in omnibus motibus decentiam ſervare: in recreationibus non effundi in nimiam lætitiam: in veſtitu honeſtatem non mollitudinem tenere. Fuga ſcandali. Exertitium actuum modeſtiæ.

*Motiva.*

*Punctum 2dum.* Motiva modeſtiæ ſunt: 1mo. præſentia & aſpectus Dei. hoc motivo hortatur Apoſtolus ad modeſtiam: *Modeſtia veſtra, nota ſit omnibus hominibus.*

*Domi-*

*Dominus enim propè est.* hoc est, vt se explicat: *non longe est ab vno quoq; nostrum. Ipsius enim & genus sumus & in ipso vivimus movemur ac sumus.* In conspectu Regis, Superioris, &c. compositi sumus: cur non in conspectu Dei? 2do. Status Sacerdotalis & monasticus. *Sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent.* ait Hieronymus. Velut sermo & doctrina Sacerdotum sancta est; ita & manus, & oculi sancti esse debent, illæ quia Deum quotidie attrectant; hi quia spectant. 3tio. exempla Christi, Beatissimæ, Sanctorum, fratrum degentium. 4to. memoria mortis, quam habere monemur, dum cineribus in Ecclesia conspergimur. Propositum Tessera vt supra.

## PRO FERIA V.
### *Modestia lux nostra.*

PUnctum 1mum. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Tenebræ peccata sunt, & quidquid dedecet hominem. Lux sunt opera bona, vita & conversatio bona: *omne enim quod manifestatur lux est.* bona autem vita, bona opera non quærunt latebras, sed manifestari gaudent. Præcipuè verò modestia nostra lux est; quia sicut

Matt. 5.

lux rapit ad se oculos & delectat: ita & modestia.

*Punctum 2dum.* Tota lux vitæ & conversationis nostræ ad id solum debet tendere vt Pater æternus glorificetur; vt qui vident nos bene compositos magnificent Deum. Non nostram gloriam sed Dei in propatulo dum sumus, quærere debemus. Vide fructus boni operis, modestæq; conversationis. 1mo. tu ipse luces, hoc est lucem famæ bonæ acquiris. 2do. proximus ædificatur & exhilaratur. 3tio. Deus glorificatur. *Colloquium:* O IESU lux animæ meæ, fac me ita vivere vt luceam coram oculis tuis & hominum, bona famâ, operibus pijs, modestiæ actibus, & moribus integerrimis? Tota lux vitæ & conversationis meæ ad id solum tendat vt tu cum Patre & Sanctissimo Spiritu glorificeris. Dicant milliesq; repetant timentes te & videntes me: *Benedictus Dominus & Pater Domini nostri Iesu Christi.* Benedictus & millies benedictus in servis suis. Ad nullum alium finem permittas me coram hominibus opera bona facere O IESU Alpha & Omega, principium & finis meus! Propositum & Tessera vt supra.

*Modestiæ fructus.*

PRO

# PRO FERIA VI.

## *Oportet honestè ambulare ad eos qui foris sunt.*

PUnctum 1mum. *Rogamus vos fratres vt abundetis magis: & operam detis, vt quieti sitis & vt vestrum negotium agatis: & operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: & honestè ambuletis ad eos qui foris sunt.* 1. ad Thessal: 4. Præscribit Apostolus normam vivendi nobis, simulq; obsecrat & præcipit, vt hanc normam sequamur, hoc est, vt abundantes gratia Dei & virtutibus, incrementum & maiorem abundantiam summa cum sedulitate curemus: vt quieti simus, non discoli, non instabiles, non leves, non immodesti: vt quod officij nostri est peragamus: vt operemur manibus, otium semper fugientes, & labore manuali honestisq; exercitijs tempus terentes: demum vt ad eos qui foris sunt honestè ambulemus, id est, in omni inter homines conversatione honestatem servemus, honesta loquamur, honesta agamus, intra honestatis & verecundiæ metas sensus nostros, potissimùm visum & tactum teneamus. Sancta Regula! Expende an eam hucusq; sis secutus? si ita, Deo gratias age; si secus, dole & emenda.

*Norma vitæ perfectioris ex Apostolo.*

*Foris sunt qui sunt extra Ecclesiã vel extra religionem nostram.*

*Punctum 2dum.* *De cætero quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; pudica, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc facite.* Qualis putas fuit qui talia cum tali obtestatione docuit. Vis scire qualis fuerit? audi loquentem de se ipso: *Vivo ego iam non ego, vivit verò in me Christus.* Si & tu iusta, sancta, pudica cogites, & facias amore Dei, amore virtutis; Christus vivet in te; Christi bonus odor eris; Christum omnes timorati in te odorabuntur, & venerabuntur. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *Modestia Virginis Beatissimæ: vi status nostri imitanda.*

*Modestia Virginis Beatissimæ.*

PUnctum 1mum. Modestiam Beatissimæ Virginis sic pingit D. Ambrosius lib: 2. de Virg: *Nil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non vox petulantior, non incessus solutior; vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Talis ergo Virgo Beatissima. Anima mea vtinam imiter Matrem filius, Dominam servus, & Heram mancipium! Expende singulos modestiæ actus hic expressos, & propone imitari.

Pun-

*Punctum 2dum.* Ut modestiam Virginis Sacratissimæ eò magis imitemur, statum nostrum perpendamus. Sancti facti sumus per gratiam iustificantem, per ordines Sacros, per Professionem & vota essentialia; ergo ita nos geramus in omnibus actibus, motibusq;, vt in nobis nihil sit quod nostræ huic repugnet sanctitati. Quod Timotheo, hoc vnicuiq; nostrùm credamus dictum: *Exemplum esto fidelium in verbis, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nihil enim est quod alios magis ad pietatem & cultum Dei provocet, quàm eorum vita & exemplum qui se divino ministerio dedicarunt: in eos namq; tanquam in speculum reliqui oculos conijciunt, ex eisq; sumunt quod imitentur.

*Status noster modestiam requirit.*

O IESU qui dixisti: *Estote perfecti sicut & Pater vester.* vtiq; vis etiam & iubes vt simus perfecti & modesti, sicut & Mater nostra: rogo itaq; per modestiam & verecundiam ipsius, vt in oculis meis non sit torvitas, multo magis lascivia; in verbis non sit procacitas, scurrilitas & irrisio; in actu non sit vlla levitas & inverecundia: gestus meus, vox mea, incessus meus, deniq; omnia mea exteriora & multò magis interiora sint bene ordinata.

*Colloquiũ.*

O dulcissima Virgo, fac tuis precibus

vt me conformem ſanctis tuis moribus, verecundiam tuam æmuler, modeſtiam ſecter, pudicitiã mente & corpore colam.

O Domina mea noſcant omnes me tuum ſervum eſſe, tuum mancipium eſſe, non modò ex religione & devotione ad te, ſed etiam ex morum tuorum imitatione. Propoſitum. Teſſera vt ſupra.

# MEDITATIONES

## Ad jeiunium & abſtinentiam impellentes.

## PRO DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

### *De ſolitudine & jeiunio Chriſti.*

*Cauſæ ob quas Chriſtus Dominus deſertum petijt.*

PUnctum 1mum. Chriſtus Dominus poſt baptiſmum ſeceſſit in deſertum. O quos & quam ſublimes humilitatis, gratitudinis, reſignationis, amoris, affectus illic eliciebat; quàm amarè peccata noſtra deflebat, quam ardenter perfectionem nobis à Patre æterno expoſcebat. Conſidera cauſas ob quas deſertum petierit. 1ma eſt vt tentaretur à diabolo. *Diabolus enim magis tentat aliquem cum eſt ſolitarius, quia vt dicitur* Eccleſ: 4. *Si quiſpiam prævaluerit contra vnum, duo reſiſtunt ei. Et inde eſt quod Chriſtus in deſer-*

*Deſertum campus certaminis cum diabolo.*

tum

*tum exivit, quasi ad campũ certaminis vt ibi à diabolo tentaretur.* ait S. Thomas. 2da est vt exemplo suo fundaret & sanctificaret eremiticam vitam. 3tia. vt nos erudiret, nihil ad ostentationem facere humanosq; favores vitare. 4ta. vt daret exemplũ prædicatoribus à tumultibus interdũ abscedendi causâ orationis. 5ta. causa mystica: vt Adam de exilio liberaret, qui scilicet de paradiso in desertũ eiectus erat. Gratias age Christo Domino pro fundatione vitæ solitariæ. Ora vt per gratiam eius fortiter cum diabolo in deserto religionis pugnes: orationi, contemplationi, alijsq; sacris exercitijs debitè insistas: omnemq; iactantiam & ostentationem fugias.

*Punctum 2dum.* In eodem deserto 40. diebus & noctibus Christus Dominus jeiunavit abstinens prorsus ab omni cibo in oratione pernoctans & humicubans idq; 1mo. vt iustitiam omnem veterum Patrum impleret. 2do. vt peccata nostra commissa per gulam expiaret. Si ille castigavit in se peccata aliena; tu detrectabis punire propria? 3tio. vt doceret quòd per jeiunium debeamus nos munire contra diabolum. Unde S. Chrisostomus super Matt: dicit: *Ut discas quàm magnum bonum est ieiunium & quale scutum adversus diabolum, & quoniam post baptismum non*

*Cur Xtus jeiunavit.*

*lasci-*

*lasciviæ sed ieiunio intendere oportet: & ipse ieiunavit, non eo indigens, sed eo instruens.* Non autem vltra processit ieiunando quàm Moyses & Elias: ne incredibilis videretur carnis assumptio. Propositum: extra tempus refectionis communis nihil comedendi aut bibendi. Virtus: *abstinentia.* Tesseræ.

*O Iesu da mihi vt cibus meus potusq; sit facere volnntatem tuam.*

*Esuriat te anima mea, sitiat te caro mea, desideret te tota substantia mea, donec intrem in gaudium tuum.* S. Augustinus.

*Hoc me docuisti Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Idem in confess.

## PRO FERIA II.

### *Abstinentia proficua vtriq; vitæ & naturali & spirituali.*

PUnctum 1mum. Eccles: 37. *Propter crapulam multi perierunt.* Multi perierunt in anima & corpore. Habes exemplum in Sodomitis. Percurre & rumina exempla eorum, qui vel in peccatum vel in morbum lapsi sunt ex ebrietate: qualia exempla sine dubio multa tibi occurrent. Detestare crapulam & ebrietatem: propone sobrietatem & abstinentiam servare. *Qui autem abstinens est adij-*

ciet

*ciet vitam*, ſcilicet vitam gratiæ imò & naturæ. Homines frugales & abſtinentes non raro etiam abſq; medicinis & fomentis producunt vitam ad annum 60. & amplius: ebrioſi & guloſi in iuventute extingvuntur. Pete virtutem abſtinentiæ.

*Homines frugales longævi.*

*Punctum 2dum. Monet Salvator: Attendite ne corda veſtra graventur in crapula & ebrietate & curis ſæcularibus.* Qui gravatur, inclinatur ad terram. Crapula & ebrietas & ſolicitudo nimia: pondera ſunt gravia deprimentia hominis animam ad terram. Guloſus enim ſolis iocandi, potandi, ſtertendi deſiderijs tenetur. Infartus & ingurgitatus venter non ſinit orare aut boni aliquid operari: curæ ſæculares diſſipant animum vt nequeat eſſe attentus & collectus in divinis; ſubmove hæc pondera: & ſtatim anima ad centrum ſuum, hoc eſt, ad Deum elevabitur. Monitum Chriſti hoc permoveat te ad abſtinentiam: permoveat item incertitudo exitûs ex hac vita. Quid tecum ageretur, ſi te mors deprehenderet ebrietate vel crapula, aut curis ſæculi gravatum.

*Tria gravant animam.*

*Motiva abſtinentiæ.*

*O dives bonarum dapum* (imploro miſericordiam tuam cum ſervo tuo Auguſtino) *ſatietatis opulentiſsimæ largitor Deus: da laſſo cibum, cibum Spiritus, refectionem internam: collige diſperſum, libera capti-*

*ptivum, redintegra scissum: aufer à me concupiscentias ventris: & animo irreverenti & infrunito ne tradas me.* Propositum & Tessera vt supra.

## PRO FERIA V.

### *Et esca & venter destruentur.*

P*Unctum imum. Esca ventri, venter escæ; Deus autem & hunc & hanc destruet.* Esca creata à Deo est, vt esurienti succurrat; venter autem creatus, vt recipiendo cibos eosq; concoquendo, humores dispenset in corpus totum, sicq; vitam hominis conservet. Utraq; res corruptibilis, veniet enim tempus quo & venter & esca in putredinem abibunt. Si ita est, cur ergo tanto studio quærimus alimenta & liquores? cur tanquam victima in propriam mortem saginamur? cur non observamus quid & quantum cibi potusvè necesse nobis sit ad vitam sustentandam? cur nos gravamus & inidoneos facimus ad opera nostra ad officia nostra per excessum in edendo & bibendo? Vivimus vt bibamus, non bibimus vt vivamus. Pudeat vitæ brutalis!

*Punctum 2dum.* Deus ipse destruet, ille idem qui creavit. Sed quare destruet? venter gulosis & ebriosis Deus est. Iustum ergo vt non solùm animus cultorum eius puni-

*Venter Dagon,*

puniatur, sed & idolum ipsum, Dagon ipse confringatur & in pulverem redigatur. Quando autem id fiet? Incertum quando lapis abscisus de monte sine manibus Christus IESUS percutiet statuam hanc carnam & comminuet. Quis scit an non hodie? an non hac hora? an non hac nocte? Affectus competentes eliciendi. Oratio pro virtute abstinentiæ obtinenda. Propositum & Tessera vt supra.

*Quando cominuetur, incertum.*

## PRO FERIA IV.

### *Duplex alimentum hominis: spirituale præstat corporali.*

PUnctum 1mum. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Sicut duplex est vita hominis: naturalis qua vivit secundùm naturam; & supernaturalis, qua vjvit secundùm gratiam; ita duplex est alimentum congruum conservandæ vtriq; huic vitæ. Vitam naturalem conservat panis materialis cum potu: vitam gratiæ, conservat verbum Dei, & sicut vita gratiæ incomparabiliter est præstantior vitâ naturæ, ita alimonia spititualis pane corporali. Legis aliquid spirituale vel audis? manducas panem cælestem. meditaris lecta vel audita? masticas eundem. memoriæ mandas? in spiritualem stomachum

*Duplex vita hominis & duplex alimentum eiusdem.*

traie-

traiecisti. Ex plenitudine ciborum materialium ructus fiunt. Etiam quando venter spiritualis, mens scilicet impletur cibo, eructat voluntas per os, verbum bonum. Vis scire stomachum tuum non esse spiritualiter ieiunum & famelicum? hinc disce si verba ædificatoria & sancta eructat. Ex abundantia cordis os loquitur.

*Esca spiritualis etiam animalem vitam conservat.*

*Punctum 2dum. Non in solo, &c.* Tanta est efficacia escæ spiritualis, quòd non solum prodest ad vitam gratiæ, sed etiam ad vitam naturæ conservandam. Res enim superioris ordinis continet in se perfectiones ordinis inferioris. Vide mihi Paulos Thebeos, Antonios, Hilariones, & cuncta Ægypti monachorum examina, qui tam diu vixerunt sano & succulento corpore, cum tamen in perpetua fame inediaq; fuerint, solâ spiritus repleti pinguedine. *Spiritus gaudens ætatem floridam ideoq; diuturnam facit.* Gaudium autem spiritûs causatur per verbum Dei auditum, ruminatum, traiectum in interiora cordis & opere ipso impletum. *O dulcedo amoris & amor dulcedinis comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viscera animæ meæ, & eructet mens mea verbum bonum.* Verbum tuum Domine botrus est simul famem pellens & sitim extinguens. Dulcescat mihi oro botrus

*Affectum.*

*S. August.*

iſte: amareſcat omnis materialis cibi & potûs delectatio. Propoſitum & Teſſera per diem geminanda ſumatur ex die Dominico.

## PRO FERIA V.

### *Inductiva varia ad abſtinentiam & frugalitatem victus.*

PUnctum 1mum. Conſidera quomodo caniculi pleriq; obliti naturæ ſuæ vt fruſtulum panis aut carnis accipiant, ſerviunt & abblandiuntur Domino ſuo; cumq; illis porrigitur, non avidè non voraciter, ſed paulatim ſumunt, & quodammodo temperanter, ad confuſionem noſtram. Bruta quoq; alia vltra neceſſitatem non comedunt nec bibunt; quomodo tu?

*Caniculi & beſtiæ quales in ſumendo cibô & potu.*

*Punctum 2dum.* Quàm multi homines probi in ſæculo patiuntur famem, & vix inveniunt aliquando groſſum & ſmucidum panem quô ſe reficiant: hauſtu aquæ ſitim pellunt. Laſarus cupiebat ſaturari de micis menſæ Epulonis, & nemo dabat illi, epulo verò quotidie ſe ingurgitabat. Quanti Laſari nunc in mundo! ſed Laſarus poſt famem ſuam manibus Angelorum deportatus ad delicias cæleſtes: epulo manibus dæmonum ad tormenta inferni tractus. Elige ſortem quæ placet: Laſari vel epulonis?

*Pauperes & Laſari in mundo.*

*Punctum 3tium.* Revolue mente quàm frequenter accedis ad sanctissimum Sacramentum. Panem Angelorum, manna cæleste quotidiè fermè manducas: ergone eo refectus carnes & ollas desiderabis Ægyptiacas, qui amore Dei tam boni æstuare debes? ergone te replebis cibo & potu? ergo ne vino & sicera æstuabis? ergo per eandem ianuam per quam vita intravit, mors ad te ingredietur? Vide ne forte canis sis propter gulam & affinia gulæ vitia, audeas tamen manducare panem filiorum? Propositum & Tessera vt supra.

*SS. Sacramenti susceptio gulam damnat.*

## PRO FERIA VI.

### *Saturitas esurientium iustitiam quæ? & quis cibus Christi in Cruce?*

PUnctum unum. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Esurire & sitire iustitiam, est toto animi fervore, totis conatibus desiderare & procurare iustitiam: quæ penes gratiam habitualem, consistit in collectione virtutum omnium. Non esurit nec sitit iustitiam qui lentus & ignavus est ad profectum spiritualem. Saturabuntur esurientes eiusmodi & sitientes: quô & quando? ipse Deus erit cibus potusq; illorum. Comedent favum mellis æternæ gloriæ: bibent

*Esurire & sitire iustitiam quid?*

*Quo & quãdo saturabuntur eiusmodi esurientes?*

bibent de torrente voluptatis. O quando edam, quando bibam ad mensam Patris tui Salvator mi, inter choros canentium & exultantium! o satietas semper nova quando te experiar? nunc cinis sit cibus meus: nunc lacrymæ sint potus meus: nunc fame sitiq; premar, vt satier in cælestibus.

*Punctum 2dum. Nullus cibus tam amarus qui si recordatione aceti & fellis Christi temperetur, non statim fiat dulcior.* S. Bernard. Si beatitudo & satietas æterna cibum exiguum vilem & insipidum non appretiat tibi, nec dulcorat; recurre ad Passionem Domini nostri: reminiscere quid comedit, quid bibit, hodie dulcissimus IESUS? integra fame fuit vsq; ad horam sextam, hoc est, vsq; ad nostratem duodecimam. tandem in mensa crucis appositum ipsi fel pro cibo, acetum pro potu; hæ cupediæ Christi, hæc bellaria! O mi IESU recorder semper huius cænæ tuæ; vt frangam & refrænem gulam meam, hoc est, inordinatũ edendi & bibendi appetitum! Propositum, & Tessera vt supra.

*Fel & acetum quo Christus potatus dulcorat cibum potumq; vilem & insipidum*

## PRO DIE SABBATI.

*Aviditas edendi nociva: imitatione Virginis MARIÆ frangenda.*

PUnctum 1mum. *Noli avidus esse in omni*

*Ex auiditate in comedendo cholera.*

*epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit vsq; ad choleram.* Eccl: 37. Duo vetantur: avidè comedere & multum; vtrumq; nocivum. Si multum atq; avidè comedas, cholerae exuberantiam non effugies; cholera autem quantum malum! bestiam facit ex homine, ac vitam lædit vtramq; & naturæ & gratiæ. Deinde avidi in edendo & bibendo interdum suffocantur. Propone tibi Davidem in summa aviditate bibendi se mortificantem, & aquam sibi allatam Domino libantem.

*S. Ambrosius.*

*Temperantia Virginis Beatissimæ.*

*Punctum 2dum. Mariæ Virgini si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumq; obvius fuit qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Eius vita omnium nostrum disciplina est: ideo discamus non aliter nec plus de cibo potuq; sumere, nisi quantum sufficit ad mortem arcendam, & ad nos servitio divino solitisq; officijs & ministerijs idoneos reddendos. Oratio ad Beatissimam pro virtute abstinentiæ consequenda. Propositum, Tessera vt supra.

MEDI-

# MEDITATIONES.

## *De Passione Domini nostri IESU Christi.*

QVamvis meditationes mysteriorum passionis Christi, præcipuè pertineant ad supremam vitæ illuminativæ partem; nihilominus sunt valde vtiles omnibus quamcunq; viam illi teneant. Nam incipientes inveniunt in eis efficacissima motiva ad spiritum purgandum passionesq; mortificandas: proficientes ad ascendendum in omni genere virtutum: perfecti deniq; ad consequendam ardenti amore vnionem cum Domino Deo. Hinc S. Bernardus ait Passionem Christi Domini vsq; ad hanc diem facere, *vt terra tremat, lapides confringantur, & aperiantur sepulchra & templum veli scindatur.* Nam qui in ea meditantur, si terra sunt ob affectiones ad res terrenas, tremunt sancto Dei in filium suum iustitiæ timore commoti, & ad quosvis inordinatos affectus deserendos excitantur: si lapides ob duritiem cordis, emollescunt & confringuntur magnitudine doloris: si sepulchra clausa ob pudorem manifestandi suas culpas, aperiuntur confessione:omnibus deniq; scinditur velum, quod dividebat inter Deum & nos, vt possimus iuxta Apostolum reve-

lata facie gloriam Domini & abyssum cælestium eius secretorum perscrutari. Hāc ob causam meritò dicebat Albertus Magnus, *simplicem passionis Christi meditationem plus vtilitatis adferre homini, quam si anno integro in pane & aqua ieiunaret ac flagellis se quotidie vsq; ad sanguinem cæderet & psalterium totum recitaret.* Hæc enim exercitia & si bona sint, si tamen nudè exerceantur non habent tantam vim ad purificandum cor à vitijs, virtutibus illustrandum & divini amoris affectibus perficiendum; atq; attenta & profunda Christi Domini nostri passionis meditatio. Extat liber antiqvus Concionum de passione Christi, in cuius præfatione leguntur ista: *Qui magnas opes exiguo labore consequi & fulgentem coronam tuto ac nullius periculi certamine mereri cupit, dedat se exercitio meditandi vitam & mortem doctrinam & merita Salvatoris nostri IESU Christi. In eadem meditatione si ad finem vsq; perseveraverit, gratiam Dei tam certò sibi promittat, ac si pignus certum in sua potestate haberet.* Tantæ vtilitatis est Dominicæ passionis meditatio!

## PRO DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ MEDITATIO.

### *De trasfiguratione Domini.*

PUnctum imum. *Apparuerunt illis Moyses*

*ses & Elias loquentes cum IESV.* Mat: 12. Quid loquerentur expressit Lucas: *Dicebant*, inquit, *excessum eius quem completurus erat in Ierusalem.* Excessus hic de quo loquebantur est excessus è vita: nimirum passio morsq; Salvatoris, quam in Ierusalem ex quodam amoris erga nos excessu suscepit. Vide quomodo passioni Christi & Moyses & Elias, hoc est, & lex & prophetæ perhibent testimonium: vide quantum placeat Christo meditatio passionis suæ, quando etiam in illa gloriæ manifestatione non aliam habuit materiam conferendi.

*Circumstātiæ transfigurationis Dominicæ.*

*Punctum 2dum.* Considera circumstantias Dominicæ transfigurationis. In monte, seorsum ab hominibus, sub tempus orationis, resplenduit facies Christi: & tu in studio perfectionis, in solitudine, in in oratione, in affectuosa meditatione passionis Dominicæ illuminaberis, atq; consolationes internas percipies; quanquam vltimatè propter has orare vitiosum est. *Mercenarij dicendi sunt, qui consolationes quærunt, & sui potiùs quàm Christi amatores probantur.* Considera item. Iucunda non erit nobis experientia passionis Dominicæ, nisi crebrò eam ruminemus: nisi frequenter loquamur & meditemur de excessu Salvatoris nostri. Propositum

*Thomas à Kempis.*

situm *devotè de Passione Domini meditandi & orandi: ac pro indulgentijs lucrandis stationes devotè absolvendi*. Virtus: *devotio ad passionem Domini*. Tessera alterutra vel vtraq; ex subiectis frequentetur. *Qui passus es pro nobis, Iesu Christe miserere nobis*.

O mira tuæ circa nos pietatis dignatio! o inæstimabilis dilectio charitatis! vt servum redimeres, filium tradidisti.

## PRO FERIA II.

### *De generalitate passionis Christi Domini.*

*Generalitas passionis Christi.*

*1mo. ex parte hominum.*

PUnctum 1mum. Christus Dominus pertulit omnem in genere passionem. 1mo. quidem ex parte hominum: quia passus est à gentibus & à Iudæis, à masculis & à fœminis, à principibus & ministris eorum & popularibus secundum illud psalmi 2di. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in vnum, adversus Dominum & adversus Christum eius.* passus item à familiaribus & notis, vt à Iuda eum prodente, & Petro eum negante.

*2do. ex parte eorum in quibus homo potest pati.*

2do. ex parte eorum in quibus homo potest pati. Nam passus est in suis amicis eum deserentibus: in fama per blasphemias contra ipsum prolatas: in honore & gloria per contumelias & irrisiones sui: in re-

in rebus quia ſpoliatus eſt veſtibus: in anima per triſtitiam, tædium, & timorem: in corpore per flagella & vulnera.

*Punctum 2dum.* Tertio ex parte membrorum omnium: paſſus eſt enim in capite pungentium ſpinarum coronam; in manibus & pedibus fixionem clavorum: in facie alapas & ſputa: in toto corpore flagella. 4to. ex parte omnium ſenſuum. Quo ad tactum paſſus per flagella & clavos: quoad guſtum, felle & aceto potatus: quoad olfactum, in loco fætido cadaverum appenſus patibulo: ſecundùm auditum, laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium: ſecundùm viſum paſſus videndo Matrem & diſcipulum flentes. Unde Hilarius ait 1mo de Trinitate: *Unigenitus Dei ad peragendum mortis ſuæ Sacramentum conſummaſſe ſe omne genus paſſionum teſtatur, cum inclinato capite emiſit Spiritum.*

*3tio ex parte mẽbrorum omnium.*

*4to ex parte omnium ſenſuum.*

## PROFERIA III.

### *Dolor paſſionis Chriſti, major omnibus doloribus.*

PUnctum 1mum. Dolor duplex eſt: alius exterior qui oritur ex corporali nocivo; alius interior qui cauſatur ex apprehenſione alicujus nocumenti, & hic triſtitia dicitur. Uterq; fuit maximus

*Duplex dolor, alius interior, alius exterior.*

*Uterq; fuit maximus in Christo inter dolores vitæ præsentis. imo propter causas doloris tàm exterioris.*

in Christo inter dolores præsentis vitæ; & hoc propter quatuor. 1mo quidem propter causas. Doloris sensibilis causa fuit læsio corporalis, quæ acerbitatem habuit, tum propter generalitatem passionis; namq; vt supra dictum, omnem in genere passionem humanam pertulit Christus Dominus; tum propter genus passionis, quia mors crucifixorum est acerbissima: configuntur enim in locis nervosis, & maximè sensilibus, scilicet in manibus & pedibus, & ipsum corpus pendens & gravans deorsum auget dolorem: & insuper dolor crucifixorum est diuturnus. Doloris autem interioris causa fuit. 1mo. Omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat. 2do. Specialiter casus Iudæorum, & aliorum in ejus morte delinquentium, & præcipuè discipulorum, qui scandalum passi in Christi passione. 3tio. Amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis naturæ humanæ.

*quàm interioris.*

*2do propter perceptibilitatē Christi Dni, tum secundùm animam tum secundùm corpus.*

*Punctum 2dum.* Secundo, potest magnitudo doloris Christi Domini considerari ex perceptibilitate tum secundum animam, tum secundum corpus. Nam secundùm corpus erat optimè complexionatus: cùm corpus ejus miraculosè fuerit formatum operatione Spiritus S. sicut omnia alia quæ per miraculum facta sunt,

perfe-

perfectiora & potiora præ alijs fuêre; & ideo in Christo maximè vigebat sensûs tactûs, ex cujus læsione sequitur dolor. Anima etiam secundùm vires inferiores vivacissimè apprehendebat omnes causas tristitiæ. Nec diminuit dolorem Christi delectatio ejusdem ex visione Dei qua fruebatur secundùm vires superiores, sed potius auxit. Nam naturaliter debebatur etiam viribus inferioribus animæ redundantia istius delectationis, sed est impedita per dispensationem divinam, quæ quanto fuit miraculosior, tantò in Christo fuit acutior & intensior dolor.

*Tertio propter doloris & tristitiæ puritatem.*

*Punctum 3tium.* Tertio magnitudo doloris Christi pensari potest ex doloris & tristitiæ puritate. Nam in alijs patientibus mitigatur dolor & tristitia ex aliqua consideratione, quod in Christo patiente non fuit, quia unicuiq; virium permisit agere, quod erat sibi proprium. 4to pensa magnitudinem doloris Christi ex eo quod passio ejus & dolor fuerit voluntariè susceptus ob finem liberationis hominum à peccato. Et ideo tantam magnitudinem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur. Iam considera quot & quanta peccata, pro quibus patiebatur! quantus fructus secutus?

*4to. propter finem passionis.*

PRO

## PRO FERIA IV.

### *Quomodo Christus sit passus.*

PUnctum 1mum. Circumstantia hæc condimenti loco nobis esse debet ad gustum spiritualem inveniendum in omnibus quæ de Christi passione meditabimur. Considera itaq; , quia quæcunq; tormenta tolerabat, nulla vi, aut necessitate tolerabat, sed spontaneé, & quia ( vt Isaias ait) ipse voluit. Poterat enim Christus Dominus impedire passionem mortemq; suam, adversarios reprimendo, ne aut vellent, aut possent eum occidere, sicut & impedivit toties, antequam veniret hora passionis suæ à Patre præfinita. Præterea Spiritus ejus habebat potestatem conservandi naturam carnis suæ, & ita eam roborandi, ne per quodcunq; nocumentum læderetur, aut deficeret; quod quidem habuit anima Christi ex conjunctione sui cum persona Verbi. Vide amorem erga te! propone redamare : & quoties adversitatem & tribulationem aliquam necesse habes pati, necessitatem in voluntatem verte. Age gratias Deo: patienter te habe: auxilium desuper invoca, & expecta.

*Passus est Christus D. voluntate non necessitate.*

*Poterat impedire passionem suam reprimendo adversarios. vel corpus suum impassibile faciendo:*

*Punctum 2dum.* Considera, quia quoad internam affectionem, omnia & singula pas-

la passus est, cum ineffabili dilectionis & desiderij affectu: dilectionis, nullam vindictam contra suos persecutores appetendo, imò salutem & gloriam illorum ardenter sitiendo: desiderij, offerendo se Deo Patri ad multo plura duriora & atrociora patienda, si divinæ ejus voluntati placuisset: omnibus quoq; hominibus, non solum bonis & electis, sed etiam malis & reprobis, quos veluti imagines Sanctissimæ Trinitatis aspiciebat benefacere desiderando. O quanto fervore prædictos affectus continuabat.

*Quomodo se habuit internè in passione.*

P*unctum 3tium.* Considera, quia quoad externam corporis habitudinem, omnia passus est cum eximia modestia, æquanimitate, constantia; cum divina verborum svavitate & efficacia; cum perpetua vultus gravitate; deniq; cum summa omnium, etiam hostium admiratione, nullum unquam signum vel impatientiæ, vel vindictæ, tam verbo, quàm gestu ostendendo. O si hoc ædificationis speculum crebro intueveris, quàm pulchrum tu quoq; speculum efficereris! Propositum & Tessera vt supra.

*Quomodo externe?*

## PRO FERIA V.

### *De consilio Iudæorum, contra Christum.*

P*Unctum 1mum.* Proximè ante passionem

nem ſuam Chriſtus præmonuit diſcipulos dicens: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet: & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Matth: 26. Ac ſi diceret: Scitis hoc, quòd Paſcha poſt biduum fiet: ſcitote & iſtud, quod filius hominis eodem tempore tradetur vt crucifigatur. Præmonuit autem propter varias cauſas. 1mò vt oſtenderet ſe ſponte non coactè mori. 2do. ne ex non præſcita paſſione ejus, diſcipuli nimium turbarentur. 3tio. vt pluris tantam dignationem ejus ſe vltrò ad mortem offerentis æſtimaremus, ac magis redamaremus. *Poſt biduum paſcha fiet*, ait Chriſtus. *Tranſitus autem noſter, id eſt phaſe, ita celebratur; ſi terrena & Ægyptum dimittentes, ad cæleſtia feſtinemus.* Per biduum ſignificatur vita præſens propter duo præcepta charitatis, in quorum obſervantia, vitam præſentem decurrere debemus. Ora, vt per paſſionem Chriſti Domini agni immaculati poſt biduum vitæ præſentis ad paſcha æternæ felicitatis pervenias.

*S. Hieron:*

*Biduum, vita præſens.*

*Punctum 2dum.* Principes Sacerdotum & ſeniores populi in atrio Caiphæ conſilium inierunt, quo loco, tempore, modo, Chriſtum dolo capere poſſent. O quanta malitia horum ſacerdotum & ſeniorum! qui ſano conſilio alios adiuvare debebant,

illi primi de morte Domini nostri consultant. *Qui debuerant paschate vicino præparare victimas, levigare templi parietes, pavimenta verrere, vasa mundare, & secundùm ritum legis purificari vt esu agni digni fierent; congregantur ineuntes consilium quomodo occidant Dominum.* Imitantur Iudæos illi qui ea quæ status & officij sui sunt intermittunt; interea verò vitæ aut famæ proximi insidiantur. Tu non Iudæorum perversitatem sed Christi bonitatem imitare. Propone benefacere his qui te oderunt.

S. Hieron.

## PRO FERIA VI.

### *De Christo à Iuda 30. argenteis vendito.*

PUnctum 1mum. Biduo ante passionem suam feria 4ta. hebdomadis cum esset IESUS Bethaniæ in domo Simonis leprosi, mulier effudit vnguentum pretiosum super caput IESU: vnde indignatus Iudas abijt ad Principes sacerdotum & ait illis: *Quid mihi vultis dare & ego eum tradam vobis?* Prima passionis Domini pars primaq; ignominia & iniuria fuit quia venditus. Quare eam servando in posterum more perpendemus per circumstantias. In primo igitur hoc puncto expendemus duas circumstantias: quis sit venditus, &

Matt: 26.

cur

cur se permiserit vendi? quis? non Ioseph, non aliquis alius homo, sed homo-Deus, Christus IESUS in quo omnes thesauri cælestes absconditi: ille qui nullo pretio appretiari potest: ille cuius vnica sanguinis gutta propter vnionem sui cum persona verbi plus valet, quam infiniti mundi cum omnibus creaturis. Cur verò se permiserit vendi? vt nos à servitute peccati & pænis peccato debitis se ipso tanquam pretio inæstimabili redimeret. Servi enim eramus peccati quia *qui facit peccatum servus est peccati*, & perconsequens servi eramus diaboli: quia à *quo quis superatur huius & servus est* 2. Petr: 2. Diabolus autem nos per peccata superaverat. Heu quàm dura servitus ista!

*Quis venditus?*

*Cur?*

*Ioann: 8.*

*Punctum 2dum.* In hoc puncto expendemus alias duas circumstantias. 1mo quis vendidit? non hostis manifestus, sed discipulus, familiaris, Apostolus. 2dò. quanti vendidit? 30. argenteis. Satis vile pretiũ pro Christo, pro Deo. S. Anselmus in dialogo ait hos argenteos fuisse eos ipsos pro quibus Ioseph ante 4. millia annorum venditus Ismaelitis: quorum vnusquisq; 10 valebat vsuales. Consonant biblia extra vulgatam in quibus habetur Ioseph 30. argenteis venditum. O Iuda perdite non tanti animam tuam Christus æstimat, quan-

*A quo.*

*Quãti?*

quanti tu animam illius. *Vili se vult æstimari IESUS vt ab omnibus ematur.* S: Paulinus Epist: 4. Etiam gratis absq; argento & absq; vlla commutatione eum emere potes tribus virtutibus theologicis & decalogo. Expende 3tio. quare vendidit? propter odium ortum ex monitionibus Christi, quæ ipsi videbantur asperæ: deinde propter avaritiam, *vt nimirum damnum quod ex effusione vnguenti se fecisse credebat, Magistri pretio compensaret.* S. Hieronymus. Avari & proprietarij religiosi reatum & damnationem Iudæ timeant.

*Punctum 3tium.* Hic expedemus reliquas circumstantias. 1mo. quibus vendidit? non Matri quæ eum ante redemerat: non discipulis aut amicis, sed Iudæis hostibus sibi infensissimis. 2do. quem in finem vendidit? vt exquisitis tormentis vitam ei adimerent. O diabolica vendentis crudelitas! O infernales emptorum furiæ! O quoties nunc etiam viliore pretio à peccatoribus pro vna voluptate, lucello, verbulo detractorio venditur Christus! Age gratias Salvatori tuo quod pro eliberatione tui è servitute diabolica se vendi permiserit: servitio eius te devove: & mandata eius strictè custodire propone. Propositum & oratio eiaculatoria vt supra.

*Quem in finem.*

# PRO DIE SABBATI.

## *De missione duorum discipulorum ad parandum Pascha: & valedictione Matri suæ.*

PUnctum 1mum. Prima autem die azymorum in qua necesse erat occidi pascha, postridie licitationis Iudæ de sanguine Christi, scilicet feria 5ta hebdomadis, Christus Dominus Bethania, quæ fuit villa ex latere montis Oliveti sita, quasi 15. stadijs distans Hierosolymis, præmisit duos discipulos in Hierusalem ad parandum Pascha in domo in quam cum amphora aquæ hominem introeuntem viderent. Considera inprimis exactam legis observantiam in Christo Domino: quia noluit omittere, quod lege mox abroganda præceptum erat. Secundo paupertatem: quia domum & necessaria ad pascha celebrandum Dominus vniversæ terræ emendicabat. 3tio. præscientiam quia omnia quæ mox evenerunt, discipulis ad amussim prædixit. 4to. potestatem in interiora cordium; quia mentem hominis duri & inhospitalis sic immutavit vt cænaculum quod sibi suæq; familiæ ornaverat, Christo Apostolisq; eius concederet.

*Punctum 2dum.* Præmissis duobus discipu-

ſcipulis in Hieruſalem antequam Dominus noſter è Bethania exivit, valedixit Matri ſuæ inſinuans inſtare tempus quo ſuſceptum redemptionis humanæ opus eſſet conſummaturus acerba morte ſua. Perpende hîc, quis ad tale nuntium ſenſus fuerit Beatiſſimæ Matris, quando vno eodemq; doloris gladio fuit transfixum cor tam filij quam Matris, vno eodemq; amoris æſtu liquefactum. His bene expenſis vtriq; compatere. Ora Beatiſſimam Virginem per hanc valedictionem, vt tibi aſſiſtat quando mundo valedices: vt per hanc & propter hanc amaritudinem quam ſenſit valedicente ſibi filio ſuo dulcoret omnes amaritudines mortis tuæ. Propoſitum & Teſſera vt ſuo loco.

## PRO DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

*Fortis armatus ſuperatus à Chriſto per humilitatem: vbi de lotione pedum.*

PUnctum imum. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſsidet.* Luc: 11. Fortis armatus eſt Diabolus: domus eius eſt anima in peccato conſtituta: atrium huius domus eſt os hominis: quod quando cuſtodit diabolus ne

in Sacramentalem peccatorum confessionem aperiatur, tunc manet in pacifica possessione animæ. Sic animam Iudæ pacifice possidebat dæmon: quia Iudas noluit aperire os suum ad confitendum peccatum suæ pactionis cum Iudæis de sanguine Christi quamvis ipsum ad id stimulabat Christus tum illo generali monito: *Unus ex vobis tradet me.* tum particulari allocutione: *Tu dixisti.* tum lotione pedũ. tum intincti panis porrectione. Vide quoties Christus atrium tuum à diabolo clausum, hoc est, os tuum mutum aperuerit ad confitenda peccata tua! quoties fortem armatum, id est dæmonem ex anima tua eiecerit! Age gratias. Ora vt te perpetuò custodiat: ne per relapsum in peccata fias iterum habitatio dæmoniorum: fiantq; novissima tua peiora prioribus.

*Punctum 2dum Si autem fortior eo superveniens vicerit eum.* Christus Dominus fortior diabolo, vicit eundem. Per quid? per humilitatem: per hanc obediens factus Patri suo vsq; ad mortem: hanc in omni vita sua & commendavit & servavit: hanc demum in vltima cæna post esum agni paschalis ante institutionem SS. Eucharistiæ in lotione pedum præclarissimè monstravit, de qua Considera inprimis quis sit qui servile ministerium abluendi

*Quis lavit pedes?*

sordi-

ſordidos pedes ſuſcipiat? Admirare: gratias age: imitari propone. Conſidera deinde cui lavet? Petro primùm, poſtea reliquis Apoſtolis & Iudæ ipſi. Credibile quia tunc aliquas lacrymas ex oculis elicuit, illiſq; cum aqua mixtis pedes diſcipuli perditi lavit, & tamen duritiem eius non emollivit. Emolliatur ſaltem cor tuum ad amorem Dei & proximi: & ad dilectionem inimicorum tuorum: adq; ad beneficentiam ijs præſtandam qui te oderunt.

*Cui?*

*Punctum 3tium.* Ad extremum conſidera quomodo & cur lavat? Quomodo? tam internè vniverſos (ſolo Iuda excepto) quàm externè. Cur lavat? non tantum vt ſordes pedum abluat, ſed etiam vt doceat quomodo ſe diſponere quis debeat ad ſacram Euchariſtiam nempe per lavacrum pœnitentiæ: vt item doceat quod verecundari non debeamus minoribus ſervire, ac vilia miniſteria obire. Propoſitum aliquod vile obſequium fratribus faciendi. Virtus: Devotio ad paſſionem Domini. Teſſeræ frequenter ore aut mente per ſeptimanam recitandæ:

*Quomodo & cur?*

*Dulcedo cordium IESV quomodo repletus es amaritudine: inebriatus es abſinthio!*

*Quo abijt dilectus tuus o pulcherrima mulierum: quo declinavit dilectus tuus: & quæremus eum tecum!*

## PRO FERIA II.

### *De Christi & Apostolorum turbatione: nec non de duritie Iudæ.*

*Quare Iesus turbatus Iuda præsente?*

PUnctum 1mum. Recumbens cum discipulis IESUS *turbatus est spiritu & protestatus est & dixit eis: Amen amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan: 13. Turbatus est IESUS 1mo. quia inter suos vidit Iudam hominem perversum, impænitentem, obduratum: ac propterea, ne ex cæteris & cum cæteris gauderet Christus, suo contubernio obstantem. Vide quantum doleat Salvator noster etiam de vnius perditione qui omnes vult salvos fieri. 2do. *vt nos doceret quid agere debeamus quando in magnum facinus & scelus aliquem hominem ruere videmus;* nimirum vt turbemur supra ipsum spiritu, id est, spiritualiter. Spiritualis enim turbatio ad pietatem & misericordiam spectat; carnalis autem turbatio iram & furorē excitat.

*Eusebius Emessinus.*

*Punctum 2dum. Et contristati valde cæperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine.* Math: 26. Tristes discipuli interrogant de peccato cuius conscientiam non habebant; plus credentes Magistro quàm sibi suamq; fragilitatem pertimescentes. Ex quo disce 1mo. bonarum mentium esse culpam metuere etiam vbi non est.

Disce

Disce 2do omnia quæcunq; in concionibus, exhortationibus, & publicis in commune factis admonitionibus audis, ad te referre: & fructum spiritualem inde colligere; non sicut Iudas, qui per admonitionem deterior factus, cum stomachatione exivit. Gratias age Christo pro omnibus admonitionibus qualcunq; tibi sive externe per Superiores & confessarios, sive internè per suos instinctus dedit. Dole quod aliquando contra eas egeris. Propone in posterum cum omni humilitate correptiones suscipere.

*Punctum 3tium.* Discipulis singulatim interrogantibus etiam Iudas interrogat: *Nunquid ego sum Rabbi?* ideo interrogat ne solus tacendo se prodere videretur. Omnia enim sic agebat vt tolleretur suspicio criminis eius. Christus autem varijs modis vsus est vt inclinaret eum ad pænitentiam. 1mo. prædicendo de proditore: *Unus ex vobis tradet me*; vt cum intellexisset sciri cogitationes suas & secreta consilia, pæniteret eum facti sui: non tamen designavit eum specialiter ne manifestè coargutus impudentior fieret. 2do. perseverante proditore in malitia, manifestius ipsum arguit, & tamen nomen propriè non designavit dicendo: *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet.*

*Quibus modis Christus lucrari Iudam voluit?*

*det.* Cæteris enim contriſtatis & retrahentibus manum ac interdicentibus cibos ori ſuo, temeritate & impudentia qua proditurus erat, etiam manum cum Magiſtro mittit in paropſidem vt audaciâ bonam conſcientiam mentiatur. 3tio. prædixit ei pœnam: *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur:* vt quem pudor non vicerat, corrigerent denuntiata ſupplicia. Vide quantum malum ſit obduratio in peccato! vide item quantùm & quomodo laborare debeas vt fratrem peccantem lucrifacias: eiuſq; publicam confuſionem vites, & famam quantum potes cuſtodias. Ora ne vnquã venias in excæcationem mentis & obdurationem voluntatis. Dole quod fratris tui famam aut honorem aliquando læſeris. Propone inpoſterum cavere ne lædas.

## PRO FERIA III.

### *De itinere in hortum Getſemani.*

PUnctum. 1mum. Egreſſus è cænaculo Dominus noſter ibat in montem Oliveti cum diſcipulis metu perculſis & expectatione futuri eventûs ſuſpenſis: prædixitq; ruinam iiſdem dicens: *Omnes vos ſcandalizabimini in me nocte iſta.* Mar: 14. Egreditur Chriſtus è cænaculo & vrbe non vt ſe ſubducat, ſciebat enim locum

Iudas

Judas; sed vt commodiore loco orationi ante suam passionem vacare possit. In monte Olivarum solitus erat Christus orare: (mons autem Oliveti significat sublimitatem misericordiæ divinæ) quò scias Christum pro nobis semper orasse vt misericordiam à Patre suo consequeremur: nec aliud in suis orationibus, prædicationibus totaq; vita & passione intendisse nisi misericordiam nobiscum fieri & secum iustitiam. Considera quanta cum promptitudine in hortum iverit, vt iam iamq; exoptatum redemptionis nostræ opus inchoaret. Considera insuper quanta charitate tum alios Apostolos tum præcipuè Petrum sibi fidentem ne forte post lapsum desperaret, ante lapsum de futuro admonuerit: *Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Matt: 26. *Gallus lucis nuntius, quis est nisi Spiritus Sanctus cuius voce in Apostolis & Prophetis excitamur ad amarissimos post lapsum fletus.* Confitere & adora Divinitatem Christi futura præscientis & prædicentis. Age gratias pro excitatione Petri & tui ipsius ad pænitentiam. Pete gratiam qua cum timore ac tremore salutem tuam opereris. O creator Spiritus sis benedictus in sæcula cum Patre & Filio æterno, quòd me toties ad pænitentiam permovisti? Da

*Cur in mõte Oliveti Christus oravit?*

*Cur lapsũ Apostolis & præsertim Petro prædixit?*

*Hieron: in Marcum.*

peccata præterita plangere, & plangenda non committere. Miserere mei Deus.

*Cur in villa Getsemani suos manere iussit.*

*Punctum 2dum.* Cum pervenisset IESUS in villam Getsemani, assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, reliquis in villa relictis: ingressusq; est hortum sub monte Olivarum situm. Getsamani interpretatur vallis pinguissima seu vallis pinguedinum. In villa ergo Getsemani, hoc est in valle pinguedinum manere discipulos iussit Christus, in persona eorum nos monens vt in humilitate maneamus: non aliter abundantiam misericordiæ divinæ ac pinguedinem Spiritûs assecuturi. Considera 1mo. quanto dolore tam discipulorum quàm Christi talis separatio facta: & disce etiam charissima propter Deum relinquere. Considera 2dò. Christum Dominum ingressum esse hortum ad expiandam prævaricationem admissam in horto voluptatis, vt vbi primus Adam libertatem amiserat & salutem, ibi secundus Adam pro recuperanda illa pati inciperet. Considera 3tio. quod Christus Dominus spectatores suæ gloriosæ transfigurationis, voluerit esse spectatores suæ agoniæ; vt discas, consolationes spirituales ad hoc dari quò corroboremur per eas ad ferendas æquanimiter desolationes & tribulationes. Ora Christum Dominum

*Cur solos Petrum, Iacobum, & Ioannẽ assumpsit in hortũ.*

num vt tecum ſemper ſit ſive in conſolatione ſive in tribulatione: nec te deſerat in tempore malo. Dic: *Domine ſi me vis eſſe in tenebris ſis benedictus: ſi me vis eſſe in luce, ſis benedictus. Si me vis conſolari, ſis benedictus: ſi me vis tribulari, ſis æq; ſemper benedictus.*

## PRO FERIA IV.
### *De triſtitia Chriſti in horto.*

Punctum 1mum. Cœpit Dominus tædere pavere & mæſtus eſſe. Tædium eſt ſui atq; aliarum rerum faſtidium ac diſplicentia quædam ob abſentiam alicuius chari. Timor eſt anxietas animi propter malum arduum futurum. Triſtitia eſt dolor de malo, naturali propenſioni repugnante, quod tanquam præſens recogito. Conſidera igitur quis patitur has affectiones & in quo? Quis? ille qui eſt ſvavis & dulcis omnibus: ille qui indutus eſt fortitudinem & præcinxit ſe virtute. In quo? in appetitu ſenſitivo & in voluntate inquantum hæc, natura eſt. Ut enim meditatur S. Bonaventura, fuit in Chriſto voluntas naturæ, ſenſualitatis, rationis, divinitatis. Voluntas divinitatis pati imperabat: voluntas rationis obediebat & conſentiebat: voluntas ſenſualitatis & naturæ pati nolebat, timebat, mærebatq; &

*In meditationibus vitæ Chriſti cap. 75.*

hoc

*Christus Dnus carni suæ ex dispensatione permisit agere & pati quæ sunt ei propria.*

hoc ipsum fuit ex dispensatione quadam qua nimirum filius Dei carni suæ cui propter vnionem Verbi beatitudo debebatur, permisit agere & pati quæ sunt ei propria: proprium est autem sensualitati & naturæ vt refugiat & exhorrescat dolores, omnemq; corporis læsionem, & præcipuè mortem ipsam.

*Punctum 2dum.* Considera postea causas horum afflictionum, & 1mo tædij. Tædet Christum vt luat tædium meum circa virtutis opera: vt item desiderium ardens patiendi demonstret; quemadmodum viator antequam ad locum designatum deveniat in tædio est: ita ille tædio afficiebatur donec opus redemptionis nostræ consummaret. 2do. timoris. Timet Christus ob tormenta & iniurias quas illa nocte ac toto passionis tempore certò sciebat sibi subeundas: & vt timore suo nobis fortitudinem ad pericula mortis superanda mereatur. 3tio. tristitiæ. Tristabatur quia præsentissima habebat, & quasi coram intuebatur omnia peccata omnium hominum cum suis enormitatibus: quia videbat ingratitudinem multorum quibus passio & mors sua exiguum valde fructum productura erat: quia cernebat miserabilem perditionem Israelitici populi, condemnationem Iudæ, scandalum

dalum discipulorum, afflictionem suæ Matris dilectæ, aliorumq; sibi condolentium. Tristabatur item: vt tristitiæ, quam homines de suis culpis non sentiunt, defectum suo dolore suppleret. His consideratis expende quàm intensus extiterit in benedicta illa Salvatoris nostri anima dolor. Nota pro praxi vt dum actum contritionis elicis, vnias illum dolori quem Dominus nòster de culpis omnium hominum & tuis sensit. Compatere Christo. Age gratias pro tantis afflictionibus & amaritudinibus sponte causâ salutis tuæ toleratis. Resigna te ad omnes desolationes angores & tristitias. Pete æquanimitatem in ipsis. Adiunge Propositum & Tesserā vt supra.

## PRO FERIA V.

### *De Oratione in horto, & de agonia.*

PUnctum 1mum. Jn prædictis angoribus constitutus IESUS avulsus est à discipulis suis quantum iactus lapidis & positis genibus procidit in faciem super terram orans: *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu.* Disce in desolationibus & mæroribus confugere ad orationem. Deinde considera & disce quædam singularia ex Christi oratione. 1mo. Separationem ab alijs dum oras. 2do. Situm orandi vt

*Ad oratio-nem quæ requirun-tur?*

di vt nimirum oraturus procidas in faciem: aut manibus extensis vultum ad cælum erigas: aut poplites flectas manusq; compositas ante pectus teneas. 3tio resignationem exactissimam in voluntatem Divinam: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* 4to. perseverantiam. Hæc enim est conditio necessariò requisita ad hoc vt aliquid salutare impetres in oratione. Considera demùm quod Christus Dominus à se petierit transire calicem passionis, petitionē hanc fuisse (vt ait S. Bonaventura) tam sensualitatis quam rationis: sed sensualitatis fuit tanquam affectantis; rationis autem tanquam proponentis: & hoc fecit Christus Dominus ad triplicem instructionem nostram. Prima est, *vt sciamus non esse peccatum aliquid velle ex sensualitate, quod est contrarium Divinæ voluntati.* modò ratio non consentiat Secunda est, *vt Martyres Christi non desperent si mortem horreant cum illam etiam filius Dei horruerit.* Tertia est, *vt discamus discrete petere, scilicet supponendo voluntatē nostrā volūtati Divinæ.*

*Oratio Christi in horto fuit actus & sensualitatis & rationis.*

*In compēdio Theologicæ veritatis de Humanitate Christi cap. 17.*

*Punctum 2dum.* In agonia factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Agonia hæc (ait S. Thomas) *non fuit in Christo quantum ad partem animæ rationalem, secundum quòd agonia importat decertationem voluntatum ex diversi-*

*Agonia in Christo nō fuit secundū partē animæ rati-*

tate

*tate rationum procedentem: hoc enim contingit ex debilitate rationis, quæ non poteſt diiudicare quid ſit ſimpliciter melius, quod in Chriſto non fuit: quia per ſuam rationem iudicabat ſimpliciter eſſe melius vt per ſuam paſsionem impleretur voluntas Divina circa ſalutem humani generis. Fuit ergo agonia in Chriſto quantum ad partem ſenſitivam, ſecundùm quod agonia importat timorem infortunij imminentis.* Unde & ſudor Chriſti ſanguineus ex vehementia timoris tædij & mæroris provenit: non tamen hæ paſſiones ( vti nec vlla alia ) in Chriſto rationi eiuſdem dominabantur, ſed perfectè eidem ſubiacuerunt. Vehementia verò hæc & magnitudo tædij, timoris & mæroris proveniebat ex multitudine & magnitudine pænarum & opprobriorum quæ erat paſſurus; nec non ex pretioſitate & nobilitate animæ quam ponebat. Perpende hîc magnum amorem Domini noſtri, qui talem triſtitiam timoremq; prudens volenſq; in ſe ſuſcepit. Vide faciem eius deformatam, capillos ſanguine conſperos, veſtes cruore madidas. Offer illi animam tuam & cor tuum tanquam linteamen, vel tanquam ſpongiam ad abſtergendum ſacrum ſudorem. Age gratias pro tanta amaritudine & deſolatione in gratiam tui tolerata: miſce eidem tuas triſtitias & angores

*onalẽ, ſed ſecundùm partẽ ſenſitivam.*]

*Vehementia timoris in Chriſto vnde?*

gores

gores seu præteritos, seu præsentes, seu futuros, & offer in odorem suavitatis velut myrrhæ fasciculum Patri æterno. Tessera vt supra.

## PRO FERIA VI.

### *De proditione Christi in horto.*

*Christus traditur à Iuda.*

PUnctum 1mum. Tunc Iudas antecedens turbam gladijs fustibusq; armatam accessit ad Iesum dicens: *Ave Rabbi,* & osculatus est eum. Cui Iesus, *Amice ad quid venisti? osculo filium hominis tradis.* Considera 1mo. quis? quem? quomodo? quare tradit? Considera 2do. Iudam Apostolum Domini factum ducem ministrorum dæmonis: & disce quàm gravis sit lapsus eorum qui post magna à Deo accepta beneficia, vocationem suam vel cursum pietatis deserunt. Considera 3tio. benignitatem IESU, qua Iudam conabatur emollire præbendo ipsi osculum, vocando amicum, exponendo enorme proditionis facinus. Vide misericordiam inenarrabilem, ait Euthymius, donec traditus est, cura est illi de proditore. Etiam circa te vt te à peccato retraheret, qualem curam habuit per interna & externa media tu verò obstinatus fuisti.

*Punctum 2dum.* Dein militibus interrogatis *quem quærerent?* ac respondentibus.

Iesum

JESUM NAZARENUM, dixit IESUS: *Ego sum:* quo dicto corruerunt retrorsum. Considera primo potentiam Christi, qui vnico verbo *Ego sum* milites in terram prostravit: quid fiet quando vt Rex & Iudex veniet, & decretum ore suo contra iniquos pertonabit. Considera 2do. cur ceciderint retrorsum non in faciem? quia impij non vident quò cadunt, & quæ illos mala expectant. Considera 3tio obstinationem Iudæ, & horum militum, qui tam aperto divinitatis signo viso, noluerunt resipicere. Ora, ne te Christus in obcæcationem mentis, & obdurationem voluntatis permittat venire. *Cor durum, male habebit in novissimo,* scilicet in morte. Dic crebro, dic etiam nunc cum pænitente David: *Ne projcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

## PRO DIE SABBATI
### *De Captivitate Christi.*

PUnctum imum. Petrus animatus casu hostium servo Pontificis Malcho amputavit auriculam dextram: quem Christus reprehendit, Malchumq; sanavit, & militibus se capiendi facultatem dedit. Auricula dextra illis quasi amputata est, qui auditum non habent, seu non applicant ad divina, sed tantum ad mundana & ioco-

*Auricula dextrâ qui carēt.*

iocosa. Si etiam tu cares auriculâ dextra, & sinistra auris tua prurit ad scurrilitates, & sermones ludicros; ora Christum vt te sanare dignetur, detq; auditui tuo gaudium & lætitiam ex sanctorum verborum perceptione. Expende hic obstinationem Malchi, & turbæ miraculo evidenti nihil motæ: & scito quod peccator cum in profundum peccatorum venerit, nihil movetur concionibus, correptionibus, censuris, imò & manifestis miraculis. Ora pro obstinatis in peccato. Expende etiam quam Christus Dominus non coactè, sed spontaneè, ex mero amore tui pati voluerit: quando vltroneè seipsum tradidit in manus & potestatem persecutorum. Age gratias. Propone gratus esse, & nunquam ipsum offendere.

*Captivationis modus.*

*Punctum 2dum.* Accepta ea potestate milites manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum, & discipuli eo relicto fugerunt. Considera quis & à quibus, & quomodo capitur? Licet hic meditari quomodo in terram prosternitur, ac pedibus percutitur & proculcatur dulcis Iesus: quomodo alii capitis capillos, alii barbam vellicant; alij caput, alij brachia cædunt; alij manus post tergum crasso fune ligant: alij catenam collo inijciunt: omnes insultant. O miserabile spectaculum.

lum. Considera deinde quare permisit se captivari & ligari? vt scilicet nos à vinculis peccatorum, & à laqueis dæmonum absolveret. Considera demum inconstantiam & timiditatem discipulorum: quibus sunt similes illi, qui tempore afflictionis à studio pietatis recedunt: & metu alicujus mali, à Deo deficiunt. Propone semper Deo adhærere. Pete gratiam perseverandi in amore Dei. Pete virtutem fortitudinis, per quam ita in timore & amore Dei firmeris, vt te nullus metus, nullum periculum mortis à Deo abducat.

*Causa.*

## PRO DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

### *Passio Christi, mare: & de adductione ad Annam.*

PUnctum unum. *Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.* Ioan: 6. Passi Christi Domini comparatur mari. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* ait Christus Dominus de seipso. Tiberias idem est quod visio bona: quia per passionem Domini, venimus ad visionem Dei, in qua est omne bonum, & tota beatitudo nostra. Tiberias etiam in alia significatione, confractionem denotat: quia per passionem Christi, confracta est potentia diaboli. Abijt ergo Christus Ie-

*Passio Christi Dni, mare.*

ſus ad hoc mare, quando ivit ſponte ſua, & ex amore noſtri ad paſſionem: tranſire illud incepit & quaſi à littore ſolvebat, quando incepit pati pro nobis in horto, apud Annam, apud Caipham: venit in profundum maris huius quando flagellabatur, coronabatur, iudicabatur, clamore totius vrbis obruebatur: tandem trabe crucis demerſus, quando mortuus; ſed per mortem ſuam trasfretavit ad littus felicitatis æternæ, nobiſq; ad idem littus per mare huius mundi transfretandi viam fecit. Sis benedictus Chriſte IESU quod ita demergi in ſanguine tuo pro nobis voluiſti! Sis benedictus, quia nobis viam ad viſionem Dei aperuiſti: & totam diaboli potentiam confregiſti. Miſerere mei: non me vnquam demergat tempeſtas tribulationis alicuius ad deſperationem: neq; vrgeat puteus inferni ſuper me os ſuum.

*Duplex claſsis ſequentium Chriſtum.*

*Punctum 2dum. Sequebatur eum multitudo magna.* Ioan: 6. Sequebatur Chriſtum multitudo magna dum abijt trans mare Galilææ. Etiam eunte͂ in initio paſſionis ſuæ ad Anna͂, ſequebatur multitudo magna Iudæorum & militum ad eius captivatione͂ miſſorum: hominum item ad rei novitatem nox licet eſſet concurrentium. Sed diverſo affectu ibi & hic ſecuta eſt. Nam ab e-

abeuntem trans mare ſequebatur ad hoc, vt beneficia de manu eius perciperet: & prodigia facientem miraretur atq; adoraret: iam verò ad Annam euntem & paſſionis primordia inchoantem ſecuta eſt vt affligeret, vt iniurijs & verberibus afficeret: vt ad mortem poſtularet! O inconſtantiam & fragilitatem hominum! Contemplare hic Chriſtum Dominum ligatum, indignè per vias invias, per ſordes, lutum, aquam raptari: calcibus & fuſtibus ad currendum vrgeri: per portam ſterquilinij per quam ſordes ex civitate eijciebātur, ad maius dedecus introduci. O dulcedo cordium IESU itane tractari ab hominibus meruiſti! Hæc tibi rependit gratitudo humana pro eo quod ſaturaveris panibus famelicos: quòd languores ab ægrotis depuleris: quod afflictis omnibus ſolatium attuleris. Ah quam & ego toties ingratus fui beneficentiæ tuæ? Doleo. Parce. Da amantem te redamare.

*Punctum 3tium.* Conſtitutus Dominus IESUS coram Anna interrogatur ab eo primum de diſcipulis: deinde de doctrina de qua reſponſo dato alapam ab vno miniſtrorum accepit. Conſidera 1mo. Chriſtum de diſcipulis fuga dilapſis tacere: vt diſcas defectus alienos non propalare, vbi & quando propalandi non ſunt. Conſide-

*Apud Annam Chriſtus percuſſus.*

ra 2do. Quis: à quo: quomodo: quare percutitur? Dicunt aliqui armata manu militis percussum esse tanta vi vt vestigia in vultu relinquerentur. Aliqui dicunt Salvatorem in terram corruisse: aliqui copiosum ex ore sanguinem emisisse. O facinus ad quod cælum & terra exhorrescunt! Considera 3tio. quàm modestè & cum promptitudine aliam maxillam præbendi Dominus se habuerit! O Pater respice in faciem Christi tui! Propositum adversitates pro Christo libenter patiēdi. Tesseræ:

*O novissime virorum, o vir dolorum & sciens infirmitatem: quomodo absconditus vultus tuus & despectus!*

*Quo nate Dei tua processit pietas! ego crimen admisi tu torturæ subijceris!*

*Corpus tuum dedisti percutientibus, genas vellentibus, faciem tuam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus in te Domine Deus auxiliator meus.*

## PRO FERIA II.

### *De Christi Iudicio apud Caipham.*

*Caiphas simoniacus, ideoq; iniquus Iudex.*

PUnctum imum. Ab Anna *duxerunt milites & ministri IESVM ad Caipham Principem Sacerdotum vbi scribæ & seniores convenerant.* Matt: 26. Caiphas hic, vt habet Iosephus pretio emerat pontificatum ab Herode. Non est ergo mirum si nequam

Ponti-

Pontifex iniquè iudicavit. Qui ſimoniacè acquirit ſacerdotium, ordinariè lucris & commodis ac voluptatibus ſtudet, non æquitati. Caiphas interpretatur *vomitus oris*. Qui tanquam canis ad vomitum redit ad peccata ſua & recidivat: ille eſt alter Caiphas, & morti Chriſtum conatur tradere; quia non vult vt in ſuo corde vivat. Examina te quoties ad vomitum redieris: quoties Chriſtum in anima tua vivere non permiſeris. Dole. Propone. *Vbi ſcribæ & ſeniores convenerant.* Qualis Pontifex, tales ſacerdotes eius: qualis Iudex, tales aſſeſſores. Tota nocte vigilaverunt vt homicidium facerent. Cogita quòd homines alacriores & vigilantiores ſint ad mala opera quàm ad bona. Noctes inſomnes ducunt vt vacent libidini, compotationi, furtis & alijs nequitijs: ad orationem autem ſurgere gravantur.

*Simile ſibi concilium habuit.*

*Punctum 2dum. Petrus à longe ſequebatur: & ingreſſus ad atrium ſedebat cum miniſtris ad prunas.* Matt: 26. Charitas Petrum trahebat poſt Chriſtum: timor retrahebat. Proximus es lapſui ſi nutas animo: ſi non es firmus in amore Dei. *In atrio cum miniſtris ſedebat ad ignem.* Atrium, eſt ſæculum: Miniſtri dæmones: ignis, deſiderium carnale; cum quibus qui manet, flere peccata non poteſt. Exi ergo de medio

eorum. vita sæculares conversationes, dæmonis tentationes & carnis desideria reijce. *Principes autem sacerdotum quærebant falsum testimonium contra Iesum.* Ut Ægyptia adversus Ioseph: Iudices senes, adversus Susannam; ita Principes sacerdotum adversus Iesum, quærunt falsum testimonium & non inveniunt. Mentita est iniquitas sibi. Qui contra fratrem, falsum testimonium quæris aut profers: contra Iesum agis. Sed & tu qui calumniâ aut falso testimonio appeteris, disce pati, disce tacere: iniuriam tuam commenda Deo. Sicut Iosephi, sicut Susannæ, sicut ipsius Iesu Christi innocentia revelata est & patuit vniversis; ita & tua revelabitur & patebit. Noli frangi, noli angustiari.

*Contra innocentiã falsa testimonia quæruntur sed in cassum.*

*Punctum 3tium.* Christo ad omnia obiecta tacente: adiuro te, inquit Caiphas, vt dicas nobis si tu es Christus Filius Dei vivi. Et respondente: *Ego sum*: scidit vestimenta sua dicens: *blasphemavit.* ad quod omnes exclamaverunt: *reus est mortis.*

*Christus tacet.*

Tacuit Christus ad falsa testimonia & ad simplicem interrogationem Caiphæ: vt ovem se sine voce occisioni paratam monstraret: vt item pro garrulitate nostra & peccatis oris, suo silentio satisfaceret: vt insuper suo exemplo doceret, nos mutos in nostris iniurijs esse debere. Non tacet ad adiurationem: vt discamus non

*quare?*

licere nobis etiam cum vitæ diſcrimine abnegare Deum fidemq; eius. Scidit veſtimenta ſua Caiphas: vt palam fieret, Iudæos ſacerdotij gloriam perdidiſſe. Veſtem ſacerdotij lacerant & illi, qui cum ſint ſacerdotes, non gerunt ſe iuxta ſtatum ſuum & malis operibus indicant ſe indignos eſſe ſacerdotio. Vide vocationem tuam o ſacerdos Dei altiſſimi! Cave ne poderim iuſtitiæ qua per Chriſtum indutus es, laceres. Expende hic ſumam iniuriam Chriſti, qui ob reſponſionem veritatis æternæ, blaſphemus proclamatus. Expende item quo doloris ſenſu iniuſtam mortis ſententiam audierit Dominus: quanto nihilominus humilitatis, manſvetudinis, amoris exceſſu tanquam de manu amantiſſimi Patris eandem acceptarit, vt nos à morte liberaret. Propoſitum & Teſſera vt ſupra.

*Caiphas ſcidit veſtimentū: quo myſterio?*

## PRO FERIA III.

### *De toleratis in domo Caiphæ.*

P*Unctum 1mum.* Poſtquam Dominus noſter blaſphemus & reus mortis blaſphemo ore à concilio eſt proclamatus, quinq; inſignibus contumelijs & iniurijs à miniſtris fuit affectus. 1mo. expuerunt in faciem eius divinam Seraphinis venerabilem! 2do velaverunt oculos eius vt

*Quinq; iniurijs vexat9 Chriſtus apud Caipham.*

licentius illuderent! 3tio. percusserunt certatim maximoq; impetu faciem eius palmis, & vt quidam meditantur, crepidis, baccillisq; iuxta Micheæ vaticinium: *In Virga percutient maxillam iudicis Israel.* 4to. verbis irrisorijs eidem insultarunt: *Prophetisa quis est qui te percussit?* 5to. Comam & barbam violento modo vellicarunt iuxta illud Isaiæ: *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus.* Considera quis hæc omnia tot & tanta opprobria & verbera sit passus: à quibus: quomodo: quà patientiâ, humilitate, amore, zelo: & quare? vt nimirum reatu *suo reatum nostrum solveret: & velamine faciei suæ velamen cordium nostrorum auferret: & sputaminibus susceptis faciem animæ nostræ lavaret: & colaphis quibus in caput percussus est, caput humani generis, quod est Adam, sanaret: & alapis quibus expalmatus est, maxima laus eius nostris manibus & labijs plauderet.* S. Hier: in Marcum.

*Causæ earum mysticæ.*

*Punctum 2dum.* Considera quantis præterea iniurijs tota reliqua nocte vsq; ad mane absq; vlla cessatione bonus IESUS sit exagitatus & afflictus. Considera insuper quòd plurimum illum afflixit trina Petri negatio cui claves regni cælorum appromiserat: & qui ante se ad mortem subeundam offerebat. O quanta abyssus

*Lapsus Petri Christo auxit afflictionem.*

humanæ fragilitatis: at quanto maior divinæ benignitatis errantem diſcipulum amanter reſpicientis, illuminantis, emollientis! Cogita quoties & te benigniſſimus IESUS lapſum graviter, reſpexit & erexit! Age gratias. Pete compunctionis donum, quo poſſis amariſſimè flere cum Petro. Propone occaſiones peccandi vitare: quas ſi Petrus vitaſſet, vtiq; non corruiſſet. Teſſera aliqua ex ijs quæ poſitæ ſunt ſub meditatione diei Dominicæ, per diem ruminetur.

## PRO FERIA IV.

### *De dolore Beatiſſimæ Matris audita Filij captivitate.*

*Dolor Beatiſsimæ Matris audita filij captivitate ex 4. capitibus magnus.*

PUnctum imum. Piè credi poteſt quod Ioannes fugâ elapſus ſtatim Beatiſſimæ Virgini vnà cum alijs mulieribus in cænaculo Sion exiſtenti nuntiaverit quid cum dilecto IESU actum ſit. Conſidera quam magnum dolorem & compaſſionem ex hoc nuntio Beatiſſima Mater ſenſerit. 1mo. ob multitudinem tormentorum quæ ipſi perferenda prævidebat. 2do. ob gravitatem ſingulorum, quam fortiſſimè apprehendebat. 3tio. ob intenſiſſimum amorem quo eum diligebat. 4to. ob eius innocentiam quam clariſſimè agnoſcebat. Tunc Noemi verſa eſt in Mara, pulchra

in amaram. Tunc dilectus IESUS factus est matri suæ fasciculus myrrhæ. Tunc Simeonis gladius pertransivit animam eius. Tunc vt meditatur S. Bonav: sacrum pectus tundere & lachrymas effundere non cessavit. Fac & tu similiter.

*In officio compassionis.*

*Punctum 2dum.* Considera 1mo. quomodo tota nocte in lachrymis & compassionis affectibus ciendis perseveraverit Beatissima Mater ruminans quæ de filij passione in lege & prophetis prædicta & præfigurata erant. Sic enim orat S. Bonav: *Noctem qua Christus capitur, absq; somno duxisti: & soporatis alijs flens vigil permansisti.* Considera 2do. quomodo nihilominus resignatissimè se & filium suum in manus divini beneplaciti offerebat idq; zelo divini honoris & humanæ salutis. In super socias suas confortabat, atq; ad similem resignationem animabat. Ora Virginem Beatissimam in hunc e.g. modum: O Virgo Virginum præclara, fac vt tecum lugeam: fac vt mihi fiat fasciculus myrrhæ dilectus tuus qui inter vbera mentis & affectus mei continuo commoretur: qui me amarissima passione à putredine peccati & à diectione animi ac desperatione in adversis præservet.

PRO

## PRO FERIA V.

### *De missione Christi ad Pilatum & de desperatione Iudæ.*

PUnctum 1mum. Manè facto ductus est IESUS ad Præsidem Pilatum. Expende qua submissione, qua patientia, qua modestia Filius Dei, Iudex vivorum & mortuorum sinit se ignominiosè trahi per plateas, quas toties pertransierat benefaciendo & sanando, ad tribunal gentilis à quo sciebat se iniustè voluntati suorum hostium tradendum. Expende 2do. ingenium malignantium: manè convenerunt de nece Domini consultaturi. Vide ne fortè & tu ad mala opera vigiles & ferveas; ad bona verò torpeas. Compassio: modestia in iniurijs: fervor in bonis operibus: detestatio malorum.

*Qualis Christus eundo ad Pilatum?*

*Punctū 2dum.* Iudas pænitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum dicens: peccavi tradens sanguinem iustum. *Et proiectis argenteis abiens laqueo se suspendit.* Matth: 27. Expende 1mo. infructuosam Iudæ pænitentiam, quia verum dolorem & spem non habuit. S. Hieron: ait: *Nihil profuit ei sera pænitentia per quam scelus corrigere non valuit. Si permanent mala opera, frustra voce assumitur pænitentia.* Expende 2do. dæmonis a-

*Iudæ pænitentia infructuosa.*

stum

ſtum, qui plerumq; ante peccatum obcæcat peccatorem ne turpitudinem videat; poſt verò ita enormitatem criminis exaggerat vt in deſperationem inducat. Expende 3tio. conſcientiæ malæ carnificiam nullibi quietem permittentis. ſicut ſecura mens iuge convivium ita propter peccatorum gravitatem pavida, iuge tormentum. Expende 4to. quam male perire ſoleant fures, ſacrilegi, proprietarij, apoſtatæ.

*Quorum exitus malus?*

*Punctum 3tium.* Principes Sacerdotum acceptis argenteis à Iuda proiectis non miſerunt eos in corbonam; ſed emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Vide falſam iuſtitiam Phariſæorum & ſacerdotum: nefas putant pretium ſanguinis in cyſtam templi in qua eleemoſynæ ſervabantur, mittere: & ſanguinem ipſum effundere pro licito habent. *Verè culicem liquantes & camelum glutientes.* Expende hîc amorem Chriſti in pauperes, qui pretium ſanguinis ſui voluit cedere in ſepulturam peregrinorum. Expende item myſterium hoc loco clauſum. *Figulus noſter, Chriſtus eſt. Fictor noſter tu.* Iſaiæ 64. Ager figuli huius, Eccleſia: peregrini, nos qui ex gentibus vocati ſumus; *ſed qui peregrini eramus a lege & Prophetis, prava Iudæorum ſtudia ſuſcepimus in ſalutem, & in*

*Phariſaica iuſtitia.*

*& in pretio sanguinis Christi requiescimus.* *Hieron.*
Gratias age Christo, quod in agro suo & in pretio sanguinis sui fecerit te requiescere. Ora ne vnquam falsam iustitiam imiteris. Propone pauperibus & peregrinis esse beneficus. Tesseræ hebdomadalis memor esto.

## PRO FERIA VI.

### *De accusatione & examine Christi apud Pilatum.*

PUnctum 1mum. Christus Dominus coram Pilato de tribus accusatus fuit. 1mo. quia subvertit gentem. 2do. quia prohibet dare tributa Cæsari. 3tio quia se Regem facit. Quid iniquius & impudentius? Notum omnibus erat Christum præcepisse vt senioribus obedientia præstaretur, eorumq; doctrina servaretur: vt tributa cæsari redderentur: fugisse etiam dum eum turba vellet Regem facere; & tamen contrarium ausa est iniquitas horum accusatorum fingere & mentiri. Interdum & nunc in iudicijs innocentia fictis criminibus exagitatur. Disce patientiam à IESU: & quando aliquid mendaciter contra te sive in iudicio, sive extra dicitur, Magistrum tuum imitare: hoc est, vel tace; vel si ita expedit, modestissimè responde. Etiam in hoc morem & in geni-

*Causas amoris in odia inflectimus.*

genium perversum Iudæorum sequimur; quia plerumq; causas amoris in acerba odia inflectimus: & sicut Iudæi Christum docentem turbas & ijs benefacientem, subversorem gentis appellarunt & accusarunt, ita nos ex ijs ex quibus proximum amare & laudare deberemus sumimus materiam detractionum irrisionum sugillationum. Tu qualis es erga Christum & membra eius? fortè mendax, detractor, irrisor, susurro, & bonorum operum in malam partem interpres.

*Punctum 2dum.* Pilatus relictis duabus prioribus accusationibus apertè & notoriè falsis, an Rex sit Iudæorum interrogavit: cui Christus respondit, se Regem esse sed regnum suum non esse de hoc mundo. Considera 1mo. Christum non negasse regnum suum esse in hoc mundo. sed de hoc mundo, hoc est, non esse tale quale solet esse in hoc mundo. *Non enim* vt ait August: tract: 51. in Ioann: *Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum hostesq; visibiliter debellandos: sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesq; perducat.* Considera 2do. arctissimum & admirandum Domini silentium in tot falsis calumnijs: quod & ipse Pila-

*Christus Dominus qualiter rex Israel?*

tus

tus tanquam rem stupendam est admiratus. *Taciturnitas Iesu apologiam Adæ absolvit.* Hieron: Utinam & nos per imitationem IESU simus alijs admirationi propter patientiam. Utinam regnet semper super nos: vtinam nunquam amplius simus sub sceptro diaboli. Propone ad calumnias & contumelias tacere vt possis dicere cum Psalmista. *Turbatus sum & non sum locutus.* Propone item veritatem constantissimè tueri & asserere. Tessera vt supra.

*Non se defendit in judicio Christus sicut Adã se defendit.*

## PRO DIE SABBATI.

### *De missione Christi ad Herodem & illusione.*

P*Unctum imum.* Cum adstarent Iudæi inter alia clamantes Christum commovisse plebem à Galilæa: Pilatus audiens Galilæum esse, amandavit illum accusatoresq; eius ad Herodem Regem, qui eo conspecto gavisus est valdo. Considera 1mo: quomodo innocentissimus IESUS cum magna ignominia tanquam maleficus per mediam vrbem raptatur vinctus non tam funibus & catenis quam funiculis charitatis. Considera 2do. Herodi nihil profuisse quod conspecto Christo gavisus esset, quia id gaudiũ non ex charitate & pietate fuit, sed ex curiositate & vanâ videndi alicuius admirabilis signi spe. Et tibi ni-

hil proderit si libenter audias concionem & legas pia, quando ex curiositate id agis vel aliquo fine vitioso. Thomas à Kempis monet: *Nunquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior possis videri.*

*Punctum 2dum.* Interrogavit autem Iesum Herodes multis sermonibus, at ipse nihil respondebat. Considera 1mo Christum Herodi non respondisse. 1mo. in detestationem vafræ ipsius malitiæ propter quam antea vulpem illum appellavit. 2do. in reprobationem ipsius curiositatis & multiloquij. 3tio. ne passionem mortemq; suam quam tantopere pro gloria Patris nostraq; salute desiderabat, seu verbo, seu facto aliquo admirando impediret. 4to. in exemplum nostrum vt nimirum & nos taceamus, quando evocamur ad sermones, quorum finis alius quàm laus Dei vel vtilitas proximi; vtq; gravi vultu ostendamus displicere nobis omnes fabulationes, quæ non sunt vt lex Dei, sed scurrilitatem aut lasciviam sapiunt.

*Causæ cur Christus apud Herodem tacuit?*

*Punctum 3tium.* Herodes Christum ad omnia interrrogata sua & obiectiones sacerdotum omnino tacentem sprevit cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ. Considera, quis, à quibus, quare, quomodo illuditur? Disce si Christus fatui habitum non detrectavit, nomen stulti non recusare

sare

ſare. Dic cum Apoſtolo: Nos ſtulti propter Chriſtum. *Unde coronabitur patientia tua*, ait quidam *ſi nihil adverſitatis occurrerit?* Amor Chriſti faciet tibi dulces omnes deſpectus & ſubſannationes. *Qui enim intus per amorem Dei benè eſt diſpoſitus, non curat mirabiles & perverſos hominum geſtus.* Conſidera item quod Dominus noſter duplici alieno veſtimento in paſſione ſua ſit indutus, albo & rubro. Per veſtimentum populus fidelis: per colorem album, iuſtitia: per rubrum, martyrium intelligitur. Hoc ergo duplici tegmine ſignificabatur, quod Chriſtus ſit rex & caput omnium electorum, Martyrum & Confeſſorum: & quod omnes tam martyres quàm Confeſſores paſſione ſua acquiſivit: & velut veſtimentum ſibi adſtrinxit, atq; finaliter Deo adhærere fecit.

*Thomas à Kempis.*

*Hieron: in pſal. 132. per veſtimentum intelligit populum fidelẽ iuxta illud Ierem: 13. ſicut tu lũbare habuiſti circa lumbos tuos: ita & ego populũ iſtũ habui circa me.*

*Colloquium.* O ſi & ego ſim de ora veſtimenti eius! O ſi humillimus! o ſi vltimus ſim inter fideles omnes Chriſto adhærentes, quatenus vnguentum benedictionis eius, etiam in me miſerum deſcendat. Adſtringe me tibi Domine Ieſu per fidem & charitatem perpetuam. Sim de hæreditate & poſſeſſione, quam Pater tuus dedit tibi, pro eo quia contra te fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt, inania.

## PRO DOMINICA PASSIONIS.

### *Dies Christi, dies passionis: & de reductione Christi ad Pilatum.*

PUnctum imum. *Abraham Pater vester exultavit vt videret diem meũ.* Ioan: 8. Diem passionis hoc loco vocat Christus diem suum: quem Abraham Deo revelante vidit in monte quando filium immolare volebat. Gavisus verò est quia vidit infinitum fructum Dominicæ Passionis: gavisus est, quia videns tantum Christi erga nos amorem, ipse quoq; ardore quodam seraphico exarsit vicissim erga Christum. vbi autem amor, ibi gaudium: & quo maior amor, eo maius gaudium. Diem Christi, diem passionis ipsius nec nos sine exultatione & gaudio spiritûs videre & contemplari possumus. Quis enim tantum amorem erga nos considerans in tali persona qualis est Christus, in ardentissimum affectum amoris non erumpet: & consequenter gaudio ac lachrymis gaudiosis non perfundetur? Ergò devotè contemplare quid in hac die sua passus, replicando omnia quæ in iudicio matutino apud Caipham: quæ apud Pilatum, & deinceps pertulit: reflectendo te semper ad eum qui patitur, & ad motivum propter quod patitur.

*Mons hic ille ipse in quo Christus crucifixus*

*S. Hier: in vita Paulæ ait quòd Abraham sub quercu vidit diem Christi & lætatus est. Quercus autē hæc fuit typus crucis Xti.*

Pun-

*Punctum 2dum.* Replicatis anterioribus diei huius passionibus ad reductionẽ Christi ab Herode in prætorium, solito tenore meditandam progredere. Considera 1mo: quàm ignominiosè à conspectu Herodis abstractus Dominus noster: cum quibus cachinnis & sannis retrorsùm ad Pilatum ductus. Considera 2do. post reductionem Christi redintegratam esse amicitiam inter Pilatum & Herodem: quia plerumq; mundani homines etiam ad invicem dissidentes contra Christum servosq; eius conveniunt animisq; & studijs perversis ad persecutionem membrorum Christi consociantur. Considera 3tio: ingenium & proprietatem mundi esse, quod homines sanctos derideat, moresq; ipsorum rectos & simplices explodat. *Deridetur iusti simplicitas & quod innocenter à Sanctis agitur, procul dubio à mundanis stultum putatur.* Sed pro hoc recipient mercedem congruam. nam qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, hoc est, condemnabit. Idem enim apud Deum est subsannare quod condemnare. Deprecare Christum pro illis qui nos modo affligunt, confundunt, & quocunq; modo exercent: vt & ipsi convertantur atq; nobiscum exerceantur; quo & ipsi coronam iustitiæ recipiant.

*Homines mundani adversus servos Dei cõspirant.*

*S. Gregor.*

*Subsannare Dei quid?*

*Punctum 3tium.* Videns Pilatus innocentiam IESU cupiensq; eum liberare, dedit Iudæis optionem eligendi, quem vellent iuxta consuetudinem antiquam dimitti, proposito ipsis Barabbâ & IESU: at illi petierunt dimitti Barabbam. Considera 1mo. extremam Christi postpositionem, qui infami nebuloni comparatus, quasi indignior & sceleratior ad mortem est petitus. Considera 2do. Iudæorum cæcitatem, qui lupum agno, sceleratum iusto, latronem innocenti prætulerunt: malitiam item eorundem vide, qui Dominum proprio nomine non sunt dignati appellare clamantes: *Non hunc sed Barabbam.* Etiam tu Barabbam Christo præponis, cum iudicium tuum superiorum iudicio, vel cum creaturam creatori anteponis & præeligis. Considera demum pusillanimitatem & stultitiam Pilati, quod à turbulento populo, ab hostibus, à furibundis, qui mortem Christi totis viribus quærebant, petit consilium quid facere debeat cum IESU. Talibus tricis se solent innodare, qui in suis actibus non purè gloriam Dei, & salutem animæ, sed favores humanos intendunt. Virtus *devotio ad passionem Domini.* Propositum: *Missam, memoriale Dominicæ passionis devotè audiendi aut celebrandi.* Tesseræ per septimanam replicandæ:

*O quæ traxit vis amoris vt portares tot doloris innocens supplicia!*

*Pie pelicane Iesu Domine me immundum munda tuo sanguine.*

*Quare rubrum est vestimentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

## PRO FERIA II.

### *De flagellatione Christi.*

P*Unctum imum.* Pilatus totâ cohorte flagellavit Christum. Considera 1mo: quomodo Christus Dominus à brutis illis hominibus arripitur: (S. Brigitta accepit per revelationem percussum fuisse à milite ad collum pugno gravissimè) quomodo deinde vestibus coram multitudine exuitur & denudatur: postea ad columnam lapideam funibus arctissimè alligatur: ad extremum crudelissimè cæditur. In denudatione, expende ruborem Christi: in alligatione ignominiam: in cæsione dolorem intensissimum & acutissimum, quem ex his circumstantijs colligere potes. 1mo. ex instrumentis quæ triplicia fuerunt: virgæ spinosæ, scuticæ ex loris, catenulæ ferreæ. 2do. ex tortoribus quorum aliqui dicunt 4. fuisse, aliqui totam legionem id est. *6666.* qui omnes tum ex propria constitutione erant crudeles, tum ex mandato præsidis, tum ex corruptione Iudæ-

orum, tum ex instigatione dæmonis. 3tio. ex vulneribus inflictis, quorum secundùm aliquos plusquam quinquè millia fuerunt. S. Gertrudis ait fuisse 5466. & horum multa fuêre profundissima vsq; ad costas. 4to. ex temperamento ipsius corporis Christi quod erat tenerrimum ac propterea doloris maximè perceptivum. Ut autem ex prædictis magis inflammeris considera quis ita flagellatus? quare? quomodo tulit horrendam flagellationem?

*Punctum 2dum.* Considera Christum dum à columna solutus est, præ debilitate non potuisse stare sed in terram prolapsum esse. Aspice eum in pavimento reptantem: vide per rivos sanguinis sui vestimenta quærentem: vide quoq; inter alias religiosas mulieres Beatam Virginem cum fletu tam triste spectaculum intuentem. Cogita Christum his te alloqui: Fili quid sunt plagæ istæ in toto corpore meo? sunt characteres amoris mei erga te: sunt ostia pietatis meæ erga te: sunt sulci, ex quibus tibi messis æternæ beatitudinis proveniet. vide quomodo respondes amori meo? Propositũ & Tessera vt supra.

*Plagæ Christi Domini quid?*

## PRO FERIA III.

### *De coronatione Christi.*

P*Unctum 1mum.* Vix mitissimus Iesus à co-

à columna solutus in proprio natans cruore vestes resumpserat, cum ecce carnifices novam probrosam simul & dolorosam aggrediuntur in eum exercere carnificinam. 1mo. exuunt eum, vestemq; carni adglutinatam abstrahunt. 2do. Chlamydem coccineam circumdant ei. 3tio. plectentes coronam de spinis ponunt super caput eius. 4to. dant arundinem in dextram eius. Considera 1mo non sinè verecundia virgineum corpus iterum nudari. Considera 2do. ingentem dolorem ex vestium detractione quâ omnia vulnera renovabantur, dolorem item acerbissimum ex aculeatæ coronæ in benedictum caput impressione. videas exire aculeos in longitudinem vnius digiti ex fronte, ex temporibus, magnaq; vi penetrare cranium. O crudelitas! Considera insuper quâ patientiâ, modestiâ, quâ humilitate hæc omnia Dominus noster tolerarit, vt nostram superbiam reprimeret, & coronam nobis regni cælestis compararet.

*Punctum 2dum.* Purpurâ, diademate & sceptro ludicro exornatum Regem nostrum varijs modis subsannabant milites iuxta vaticinium illud: *subsannatione subsannaverunt me:* 1mo. itaq; veniebant ad eum tanquam ministri mandata accepturi. 2do. genu flexo per ludibrium adorabant

eum linguam contra ipsum exertantes & dorsum suum ipsi obijcientes. *O impij super quem lusistis, super quem dilatastis os, & eiecistis linguam?* Isaiæ 57. 3tio salutabant: *Ave Rex Iudæorum.* 4to. conspuebant. 5to. percutiebant caput arundine, & spinas altiùs infigebant. 6to. dabant ei alapas vt quidam meditantur armata manu adversùs spinas. Fuit hæc illusio diurna similis illi nocturnæ apud Caipham, nisi quod ibi oculos IESU Christi velarent Iudæi, hîc gentiles patente vultu vexarint. Considera quanto cum rubore, dolore, patientia, charitate, desiderio sustinuerit hæc Dominus, & quare?

## PRO FERIA IV.

### *De productione Christi ad populum.*

PUnctum 1mum. Sic flagellatum, coronatum & purpurâ semitectum producit Pilatus foras, innocentem rursus pronuntiat populoq; monstrat efferatos animos tali spectaculo mitigare desiderans. Intuere mirabile hoc spectaculum conijciendo diligentiùs oculos tuos in Iesum vibicibus, vulneribus, sputis, livore, sanguine deformatum. Considera quanta humilitate, quantâ modestiâ & patientia coram tanta populi multitudine in ignominiosa illa veste seminudus consiteterit

Iesus. Egredere anima mea extra te, & vide Regem pacificum, conspectui tuo expositum, diademate, sceptro, habitu ludicro quidem sed mysterioso ornatum. *In chlamyde coccinea Iesus meus opera gentium cruenta sustentat. in corona spinea maledictum solvit antiqvum: in calamo venenata occidit animalia: sive calamum tenebat in manu vt sacrilegium scriberet Iudæorum.* Ora tu vt chlamyde illa contegat peccata tua, quò cum illis esse merearis, de quibus dictum: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Spinis & calamo suo occidat in te venenatas passiones & omnia vitia, scribatq; te in libro vitæ.

*S. Hier. in Matthæū.*

*Ludicri ornatûs Christi mysterium.*

*Punctum 2dum.* Pilatus manu Christum monstrans: *Ecce* inquit *homo*, quasi diceret; ecce quem vos dicitis se facere filium Dei, quem dicitis affectatorem regni, videte quod vix homini similis sit, & ideo iam parcite illi tantopere flagellis lacerato. Considera quod ipsemet Dominus noster eadem verba in aures nostras videatur insusurrare: *Ecce homo. qui veni te languidum sanguine meo sanare! Ecce homo, qui me amore tui tam dire tractari permisi! Ecce homo, qui de cælo veni ducere te ad viam crucis! Ecce homo: quem tibi Pater æternus donat!*

Quis

Quis hoc audiens ad eum amandum imitandumvè non accendatur? Cogita hîc quod etiam te iudicandum ſtatuet Chriſtus in theatro mundi, dicetq; in facie & auribus totius mundi: *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Ecce homo & opera eius!* Quid tunc dices, quid cogitabis, o miſer & miſerabilis humuncio? Ora ſuppliciter vt Chriſtus Dominus per illam ſuam publicam confuſionem propitius ſit tibi in extremo iudicio, liberetq; te ab æterna confuſione.

## PRO FERIA V.

### *De Chriſti condemnatione.*

*Timor mũdanus.*

PUnctum imum. Videntes Iudæi quia Pilatus in Chriſti liberationem propendet, dixerunt minitando: *ſi hunc dimittis, non es amicus cæſaris.* Ad quod Pilatus extimuit. O quoties homo imitatur Pilatum, cum ne amittat hominis gratiam non timet Dei offenſam incurrere, Inſpice teipſum num & quoties veritus amittere gratiam aut amicitiam hominum elegiſti amittere gratiam & amicitiam Dei. *Eiuſmodi timidis pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Apoc: 21. Pilatus lavit manus publicè dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti: vos videritis:* ad quod populus reſpondit: *Sanguis eius ſuper nos & ſu-*

*& super filios nostros.* Considera 1mo pseudopolitiem Pilati qui externâ cæremoniâ internam labem vult abluere. Considera 2do. Insaniam Iudæorum, non negat Iesum esse iustum, sed vt pavitanti iudici animum addant, ipsum quidem à reatu Christicidij absolvunt, se verò & posteros suos pænis obstringunt, dirisq; devovent. *Perseverat vsq; in præsentem diem (ait Hieron.) hæc imprecatio super Iudæos: & sanguis Domini non auferetur ab eis.* Tu ora vt sanguis Iesu Christi Domini nostri custodiat animam tuam in vitam æternam.

***in Matth.***

*Punctum 2dum.* Pilatus volens satisfacere populo tradidit Iesum voluntati eorum vt crucifigeretur. Considera 1mo. Pilatum quia ad flagellationem Iesu quem innocentem sciebat descenderat, etiam ad condemnationem & crucifixionem descendisse: ex quo discis semper à minori ad maius peccatum progressum fieri. Considera 2do. quàm gaudenter Filius Dei hanc iniquissimi iudicis sententiam tanquam sanctissimum æterni Patris decretum exceperit, voluntariè se ipsum pro nobis in mortem tradendo eadem voluntate & actione quâ & Pater tradidit eum: simulq; perpende traditionem IESU Christi Domini nostri à diversis diversimodè factam. Nam Pater tradidit eum ex charita-

*Christi Dñi traditio multiplex.*

ritate: Iudas tradidit eum ex cupiditate: Iudæi ex invidia: Pilatus ex timore mundano. Vide ex quot radicibus provenit offensa Dei. Cave ne aut ex cupiditate, aut ex invidia, aut ex timore vitioso pecces in Christum & membra eius. Totum vicissim te trade IESU Christo & Patri eius ex charitate. Cura & propone per singulas actiones & cogitationes gratificari Christo Domino pro tanto amore; protestare cum Apostolo coram omnibus creaturis: *In fide vivo filij Dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.*

## PRO FERIA VI.
### *De crucis baiulatione.*

P*Unctum 1mum.* Prolatâ à Pilato mortis in authorem vitæ Iesum sententiâ milites tria notabilia fecerunt. 1mo. exuerunt eum chlamyde. 2do. induerunt vestibus proprijs. 3tio. crucem cui suffigendus erat humeris eius imposuerunt. Considera 1mo. quantum dolorem ruboremq; passus Dominus, dum chlamyde iam vulneribus tenaciter adhærente exuebatur, vestibusq; proprijs induebatur, sic ab omnibus agnoscendus. Considera 2do. quàm grave onus senserit dum crux 15. pedes longa, & 8. lata toto corpore deficienti imposita est. Omnibus supplicio affici-

ficiendis instrumenta mortis abscondi solent: Christo crux gestanda imponitur. Considera 3tio. quanta nihilominus alacritate Salvator noster regale hoc sceptrum amplexatus fuerit: quanto animi ardore susceperit equidem infinite maiori quàm postea S. Andreas & alij SS. Martyres. Comitare Christum ad locum supplicij: offer te illi ad portandam post eum crucem: propone eam portare in ore, corde, & opere; in ore per devotam collocutionem & gratiarum actionem; in corde per dulcem recordationem; in opere, per carnis mortificationem.

*Punctum 2dum.* Crucem suam humeris gestans educitur ex vrbe in montē Calvariæ Dominus. Considera 1mo. & quasi præsens aspice, quomodo tanto pondere onustus procedit Dominus oculis facieq; totâ sputis & sanguine plenâ, capite spinis redimito, trepidantibus genibus, corpore toto vacillante Vide quomodo author omnis innocentiæ & Rex gloriæ cum latronibus ducitur. En Abel educitur in agrum à fratre vt perimatur. Isaac ligna portat in quibus immoletur. En Ioseph in tunica talari sanguine lita, patibuli quod nobis debebatur non interpres sed baiulus. En Moyses cum virga. En Eliseus cum ligno ad quærendam securim de-

mer-

mersam, id est genus humanum, vt illud ex aquis peccatorũ, & inferni, per lignum crucis extrahat! Considera deinde quàm prompto hilariq; animo hoc sacrum onus baiulet intuens non Iudæorum & carnificum crudelitatem sed Patris æterni & suam voluntatem: quàm pios amoris & miserationis affectus erga electos eliciat! quomodo gaudeat adesse horam peccata hominum per crucem expiandi.

## PRO DIE SABBATI.

### *De planctu mulierum & verbis Christi Domini ad ipsas.*

PUnctum imum. *Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum quæ plangebant.* Lucæ 23. ad quas Dominus conversus dixit: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros.* Considera 1mo. quo dolore fuerit Beatissima Virgo MARIA cernens dilectissimum filium suum cruce onustum ad mortem rapi. Doloris magnitudo potest æstimari inde quia in eum ferebatur amore summo, tanquam in Deum, & tanquam in filium suum vnicum. Considera 2do. quantum vicissim dolorem hauserit pijssimus IESUS respiciens compassionis gladio sic transfixam primogenitam æterni Patris filiam benefactricem & Matrem suam optimam

mam, cariſſimam, ſanctiſſimam. *Eia mater fons amoris, me ſentire vim doloris, fac vt tecum lugeam. Fac vt ardeat cor meum, in amando Chriſtum Deum, vt ſibi complaceam.*

*Punctum 2dum.* Nolite flere ſuper me. Quare? *Nemo enim tollit animam meam à me, ſed ego pono eam & iterum ſumo eam.* At verò filij veſtri mortem gehennæ per peccata ſua meruerunt, à qua ſe nunquam poterunt liberare. *Flete ſuper vos, & ſuper filios veſtros, quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum viride IESUS Chriſtus Dominus noſter. Ipſe eſt enim olea cuius pinguedinis ſimus participes per fidem ac charitatem: ipſe eſt vitis: ipſe arbor vitæ. Radix huius ligni ſunt Patriarchæ: rami, Apoſtoli & credentes omnes nec non Iudæi: ſed hi rami aruerunt, & fracti ſunt propter incredulitatem. Vide ergo ſeveritatem Dei. Si proprio filio non pepercit propter peccata aliena: quomodo tibi parcet propter tua? Excideris & in ignem gehennæ mitteris, niſi permanſeris in bonitate.

*Ioann: 10.*

*Lignū viride Ieſus Chriſtus.*

*Ad Rom: XI.*

*Punctum 3tium.* Perpende Iudæos ex radice ſancta Patriarcharum progeneratos ramos aruiſſe quidem, & fractos eſſe propter incredulitatem: ſed delictum eorum eſt ſalus gentium. Per occaſionem delicti eorum, gentes ad fidem vocatæ. Tu cum

*Delictum Iudæorum ſalus mūdi.*

*Ad Rom: XI.*

alijs fidelibus in locum eorum insertus es contra naturam in bonam olivam, hoc est, in Iesum Christum. Quare noli gloriari adversus ramos: noli fremere adversus Iudæos, eosq; odisse; sed potius time, ne & tu per aliquod peccatum lethale arescas: & judicia Dei venerare, eiusq; bonitatem ac sapientiam obstupescendo admirare, quod ex peccato Iudæorum salutem gentium elicuit: quarum plenitudine intrante ad fidem, tandem & Israel zelo atq; æmulatione fidei gentium provocatus credet in Christum & salvus fiet.

Colloquiũ. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia iudicia eius! O crux Christi quàm mira operaris! quomodo facis vtraq; vnum, & gentes & Iudæos ad fidem trahis! O IESU per crucem & passiõnem tuam oro te, ne me permittas vnquam arescere; sim iugiter ramus tuus in te, & ex te vivens & virens! nutri me semper succo & pingvedine fidei & charitatis, vt semper fructum tibi faciam.

## PRO DOMINICA PALMARUM,

### *De Ingressu triumphali IESV in Ierusalem.*

PUnctum 1mum. Christus verus Agnus ad instar agni typici quinq; diebus

ante immolationem ſuam Hieroſolymam ingredi voluit, & quidem non communi more vt alias, ſed cum triumpho; non pedeſter, ſed aſello inſidens. idq; ob has ferè cauſas. quarum 1ma vt oſtenderet ſe ſponte, libenter, gaudenter expectare paſſionem. 2da. vt doceret ad cæleſtem Hieruſalem per viam humilitatis & manſuetudinis nobis eundem eſſe. 3tia vt item doceret nos conſtantiam & æquanimitatem in proſperis & adverſis ſervare; ne ſcilicet poſtquam ex proſperis in adverſa, ex honore ad ignominiam delabimur, concidamus animo, & nimium turbemur. 4ta Ut impleretur vaticinium Zachariæ: *Exulta ſatis filia Sion: iubila filia Hieruſalem. ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & Salvator aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* 70. ſic habent: *Gaude vehementer filia Sion. prædica filia Hieruſalem. Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & Salvator ipſe manſuetus & aſcendens ſuper ſubiugalem & pullum novum* Zach: 9.

*Christus Rex Iudæorum & gentium.*

*Punctum 2dum.* Expende myſterium iumentorum Chriſto in hoc ingreſſu ſervientium. Per aſinam ſubiugalem intelliguntur Iudæi: qui ſcilicet ante adventum Chriſti ſub gravi iugo legis manſerunt. per pullum intelliguntur gentiles. *Pullus novus eſt populus gentium* (ait S. Hier: in

Zachar: ) *qui fræna legis non habens nec rectus ab aliquo, sed semper in præcipitijs & in voraginibus idololatriæ elisus atq; confractus, Domini sessione didicit ambulare & rectam viam ingredi.* Expende item Christi humilitatem & paupertatem. In regiam suam ingreditur in iumento contemptibili: loco aurei fræni duos habet funiculos: loco sellæ gemmis distinctæ vestes discipulorum: loco tubarum, turbæ acclamationes. S. Bonaventura meditatur asinam hanc & pullum fuisse alligatos in loco publico ad vsum pauperum. Ita Dominus non alio iumento quàm pauperibus deputato portari voluit! Expende insuper quod qui tam pauper & humilis procedit, *quadrigas & equos & arcus belli disperdet & dominabitur vbiq;* hoc est, bella conteret, & pacata faciet omnia, & vniversum mundum suo sceptro subijciet absq; armis.

*Primùm sedit in asina mox in pullo iuxta S. Bonaven.*

*Zach: 9.*

*Affectus.*

O Synagoga! o Pharisæi, scribæ & sacerdotes: cur fremitis contra Christum qu si affectatorem regni? quis vnquam sic ad regnum processit? vbi exercitus? vbi Principum & magnatum splendidus comitatus? vbi equitum longi ordines? vbi equi phalerati? vbi carpenta & petorita? si nihil horum videtis, quid invidetis? aut quid vobis ab hoc rege timetis.

Anima mea obstupesce tu super tali vectura

ctura Regis gloriæ! Nonne tu es Domine qui ſedes ſuper Cherubim? & nunc carne humana velatus aſello inſides. Sis benedictus ex tanta tua humilitate. Fac me quoq; humilem.

*Punctum 3tium* Eſtò Chriſtus tam humiliter intrabat Hieruſalem, tamen tales plauſus & acclamationes & occurſus habuit, quales nullus regum. Nam turbæ quæ eum comitatæ fuerant ab Hiericho, vbi cæcos iuxta Matthæi Evangelium illuminaverat, & deinde aliæ turbæ Hieroſolymis obviam Chriſto egreſſæ cælitus inſpiratæ, pars veſtimenta ſternebant in via, pars de arboribus ramos cædebant & vias complanabant, pars ramos palmarum & olearum prægeſtabant: omnes autem conſonâ voce cantabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael. Oſanna in exceſis.* quod Lucas latinè ſic poſuit: Pax in cælo & gloria in excelſis. Oſanna idem eſt iuxta S. Hieronymum quod ſalus. Oſanna ergo Chriſto canebatur, quia adventus ipſius gloriam Deo & ſalutem hominibus attulit.

*Secundùm Marcum pullus ligatus ſtetit ante ianuam in bivio.*

O Rex Iſrael! ecce ego pullus puſillus & contemptibilis, ligatus vinculis peccatorum, foris ante ianuam Eccleſiæ tuæ in bivio ſto;; quia libertate arbitrij inter vitam & mortem medius maneo:

oro iube me ſolvi manu Apoſtolicâ & adduci ad te: ſede ſuper me nec me vnquam abijcias; vt iam non regnet in me peccatum.

Tibi & præcedens & ſequens populus: & qui ante evangelium, & qui poſt evangelium, teſtimonium perhibet, quod ſis Rex cæleſtis & terreſtris Hieruſalem: quod in nomine Dei Patris veneris: quod per te pax & ſalus mundi, & gloria in excelſis facta ſit. Etiam humilem confeſſionem meam ſuſcipe: Benedictus Rex Iſrael. Benedictus Pater tuus in cuius nomine veniſti. Oſanna ſalvivifica me. Propoſitum & virtus ſit *contemplatio Ieſu crucifixi.*

Teſſeræ: *Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus.*

*Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo & mori cupio.* S. Auguſt.

## PRO FERIA II.

### *De crucifixione in monte Calvariæ.*

PUnctum imum. Cum carnifices Ieſum ſæpius ſub pondere crucis prolapſum vlterius iam propellere non poſſent, angariaverunt qendam Simonem Cyrænenum ex agro redeuntem vt tolleret crucem eius. Conſidera Simonem non ſponte, ſed coactè crucem tuliſſe; vt diſcas in ferenda cru-

da cruce requiri, vt vis inferatur naturæ reluctanti. Tu te ipsum offer Christo ad portandam post ipsum crucem alacriter; & propone omnem adversitatem pro gloria eius libenter suscipere. *Simon qui portat crucem in angaria, ipse est qui laborat pro laude humana. Cogunt eum homines huic labori quem non cogit timor & dilectio Dei.* Cave ne quid pro laude humana facias aut patiaris; sed omnia stude & propone referre ad gloriam Dei & proximi vtilitatem.

S. Hieron.

*Punctum 2dum.* Postquam venerunt in locum qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. Luc: 23. Expende quis crucifigitur? quomodo? vbi? quando? pro quibus? Quis? qui peccatum non fecit nec inventus dolus in ore eius: qui pertransibat benefaciendo & sanando omnes: Unigenitus filius Dei pro nobis homo factus: flos carnis: flos totius naturæ humanæ. Quomodo? perforant carnifices obtusis clavis manus & pedes, ad foramina summa vi attrahunt & ita extendunt totum corpus, vt omnia ossa eius potuerint dinumerari; tandem in effossam scrobem impetuosè deijciunt crucem cum crucifixo, in qua deiectione tota structura Sacratissimi Corporis cum renovatione omnium vulnerum dolorumq; concussa est.

Ubi? extra urbem Ierosolymæ: extra vineam illam, è qua se filium æterni Patris eiiciendum prædixerat: in monte Calvariæ, in loco propter cadavera fætido: in monte in quo iuxta traditionem Iudæorum immolatus est Isaac, aut verius aries pro Isaac: in quo Adam mortuus & sepultus: in vmbilico terræ, hoc est, in medio terræ; vt quaquaversum sanguis Christi deflueret in omnes mundi partes & Deo fructificaret.

*Punctum 3tium.* Quando & pro quibus crucifixus? Quando? die parascaves, quando plane totus orbis confluxerat Ierosolymam; vt in facie mundi totius pro toto mundo moreretur. *Pro quibus?* pro peccatoribus, pro hostibus suis, pro ingratis, scelestis, deniq; pro toto vniverso varijs ijsq; gravissimis criminibus oppresso. *Ipsa species crucis quid est nisi forma quadrata mundi: Oriens de vertice fulgens: Arcton dextra tenet: Auster in læva consistit: Occidens sub plantis firmatur.* ait S. Hieron: in Marc. Ne iam dixeris ingrate: Quid laboravit Deus circa me? dixit & factus sum. Non laboravit creando te sed o quantum laboravit redimendo te! Adora vbiq; crucem ex qua salus totius mundi manavit. Age gratias Christo pro tanto amore: adora pendentem: adora omnes & singulas

*In Cruce mundus totus.*

guttas

guttas ſanguinis ſui pretioſi è manibus, pedibus totoq; corpore rorantes. Ora vt tibi mundus crucifigatur & tu mundo. Ora vt nihil aliud noveris, nihil aliud vivat in te niſi Ieſus crucifixus.

## PRO FERIA III.

### *De titulo crucis: & iniurijs à Chriſto in cruce toleratis.*

PUnctum 1mum. Pendet Dominus duos inter latrones medius ſolo titulo eum diſcriminante: I. N. R. I. Conſidera ſingula tituli verba. 1mum eſt JESUS quod Salvatorem ſignificat: venit enim ad ſalvandum & liberandum mundum à peccatis eius. 2dum verbum NAZARENUS ſignificat floridum. ſemper namq; floribus fructibuſq; virtutum omnium vt humilitatis, paupertatis, patientiæ, obedientiæ, amoris erga Deum & homines ſtipatus fuit. Utinam flores hi appareant etiam in terra noſtra, in anima noſtra, nec vnquam deficiant. 3tium REX quo ſignificatur Regnum eius non temporale ſed cæleſte & æternum. 4tum verbum JUDÆORUM: quo ſignificatur eum regnare ſuper omnes, qui Chriſtum fide & operibus confitentur: qui ſunt ſemen Abrahæ non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm fidem; & circumciſionem non in

*Ad Phil: 3.* carne sed in spiritu habent. *Nos enim sumus circumcisio* (hoc est Iudæi) *qui spiritu servimus Deo & gloriamur in Christo Iesu.* Nos sumus veri Iudæi ait S. Hier: qui non vnius membri pellem, sed totius carnis vitia amputamus. Et gloriamur in Christo Iesu: nempe in fide Christi, non in circumcisione carnali.

*Quis verus Iudæus?*

*Punctum 2dum.* Sub oculis Christi de cruce spectantis milites partiti sunt inter se vestimenta eius scissa in 4. partes; tunicam verò inconsutilem subiecerunt sortibus. *Vestimenta Domini* (ait Hieron: in Marc:) *mandata sunt quibus tegitur corpus eius quod est ecclesia.* Vide vt semper his vestimentis opertus sis, ne nuditas & turpitudo tua spiritualis appareat coram Deo & hominibus. Considera immensam Christi liberalitatem, qui cum dedisset corpus & sanguinem suum hominibus, dedit & vestes insuper quadripartitas, ad significandum; quia ex omnibus 4. orbis partibus ad ipsum venientes possunt habere indumentum gratiæ. Tunica indivisa, pacis & vnitatis significativa est. vt tunicam suam, ita pacem & vnitatem non vult Christus inter nos dividi. non vult discindi charitatem, quò fructus passionis suæ in nobis maneat. Examina te an tunicam hanc indiscissam servas: an verò vnitatem frater-

*Vestimenta Christi quid mysticè.*

*Tunica inconsutilis quid?*

fraternæ dilectionis laceras & scindis?

*Punctum 3tium.* Ad hæc illudebant ei. 1mo. ex populo prætereunte varij moventes capita & insultantes potentiæ eius his verbis: *Vah qui destruis templum Dei & in triduo reædificas illud. salvum fac temetipsum. Alios salvos fecit: seipsum salvare non potest.* 2do. Sacerdotes cum scribis & senioribus deridentes eius sanctitatem, fiduciam in Deo & dignitatem filij Dei. *Confidit in Deo. liberet eum nunc si vult. dixit enim: filius Dei sum.* 3tio: Milites cavillantes regnum ipsius & dicentes: *Si tu es Rex Iudæorum, salvum te fac.* 4to. Latrones cum eo crucifixi, primùm quidem iuxta D. Hieronymum ambo; sed postea vnus visis miraculis quæ fiebant conversus pænituit, & alterum increpuit. In his omnibus considera quanto cum fastu, asperitate, contemptu, hæc improperia vilissimi sathanæ ministri in filium Dei congerebant: è contra quantâ æquanimitate, humilitate, patientiâ has omnes iniurias excepit Dominus. Considera item quantam afflictionem sustinuerit Beatissima Virgo blasphemias illas audiens quæ in filium suum effutiebantur. Age gratias Christo Domino pro singulis iniurijs, & opprobrijs toleratis. Propone ad imitationem eius pati convitia. Tessera vt in die Dominico.

PRO

## PRO FERIA IV.

### *De verbis Christi in cruce prolatis: & de morte eiusdem.*

PUnctum imum. Verbum Christi in cruce primum est. *Pater dimitte illis. non enim sciunt quid faciunt.* Implet Iesus quod docuerat, quando orat pro persequentibus se. excusat peccatum & ignorantiam obtendit, vt & tu dubia in meliorem partem interpreteris, manifesta autem excuses prout potes. *Nesciunt quid faciunt.* Non principes Iudæorum: hi enim sciverunt Iesum esse Christum promissum in lege, quia omnia signa viderunt in eo, quæ dixerant futura prophetæ: & quanquam mysterium divinitatis eius ignoraverint (si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent) hæc nihilominus ignorantia non excusabat eos à crimine quia fuit affectata. videbant enim signa evidentia divinitatis, sed ex odio & invidia ea pervertebant; & verbis Christi quibus se filium Dei fatebatur similiter ex odio & invidia credere noluerunt. Hæc ergo excusatio ad solos populares Iudæos pertinet, qui mysteria scripturæ non noverant, nec plene cognoverant Iesum esse Christum. multominus cognoverant ipsum esse filium Dei: quod si aliquan-

*Qualis ignorātia fuit in Iudæis Christi crucifixoribus.*

*Iudæi alij primores, alij minores, in illis fuit i-*

quando popter miraculorum multitudinem & efficaciam doctrinæ propendebant ad credendum in eum; à principibus suis seducebantur & à fide avertebantur. Et hæc ignorantia minuebat aliquatenus malitiam peccati in plebe Iudæorum, illudq; excusabile reddebat: è contra ignorantia affectata quæ fuit in pharisæis & principibus Iudæorum non minuebat, sed potius aggravabat peccatum. Cave odium & invidiam: hæc enim & sentire & proferre de aliis quæ vera & iusta sunt prohibet. Cave ne in ruinam aut verbo aut exemplo minores ac rudiores trahas. Peccatum rudium excusabile est: at illuminatorum in rebus divinis inexcusabile. *Potentes sive verbo sive opere, potenter tormenta patientur.* Age gratias Christo Domino pro hac excusatione gravissimi contra se peccati. Ora vt & tua peccata excuset & contegat.

*[I]gnorantia affectata, quæ potius aggravat culpã quã excusat; in his excusabilis.*

*Punctum 2dum.* Secundum verbum fuit ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Paradisum vocat divinæ suæ faciei visionem. *O felix latro, qui homicidij pœnam commutavit in martyrium.* Considera & expavesce iudicia Dei! vnus damnatur, alter salvatur. Tertium ad Matrem & Ioannem. In persona Ioannis omnes nos commendati sumus Virgini Beatissimæ, & ipsa nobis in Matrem data. O ingens

*S. Hieron.*

Chri-

Christi amor: o solicitudo circa nos in tantis tormentis. Quartum Christi verbum fuit: *Deus Deus meus vt quid me dereliquisti. Dereliquisti me non protegendo me a passione, sed potestati persequentium exponendo.* Undequaque desolationem patitur Christus, vt & nos desolationes exēplo eius patienter sustineamus. Quintum: *Sitio.* scilicet gloriam æterni Patris, salutemq; hominum. Sitiebat etiam potum materialem; & propinatum est illi acetum cum felle mixtum. per quod impletæ sunt scripturæ: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Vide quomodo IESUS nullum refrigerium in cruce habet. Sextum: *Consummatum est.* per quod intelligitur quod passione & morte sua cuncta legis veteris præcepta Christus impleverit. Moralia quidem, quorum fundamentum charitas, in quantum passus est ex dilectione Patris & proximi: cæremonialia quæ præcipue ad sacrificia & oblationes ordināturr, inquantum omnia sacrificia antiqua, figuræ fuerunt illius veri sacrificij quod Christus obtulit moriendo pro nobis: Iudicialia demum quæ vt plurimum ordinantur ad satisfaciendum injuriam passis, inquantum satisfecit justitiæ divinæ pro nobis. Septimum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Disce à Iesu mori!

*S. August.*

*Christus omnē legē veteris testamenti implevit, & ī se terminavit: ad quē nimirū tota ordinata fuit iuxta illud: finis legis Xtus.*

Punctum 3tium. *Et hæc dicens inclinato capito tradidit spiritum.* Considera Christum caput inclinasse. 1mo. vt reverentiam faceret Patri, gratias agendo ei pro consummato redemptionis humanæ officio. 2do. *Caput Christi Deus est.* Christus ergo moriendo caput inclinavit, vt ostenderet Deum per mortem Christi, terræ reconciliatum & ad eam inclinatum esse. 3tio vt ad Matrem suam affectum monstraret. 4to. vt secundum August: in medit: oscula daret dilectis suis. Considera deinde quomodo author vitæ per quem vivunt omnia, & qui est principium & fons omnis vitæ, verus Deus & homo mortem subierit non tamen qua author & fons vitæ. Nam Christus Dominus est fons vitæ secundùm quod Deus. mortuus verò est secundùm quod homo. Unde Augustinus dicit contra Felicianum: *Absit quod Christus sic senserit mortem vt quantum in se est vita vitam perdiderit. Si enim hoc ita esset, vitæ fons aruisset. Sensit ergo mortem participatione humani affectus quem sponte susceperat: non naturæ suæ perdidit potentiam, per quam cuncta vivificat.* Age gratias. Ora vt mors eius sit tibi in vitam æternam, vt inclinet caput suum ad te, tibiq; det osculum pacis æternæ.

*Quare Christus Dominus moriendo caput inclinavit.*

*Xtus Dominus author vitæ secundum divinitatem.*

*Mortuus secundùm humanitatem.*

# PRO FERIA V.

## *De causis mortis Christi. & de latere lancea aperto.*

*Causæ mortis Christi.*

PUnctum 1mum. Causa mortis Christi Domini: 1ma est vt satisfaceret pro humano genere quod erat morti ad iudicatum propter peccatum: est autem conveniens satisfaciendi pro alio modus cum aliquis se subijcit pænæ quam alius meruit. 2da. vt ostenderet veritatem naturæ assumptæ. *Si enim* (vt ait Eusebius) *post conversationem cum hominibus subito evanescens mortem fugisset, ab omnibus phantasmati fuisset comparatus.* 3tia vt moriendo, nos à timore mortis liberaret. 4ta. vt corporaliter moriendo similitudini peccati, id est pænalitati, nobis daret exemplum spiritualiter moriendi peccatis. 5ta. vt à mortuis resurgendo & virtutem suam ostenderet qua mortem superavit: & nobis spem resurgendi daret. Age gratias Christo Domino, quod morte sua pro te satisfecerit: quod naturæ humanæ veritatem ostenderit: quod te à timore mortis liberarit: exemplum moriendi vitijs peccatisq; nec non spem resurgendi in vitam æternam tibi dederit.

*Per similitudinem peccati intelligitur pænalitas.*

P*unctum 2dum.* Unus militum lanceâ eius latus aperuit. Considera 1mo. magnitu-

gnitudinem vulneris. Non enim ait ſcriptura latus percuſſum, ſed apertum eſſe. Conſidera 2do. dolorem Virginis Beatiſſimæ. verè tunc Beatiſſimam eius lancea illa pertranſivit. Chriſti n. mq; anima iam ibi non erat: ſed tua (alloquitur Mariam Bernardus) planè inde nequibat avelli. Conſidera 3tio. Cauſas 1ma. eſt vt de corpore Ieſu reſiduum ſanguinis efflueret pro noſtra ſalute. 2da. vt ad cordis eius intima & adviſcera miſericordiæ Dei velut per oſtiolum nobis ingreſſus pateret. vnde ait Aug: *Patent mihi viſcera per vulnera. Longinus aperuit mihi latus & intravi: & ibi requieſco ſecurus.* 3tia ex S. Bernardo: Pectus Chriſti apertum vt & nos cor noſtrum in confeſſione aperiamus: à pravis cogitationibus mundemus: mundatū ſanctificemus: ſanctificatum cuſtodiamus. 4ta ex parte militum vt de morte eius certiores eſſent & iniuriâ corpus mortuum afficerent cuius crura Deo ſic volente non fregerunt, vt adimpleretur ſcriptura: *Os non comminuetis ex eo.* Adora vulnus lateris & pete, vt ibi perpetuum ſit refugium tuum.

*Cauſæ apertionis lateris.*

*Punctum 3tium.* Et continuò exivit ſanguis & aqua. 1mo. ad oſtendendum quòd CorpusChriſti erat compoſitū ex veris humoribus & elemētis. 2da ratio Sacramēta-

*Cur exivit ſangvis & aqua ex latere Chriſti?*

lis. Sicut enim ex latere dormientis Adæ eduxit Deus costam & ædificavit in mulierem, ita ex latere Domini dormientis in cruce eduxit duo potissima Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ, quorum primum est ianua sacramentorum, alterum *finis & consummatio eorundem*: & in illis fundavit ecclesiam. Unde Glossa: *Ex latere Christi dormientis in cruce Sacramenta fluxerunt per quæ instituta & saluata est ecclesia.* 3tio. ad ostendendum effectum multiplicem passionis & mortis Christi. 1mus. est redemptio nostra à captivitate diabolica: & ablutio à macula originalis & personalium peccatorum. In sanguine redemptio, in aqua ablutio intelligitur. 2dus. amor erga Deum: & refrigerium à concupiscentijs. Nam per passionem Christi & incalescimus ad amorem Dei: & refrigeramur ab ardore concupiscentiæ. In sanguine calor: in aqua refrigerium. 3tius. Sacramenta & eorum virtus. sanguis ad eucharistiam pertinet: aqua ad baptismum. 4tus. adunatio nostri cum Christo: in sanguine Christus, in aqua populus designatur. 5tus. demum introitus noster in vitam æternam. Sanguine Christi signamur in hæredes vitæ æternæ: aqua autem salit nobis in eandem vitam æternam. Quàm salutares effectus? Desideras eos? frequentes Sacramenta. Et

S. Thom.

*Effectus passionis Christi in sanguine & aqua lateris sui repræsentati.*

*Erit vobis sanguis in signum Exodi 9.*

quo-

quoties ſacrificando accedis ad ſacrum calicem *vt ab ipſa bibiturus Chriſti coſta ſic accedas* iuxta monitum S. Chryſoſtomi. Ora ſingulos fructus tibi dari. Adora ſanguinem cum aqua ex latere IESU manantem: collige eum cum Beatiſſima Virgine Matre, & offer æterno Patri pro peccatis tuis.

## PRO FERIA VI.

### *De Chriſti Domini de cruce depoſitione.*

PUnctum 1mum. Joſeph ab Arimathia quæ interpretatur *deponens* depoſitionem corporis Dominici procuravit. Conſidera Chriſtum duobus Ioſephis curam ſui commendaſſe: vni initio vitæ, à quo nutriretur, alteri poſt mortem, à quo ſepeliretur. Ioſeph idem ſonat quod accreſcens vel proficiens: quia IESUS ijs ſe tantùm peculiariter communicat qui in vita ſpirituali quotidie proficiunt. *Hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum.* Lucæ 23. Verè beatus vir hic quia non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum qui Chriſtum perſequebantur non ſtetit. Audacter introivit ad Pilatum petijtq; corpus IESU. En fructum paſſionis mortiſq; Chriſti! Qui antea fuit timidus, poſt audax effectus. O quot hominibus etiam

*Pſalmum 1mum de iſto Ioſeph intelligi ſcribit Hieron.*

ſexûs & ætatis infirmioris mors Chriſti ſtupendam fortitudinem & magnanimitatem præſtitit. Etiam tu conſilia & actus peccatorum fuge. Audacter conſtanterq; perfice quæ ad fidem & ad gloriam divinam ſpectant. Dic in quovis periculo: mihi vivere Chriſtus eſt: & mori lucrum. Legitimam poteſtatem venerare, & de eius licentia fac facienda, juxta illud: *cui timorem timorem; cui honorem, honorem.* ad Rom: 13.

*Punctum 2dum. Deponens eum involuit Sindone.* Marci 15. Obtenta licentiâ emptaq; ſindone feſtinavit ad tam ſanctum opus. Reverentia crucifixo facta ſcalas applicuit, clavos extraxit, ac Deificum corpus juvante Nicodemo ac Ioanne, excipiente illud Deipara cum ſociabus ſuis, depoſuit. S. Auguſtinus comparat obſequia eius circa funus Chriſti, cum obſequijs B. M. Virginis circa nativitatem eiuſdem. *Conveniunt*, inquit, *Tibi obſequia, conveniunt & affectus. Unde neceſſe eſt & meritum convenire.* Expende quomodo ruat in amplexum totius corporis Beatiſſima Mater! quomodo in pectus Ioannes! quomodo ad pedes Magdalena! Adora cum hoc ſancto choro ſingula crucifixi membra. Caput, manus, pedes, pectus oſculare per piam affectionem. In ſindone

*Ser: 133. de Tẽpore.*

mun-

munda involue. Sindon candida est munda conscientia: quam qui non habet, nummo pœnitentiæ emat, & IESUM in ea servet.

*Punctum 3tium.* Ioseph hic insignibus encomijs in scriptura celebratur: 1mo. erat vir bonus & iustus. 2do. erat dives & nobilis, non tam facultatibus & sanguine quàm virtutibus, & bonâ famâ. 3tio. ab Arimathia quæ etiam interpretatur *vigilia donationis*: invigilavit enim vt sibi donaretur corpus Christi. 4to. decurio. hoc est, de curia curam habens. 5to. expectans regnum Dei. Tu pariter, (præcipuè si habes curam curiæ & corporis mystici Christi Domini) esto vir fortitudine & constantia. Nisi enim virtute valeas irrumpere iniquitates, non es aptus alios regere: esto bonus & iustus. esto Ioseph proficiens in spiritu, & aliorum profectum curans. Vigila super te & tibi commissos. Vulnera eorum, peccata eorum, quantum fas contege. Sindonem mundam, conscientiam bonam exhortationibus atq; orationibus ipsis procura. Demum expecta cum desiderio regnum Dei.

*Ecclesi. 7.*

## Pro eadem die.

### *De sepultura Christi Domini.*

P*Unctum 1mum. Venit autem & Nicode-*

 *mus.*

*mus.* Ioan: 19. Acceperunt ergo corpus IESU & ligaverunt illud linteis cum aromatibus. Ioan: 19. Considera 1mo. quantùm Nicodemus ex passione & morte Christi Domini profecerit. Ante noctu veniebat ad Iesum: nunc de die, ante solas quæstiones efferebat, nunc affert pretiosa aromata: antea innocentem sanguinem nomine duntaxat exprimebat, modo innocentem sanguinem fusum esse opere publico clamat: antea timebat populum, jam non tantùm populum sed etiam mortem ipsam non metuit. Disce & propone devotus esse ad passionem Domini. Disce & propone malum metum excutere: in virtutibus proficere: & ex ijs odorem bonæ famæ quærere. Considera 2do. devotionem & sedulitatem Ioseph & Nicodemi; quàm diligenter omnia Christi vulnera contemplati sunt: quoties osculati: quàm reverenter cruorem & sputa abstersenrunt: quomodo corpus linteaminibus ligarunt: caput sudario texerunt, Virgine Beatissima ad hos pietatis actus verbo & exemplo provocante. Tu quoq; quoties funeri alicuius ades, ex animo & devotè & tanquam corpori Christi obsequium vltimum exhibeto.

*Nicodemus hebraicè innocens sanguis, græcè victoria populi.*

*Punctum 2dum.* Involutum corpus posuerunt in monumento novo exciso è petra,

tra, in quo nondum quisquam positus e-
rat & adduxerunt saxum magnum ad osti-
um monumenti, & abierunt. Considera
1mo. novum fuisse monumentũ, quia tale
novo Adæ congruebat. Ubiq; ait S. Aug:
*Beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virgini-
tas. Virgo vterus Mariæ, Virgo sepulchrũ.* Ex-
cisum verò è petra, vt significaret re-
conditum esse in eo lapidem qui repro-
batus est à Iudæis ædificantibus, & factus
in caput anguli, hoc est, in caput conne-
ctens duos parietes, duos nimirum popu-
los, populum circumcisionis & præputij.
Considera 2do. corpus nostrum & potio-
ri jure pectus nostrum vbi iustitiæ sedes
est in quod sub communionem corpus Do-
mini recondimus, posse dici sepulchrum
IESU. Magnum autem saxum sepulchro
huic advoluimus, cum gratiâ Dei ita mu-
nimus pectus vt nullus pateat aditus dæ-
moni carni aut mundo. Etiam guttur no-
strum sepulchrum est iuxta illud: sepul-
chrum patens est guttur eorum. *Quoties
Christum loquimur, toties eum sanctæ me-
moriæ commendamus.* S. Aug: de tempore

*Ser: 131. de tempore.*

*Punctum 3tium.* Cur Christus in alieno
tumulari voluit sepulchro? 1mo. quia pro
alijs mortuus non pro se. *Ut quid ei pro-
pria sepultura, qui propriam mortem non
habuit.* 2do. quia ad breve tempus in tu-
mulo quieturus erat. *Ut quid illi sepultura?*

*Hæ rationes ex S. August: de tempore.*

*qui tridui tantùm ſpatio non tam mortuus iacuit quàm velut in lecto conquievit.* 3tio. quia in cælis habitatio eius. *Ut quid illi tumulus in terris cuius ſedes manebat in cælis?* 4to. quia ſepulchrum eſt habitaculum mortis. Chriſtus autem eſt vita. *Non habebat opus ſemper vivens habitaculo defunctorum.* Unde & mulieribus dictum: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Dedit tibi Ioſeph ſepulchrum ſuum novum o IESU! dedit Nicodemus miſturam myrrhæ & aloes. Ego quid dabo? animam & corpus meaq; omnia offero tibi in perpetuum. Sim ſemper ſepulchrum tuum ſed novum, nihil de vetuſtate & turpitudine Adæ habens: ſepulchrum odoriferum, aromatibus virtutum redolens, non mephitim operum verborumq; fætidorum exhalans! Fac hoc o IESU per interceſſionem doloroſæ Matris tuæ. O quanto cum dolore abijſti Virgo beatiſſima à ſepulchro! Oro te vt mihi impetres ſpecialem devotionem ad paſſionem Domini, & iugem memoriam eiuſdem. Oro inſuper te vt mihi impetres mundiciem cordis; quò in eo velut in monumento novo Chriſtus perpetuo requieſcat.

## PRO DIE SABBATI.

### *De descensu Christi ad limbum.*

P*Unctum 1mum.* Dominus noster simul ac in cruce expiravit, secundùm animam hypostaticè vnitam verbo ad limbum descendit cum magna gloria, stipatus ingenti comitatu Angelorum, vt suos à quibus tot sæculis expectabatur consolaretur, & ab inferis liberaret: atq; eodem temporis momento penetravit omnes inferiores partes terræ, in vna scilicet parte inferni quo ad substantiam suam manendo, ad alias autem partes potentiam suam extendendo, & effectus in ijs diversos operando: nimirum damnatos confutando de sua incredulitate atq; malitia: in purgatorio detentis ampliorem spem gloriæ dando: in limbo manentibus lumen gloriæ æternæ infundendo. iuxta prædictionem factam. Sap: 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ: & illuminabo sperantes in Domino.* Expende 1mo. benignitatem Salvatoris nostri non dedignantis per seipsum in partes inferiores terræ descendere ad liberandos suos, cum id vel solo nutu vel Angelorum ministerio præstare potuisset. Quanta quoq; eiusdem erga te benignitas, toties realiter in sacra communione ingredientis ad

te corpore & ſpiritu fætidum ſanandum, illuminandum, fovendum. Quàm meritò ergo infinita eius benignitas amanda, colenda! Expende 2do. curam ſalutis noſtræ; & diſce negotia gloriæ Dei & animarum non per alios perficere, ſed per te: item diſce non dedignari pro conſolatione proximorum hoſpitalia carcereſq; viſitare.

*Punctum 2dum.* Expende cauſas ob quas Chriſtus deſcendit ad inferos. 1ma eſt: vt nos ab inferno liberaret; ſicut mortuus eſt vt nos à morte liberaret. 2da. vt ſicut poteſtatem ſuam oſtendit in terra, ita & in inferno eandem oſtenderet. 3tia: vt ſicut viventibus applicatur virtus paſſionis Chriſti per Sacramenta configurantia nos paſſioni Chriſti: ita eadem amplicaretur mortuis per deſcenſum eiuſdem ad inferos. 4ta. vt impleretur ſcriptura: *Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui,* id eſt, per virtutem paſſionis tuæ, *eduxiſti vinctos de lacu* ſcilicet SS. Patres, iuſtoſq; omnes ex limbo: & ex purgatorio eos omnes, qui iam ſufficienter purgati erant:

*Zacha: 9.*

*Punctum 3tium.* Expende quantâ viſo ſalvatore lætitiâ perfuſi omnes iuſti, quicunq; ab exordio mundi in carcere illo fuerunt concluſi. Licet imaginari quod per choros acceſſerint & Dominum ſalutarint:

tarint:

tarint: separatim scilicet Patriarchæ: separatim Prophetæ: reges: sacerdotes: innocentes: martyres quorum agmen ducebat Abel: Confessores: Virgines: Viduæ: Matronæ: trementibus interea ac frementibus tartareis spiritibus. è quorum potestate statim liberati sunt omnes illi Sancti esto non statim educti: quousq; enim mansit ibi anima Christi, eousq; & illi manserunt sed iam gloriosi. Expende item solis iustis qui Christo per fidem & charitatem in vita coniuncti erant profuisse descensum Christi ad inferos. Nam ibi operatus est in virtute passionis suæ. Qui ergo passionem eius aut non agnoscebant per fidem, aut se ei non conformabant per charitatem, illis passio Christi non contulit fructum eliberationis. Unde Oseæ 13. dicitur: *Ero mors tua o mors: morsus tuus ero inferne.* Electos educendo, reprobos ibidem relinquendo. vt Glossa addit. *Momordit inferno Christus non sustulit:* quia partem inde eduxit, partem reliquit ibidem. sicut qui mordet aliquem, non occidit totum, sed in alio lædit. Ora Christum vt & tibi applicet fructum Passionis suæ, teq; de carcere vitæ imò potius mortis huius ad fruitionem gloriæ suæ educat.

*Iustos Dominus eduxit ab inferis: damnatos & pueros in originali mortuos reliquit. Sicut enim peccatum Adæ ad eos tantū pervenit, qui ab eo per seminalē rationē carnaliter descēderūt, ita gratia Xti ad eos tātùm pervenit, qui spirituali regeneratione facti sunt membra Xsti:*

MEDI-

# MEDITATIONES

## Pro via Unitiva.

### *Ad Religiosum Lectorem.*

MAteria meditationum viæ Unitivæ multiplex assignatur: inprimis gloriosa vitæ Christi mysteria: deinde attributa divina: postea beneficia nobis collata: demum beneficia (puta gloriæ cælestis) promissa: ad extremum vitæ Beatissimæ Virginis & Sanctorum Dei de singulis dabuntur meditationes. Porrò ne quis existimet in his meditationibus non nisi affectus viæ vnitivæ congruentes esse eliciendos, sciendum est posse etiam viæ Purgativæ & Illuminativæ affectus satis convenienter elici descendendo v. g. ex affectu amoris vel gratitudinis, vel zeli similiq; aliquo ad actum compunctionis, doloris, patientiæ, humilitatis, aliosvè. Liceat hîc cum D. Hieronymo mulierum ad sepulchrum Christi aromata portantium devotionem expendente, stylo & spiritu florido præfari. *Nunc aromatibus redolentibus cum sponsa & adolescentibus quæ currunt post eam conspergimus librum & cubiculum mentis nostræ. Nunc introducit nos Rex in cellaria*

*ria sua. Nunc surgit amica MARIA, hyems abijt & pluvia recessit, flores visi sunt, vox turturis audita est in terra nostra. Vineæ florentes dederunt odorem. Redit sponsus de vmbra, sub qua dormivit in meridie, post sabbata tristia felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet luce prima in eo lucescente, & Domino meo cum triumpho resurgente & dicente: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

---

# MEDITATIONES

## De Resurrectione & apparitionibus Domini in ordine ad lætitiam spiritualem.

## PRO DOMINICA PASCHATIS.

### *De gloriosa resurrectione Christi Domini.*

PUnctum imum. *Surrexit non est hic.* *Marci 16.* Considera 1mo. quomodo gloriosa Christi anima (recollecto prius per Angelos sanguine per diversa loca sparso, capillisq; qui evulsi erant, suo loco restitutis) corpori suo, inspectante toto comitatu se iterum vnivit, abstersoq; omni vulnerum squalore illud reddidit gloriosum impertiendo illi claritatem, impatibilitatem, agilitatem & subtilitatem

tem. Considera 2dò. Christum Dominum resurrectionem suam non expectatis tribus completis diebus accelerasse, vt mæstissimæ Matri, discipulis, alijsq; sibi charis solatio citiùs esset. Considera 3tiò. Christum Dominum vesperi mortuum esse, & mane resurrexisse, vt significaret se mortuum propter delicta nostra, quæ nos cælesti luce privant; & resurrexisse propter iustificationem, quæ nos gratiâ illustrat. Considera demum quantâ reverentia Sancti Angeli & justorum chori Dominum ac Regem suum in carne gloriosa adorarint. Affectus adorationis, gratulationis, gaudij de gloria Christi Domini.

*Causæ resurrectionis Christi.*

*Punctum 2dum.* Expende causas ob quas oportuit Christum resurgere. 1ma est: vt commendaret & ostenderet nobis in se ipso divinam iustitiam, cuius est exaltare humiles. Quia ergo IESUS Christus humiliavit se vsq; ad mortem crucis oportebat ipsum exaltari per gloriosam resurrectionem. 2da est vt firmaret in Apostolis fidem de divinitate sua: & eandem in nobis propagaret. Si non resurrexisset quis in eum credidisset? vnde in psalmo ex persona Christi dicitur: *Quæ vtilitas in sanguine meo.* id est, in effusione sanguinis mei, *dum descendo* quasi per quosdam gradus malorum *in corruptionem.* quasi di-

ſi dicat: nulla. *Si enim ſtatim non reſurgam corruptumq; fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, neminem lucrabor.* vt exponit Gloſſa. 3tia. vt ſublevaret ſpem noſtram. Quia dum credimus Chriſtum reſurrexiſſe, qui eſt caput noſtrum, etiam nos reſurrecturos confidimus. 4ta vt informaret vitam fidelium: quatenus nimirum ſicut ipſe à mortuis reſurrexit, ita & nos reſurgamus à vitijs & in novitate vitæ ambulemus. 5ta. vt noſram ſalutem compleret & perficeret. Quia ſicut mala ſuſtinuit vt nos liberaret à malis hoc eſt, à peccatis & pænis eorum, ita glorificatus eſt reſurgendo, vt nos promoveret ad bona, hoc eſt, ad iuſtificationem & gloriam iuſtificationi debitam. Elice actus fidei, ſpei, & charitatis. Age gratias æterno Patri, quòd ita glorificavit humanitatem filij ſui: propone in novitate vitæ ambulare. Exercitium: *lætitia ſpiritualis ex amore Dei procedens.* Teſſeræ.

*Apud S. Thomam.*

*Ut ſis perenne mentibus paſchale Ieſu gaudiũ à morte dira criminũ vitæ renatos libera.*

*Benigniſsime, ſvaviſsime, ſereniſsime, quando reſtaurabis mihi, quia non vidi illam beatæ carnis tuæ incorruptionem, quia non fui deoſculatus loca vulnerum, fixuram clavorum, quia non reſperſi lachrymis gaudij cicatrices corporis tui.* S. Auguſt.

Renu-

*Renuit consolari anima mea, nisi de te dulcedo mea.*

*Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.*

## PRO FERIA II. Paschatis.

### *De apparitione facta duobus discipulis euntibus in Emmaus.*

Lucæ 24.

PUnctum 1mum. *Cum duo discipuli tristes irent Emmauntem & de Christo suaq; passione colloqverentur, adiunxit se illis in habitu peregrini Iesus.* Considera 1mo. quam grata Christo de se suaq; passione collocutio cui ipse adesse dignatur. Considera 2do benignitatem Domini qui afflictis tam præsens adest: & nullum in necessitate deserit. O quoties te afflictum per internas allocutiones etiam dum peccasti erexit, instruxit!

*Punctum 2dum. O stulti & tardi corde ad credendum.* Considera 1mo. hanc reprehensionem non ex indignatione, sed ex commiseratione & zelo charitatis processisse, vt & tu non ex rancore, sed ex amoris officio cæteros arguas. Considera 2do. quanto amore, suavitate, efficaciâ medius inter duos istos incedens explicuerit illis scripturas illuminando intellectum & voluntatem accendendo. Implevit Christus quod prædixerat: vbi duo vel tres fue-

fuerint congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Si ergo vis conſortium Chriſti habere, aſſocia te ijs qui ad laudes divinas & ſpiritualia colloquia congregantur.

*Punctum 3tium. Finxit Ieſus ſe longiùs ire.* ſed cum rogaretur ac cogeretur vt maneret cum illis, manſit; cognituſq; in fractione panis, *Cleophæ domum in Eccleſiam dedicavit.* vt ait D. Hieron: in vita Paulæ. Conſidera 1mo. quàm gratum ſit Deo non ſolùm à nobis rogari, ſed etiam gemitibus, lachrymis, pænitentijs & precibus perſeverantibus cogi. Conſidera 2do. diſcipulos illuminatos in fractione panis, ad oſtendendam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ virtutem. Eſto & tu Cleophas. *Omnis gloria* tua ſit ab intus. Cura gloriam à Deo non ab hominibus habere. Libenter loquere de paſſione Domini & de rebus ſpiritualibus; ſuſpirijs & orationibus coge Ieſum tecum manere. Eſto devotus ad SS. Euchariſtiam: hæcq; omnia propone facere atq; ad facienda gratiam implora, & Ieſus intrabit domum cordis tui: illuminabit & accendet te: corq; tuum in templum ſuum dedicabit.

*Cleophæ domum in Eccleſiam Xſtus dedicavit.*

*Cleophas interpretatur omnis gloria.*

## PRO FERIA III. MEDITATIO.

## *De apparitione facta discipulis in cænaculo.*

*Lucæ 14.* PUnctum 1mum. Vesperi resurrectionis suæ post alias apparitiones apparuit Dominus discipulis in cænaculo: stansq; in medio dixit: *Pax vobis. ego sum Nolite timere.* repetendoq; (secundum Ioannem) verba, *pax vobis* insufflavit in eos & dedit eis Spiritum Sanctum. Vide bonitatem Domini! Pacem precatur illis à quibus erat fugâ offensus. Pacem offert: author nimirum pacis externæ, internæ, & æternæ. Duplicat pacem, ad indicandum: quia duplici naturâ sua pacem nobis procreavit; divinâ quidem velut causâ principali; humanâ, velut divinitatis suæ instrumento. Insufflavit in Apostolos & tali signo dedit eis Spiritum Sanctum, ostendens per hoc, Spiritum Sanctum ab ipso procedere, sicut halitus procedit ab homine. O quoties similia amoris insignia & tibi monstrat, cum te in adversitatibus pace suâ & Spiritu Sancto munit!

*Ioann: 20.*

*Punctum 2dum. Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet sicut videtis me habere.* Post verba salutationis seqvuntur verba instructionis. Nec tantùm verbis sed & ostensione tractabilis corporis sui, nec non manducatione ad credendum discipulos trahit. Expende Christum

*Lucæ 14.*

ſtum Dominum tam fortibus argumentis hoc egiſſe, vt non ſolùm ſuam ſed & noſtram reſurrectionem crederemus. *Si enim mortui non reſurgunt: neq; Chriſtus reſurrexit.* ait Apoſtolus 1. ad Corinth: 15. Expende 2do. quod Chriſtus primus omnium reſurrexit; ideoq; vocatur ab Apoſtolo *primitiæ dormientium.* Quamvis enim ante multi à mortuis ſive per prophetas ſive per ipſum Chriſtum, in figuram Dominicæ reſurrectionis fuerint ſuſcitati, tamen imperfectè duntaxat reſurrexerunt, quia cùm neceſſitate iterum moriendi: Chriſtus autem ſemel mortuus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Expende 3tio. reſurrectionem Domini eſſe cauſam reſurrectionis noſtræ. *Quod enim eſt primum in aliquo genere, eſt cauſa omnium quæ ſunt poſt.* Porro Chriſti reſurrectio eſt effectrix noſtræ reſurrectionis in virtute verbi perſonaliter Chriſto vniti: cuius eſt vivificare mortuos iuxta illud pſal: 35. *Apud te eſt fons vitæ.* Et Ioann: 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & filius quos vult vivificat.* Ora vt Chriſtus per ſuam reſurrectionem etiam te faciat reſurgere in vitam æternã.

*In ſua reſurrectione noſtrã Chriſtus probavit.*

*Reſurrectio perfecta & imperfecta: hæc eſt reductio alicuius ad vitã mortalem, illa ad immortalem.*

*Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis.*

*Punctum 3tium. Oportebat Chriſtum pati & reſurgere, &c. & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſſionem peccatorum*

*Lucæ 14.*

*Itē exemplaris.*

*rum.* Vides resurrectionem Christi ad hoc factam esse vt resurgamus, primùm spiritualiter per penitentiā: deinde suo tempore corporaliter. Quare resurrectio Christi non tantùm est causa nostræ resurrectionis, sed & exemplar: quod imitamur pænitendo pro peccatis nostris, cum seria & efficaci voluntate ad illa non redeundi. *Sicut Adam morientium forma est, ita Christus resurgentium.* Quod autem resurrectio Dominica sit archetypus nostræ, inde est: quia est perfectissima; nam *non solùm tempore sed etiam dignitate & perfectione est prima*, idq; propter vnionem verbi divini cum corpore quod resurrexit quod autem est perfectissimum, statuitur pro exemplari minùs perfectis.

*S. Hier: in epist: 1. ad Corin: 15.*

Ora vt in resurrectione mortuorum IESUS Christus configuret corpus tuum corpori claritatis suæ: quod vt fiat, propone & cura per pænitentiam ac mortificationem passioni & morti eius conformari. *Qui enim Christo conformantur patienti & morienti in hac vita passibili & mortali: illi soli pervenient ad participandum similitudinem resurrectionis eius.* ait S. Thomas.

*Non respectu omniū resurgētiū Chistus re surges exemplar.*

## PRO FERIA IV.

### *De apparitione ad mare Tiberiadis.*

*Hæc apparitio fa-*

F*Unctum unum. Manifestavit se iterum Iesus*

*Iesus discipulis ad mare Tiberiadis.* Ioan: 2c. Expende quod piscantibus discipulis apparuit Christus; vt scias gratiam sibi esse, si otium fugias, si labore manuum interdum te occupes; præcipuè vero si lucrari animas Deo studeas tanquam piscator hominum. Expende item quòd nihil tota nocte de piscibus prendiderunt discipuli: quia non erat cum eis Iesus; præsente eo & mandante, statim magnam multitudinem ceperunt. Etiam tu nihil boni sinè eo poteris facere. Ante omnia ergo invoca auxilium eius. Nox statum peccati significat; si ipse sis in peccato, quomodò alios ex aquis peccatorum extrahes? vt itaq; benè fructuosè & prout oportet ad salutem tuam & proximorum tuorum opereris; prius transire à nocte ad lucem gratiæ per Sacramenta cura.

*...cta est in Galil: ad quã Apost: ex metu cõfirmati iuxta præceptũ sibi datum receperũt se post repetitã Xsti in cœnaculo Hierosolym: apparitionẽ. Sine Iesu inanis labor. Nox peccatum.*

*Punctum 2dum.* Post laborem piscationis invitat ad prandium Christus discipulos: *venite prandete*. quia illi soli manducare digni qui laborant. Quare antequam comedas, suspira ad Deum ne fortè indignus sis sumere prandium quod tibi apponitur. Post epulas interrogatur à Christo Petrus: *diligis me?* noverat Christus Dominus Petri erga se amorem: sed non est contentus interiori nostra fide & dilectione; requirit vt etiam ore & facto pro-

*Cur Petrø interrogatur de amore?*

testemur eandem, præcipuè coram persecutoribus fidei, vel ijs fidelibus quos peccando scandalizavimus. Ter interrogatur: quia ter negaverat, satisfactio enim pro culpa, debet esse commensurata culpæ. Interrogatur item an plus cæteris diligeret: alias ipsi Christus regimen animarum non commisisset. Disce si pascis oves Christi debere te præ alijs excellere in dilectione Dei & pietatis cultu.

*Cur ter interrogatur?*

*Cur interrogatur an plus cæteris diligeret?*

*Punctum 3tium.* Expende ineffabilem Christi Domini bonitatem. Non exprobrat Petro lapsum in trinam negationem, sed assumit eum potius in petram & caput totius Ecclesiæ: suumq; vicarium in terris constituit. *Peccata enim præterita non nocent, quando non placent.* Disce non exprobrare alijs defectus. Disce item non habere in peccatis præteritis complacentiam. Ora vt Christus Dominus non imputet tibi errores & lapsus praeteritos; vtq; in posterum ab omni culpa, mortali potissimum te præservet, ac post labores vitæ præsentis, ad prandium æternæ vitæ perducat.

*S. Hier: in Marcum.*

## PRO FERIA V.

### *De apparitione facta Mariæ Magdalenæ.*

PUnctum 1mum. *Vidit Maria Magdalene duos*

*duos Angelos, vbi positum fuerat corpus Iesu.* *Ioann. 20.* Angeli apparent in loco vbi positum fuerat corpus Iesu. quare? vt scias pectus tuum vbi frequenter est repositum & reponitur sub specie panis & vini Corpus Iesu esse amabile & honorabile Angelis si dignè communicas: & cures vt omnia in te sint Angelica cogitatio, actio, locutio, compositio externa. Meruit visionem Angelicam Magdalena quia constanter aspiciebat sepulchrum Christi: & tu visionem non solum angelicam, sed & ipsius Domini assequeris, si frequens sis in contemplatione passionis & mortis Christi. Ora vt Angeli vnus ad caput tuum & vnus ad pedes sedeat in morte tua, & arceant diabolum à te. S. Mariam Magdalenam invoca vt tibi ardorem charitatis divinæ & devotionem ad passionem Domini impetret.

*Cur Maria Magd: meruit visionem Angelicam?*

*Punctum 2dum. Mulier quid ploras? Domine si tu sustulisti eum &c.* Considera 1mo fervorem, & perseverantiam Mariæ Magdalenæ, quæ ad plura se obtulit quàm præstare posset: alijsq; recedentibus non recedebat. 2do. infinitam Christi charitatem qua peccatores conversos & flentes respicit. 3tio. in hortulani specie Christum apparuisse, vt hortum animæ olim peccatricis perfectiùs expurgaret. Disci-

pulis in via vt peregrinus apparuit: Magdalenæ in horto, vt hortulanus. quia Christus associat & assimilat se nobis bona agentibus. Ambula mecum o bone Iesu, donec perveniam ad domum Patris tui. Excole me & perfla Spiritu S. quousq; sum in horto Ecclesiæ terrestris vt in æternum comedas ex me fructum pomorum tuorum gratiarum tuarum. 4to. omnipotentiam Christi, qui vnico verbo huius mulieris intellectum & oculos illustravit, cor commutavit ac incomparabili lætitiâ replevit. O Rabboni, magister bone loquere & mihi vt anima mea liquefiat amore tui, sicut & Magdalenæ liquefacta est. Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me iustificationes tuas. O quando os ad os loqueris nobis! o quando palàm de Patre annuntiabis nobis!

## PRO FERIA VI.

### *De apparitione Christi Domini in monte Galilææ.*

*Mons iste est mons Thabor.*

PUnctum imum. *Abierunt discipuli ad Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus.* Matth: 28. Expende quàm liberaliter ac fideliter impleverit Dominus promissionem datam discipulis quod eum essent in Galilæa visuri. Convenerant au-

tem illuc vltra vndecim Apostolos plusquam quingenti fratres ad visionem hanc verè magnam. O quàm contenti, & quàm satiati omnes conspectu hoc! Mons Galilææ significat montem æternæ beatitudinis in quo Christus in specie, propria videndum se exhibet. O quando videbo! *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Experti sunt qui te in monte Galilææ viderunt & audierunt. Præcessit Christvs in Galilæam: sequemur, si viam quam trivit, viam crucis & mortificationis teneamus.

*Galilæa interpretatur trãsmigratio: & revelatio.*

*Punctum 2dum. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos.* Christus Dominus passione & morte sua meritoriè obtinuit potestatem in cælo & in terra, quam tamen potestatem ex vi vnionis personæ verbi habuit statim ab initio conceptionis suæ. Hanc potestatem convertit ad salutem generis humani, cum Apostolos ad totum mundum instruendum, baptizandum, sanandum & salvandum direxit. Etiam tu si es potestatem habens, vtere eâ non vt domineris, sed vt servias alijs: nec pro tuis commodis sed pro utilitate & salute eorum. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit.* Quàm

*Omnis potestas ad vtilitatẽ aliorũ dirigenda.*

felix es, qui ad fidem & baptiſmum vocatus es! Age gratias & cura, ac curare propone, vt fides tua nunquam ſit mortua, ſed vivat per charitatem & bona opera.

## PRO DIE SABBATI.

### *De apparitione Mariæ Magdalenæ: & Beatiſſimæ Virgini Matri.*

PUnctum imum. *Una Sabbati*, id eſt vna die *Maria Magdalene, mane venit ad monumentum, viditq; lapidem a monumento ſublatum.* Ioan: 20. Magdalene interpretatur *turrita* ſeu *munita. Ob ſedulitatem & ardorem fidei turritæ nomen accepit, & prima ante Apoſtolos Chriſtum videre meruit reſurgentem.* Eſto & tu ſedulus ac fervidus in rebus divinis: ardeat in te fides & charitas, vt ſis turritus ſeu munitus præſidio divino & angelico. Mane venit: vt & nos alacriter ad officia preceſq; matutinas ſurgamus: nec ſinamus matutinum tempus nobis inerter elabi. Lapis quem vidit, ſignificat legem, ſeu neceſſitatem moriendi, quia Chriſtus mortem noſtram moriendo deſtruxit. & quamvis etiam nunc morti ſumus obnoxij, mors tamen hæc non eſt perpetua ſed eſt potius ſomnus brevis & tranſitus ad immortalitatem. Age gratias: fervorem Mariæ Magdalenæ, propone imitari. Ora vt lapis mortali-

*Etymon Magdalenæ.*

*S. Hier: in epitaph: Marcellæ.*

*Lapis ſepulchri quid?*

tatis

tatis non ſit tibi onerosus præcipuè in hora mortis. Amoveat eum Chriſtus Dominus, vt dulciter anima tua ad eum videndum evolet.

*Punctum 2dum.* Ante omnes apparitiones Chriſtus Dominus vt primum reſurrexit, manifeſtavit ſe Matri ſuæ. Ait enim S. Ambroſius. *Vidit Maria reſurrectionem Domini: & prima vidit & credidit: vidit & Maria Magdalena quamvis ad huc iſta nutaret. Si mulieres quæ Dominū arctiùs amaverunt in tantum vt ab eius ſepulchro diſcipulis etiam recedentibus non recederent, primò viderunt Dominum in gloria reſurgentem.* vt ait S. Thomas: *certè eum primò ante omnia vidit Virgo Deipara vt pote quæ eum arctiſsimè ſupra omnes amavit.* Expende quomodo Salvator noſter Matrem ſuam ſalutaverit. Mulieres alios quibus apparuit, hoc verbo ſalutavit: *Avete.* Credibile eſt quod & Matrem ſuam ſic ſalutaverit: *Ave Mater mea.* vel vt meditatur S. Bonaventura: *Salve Sancta parens.* Ad verba ſalutationis adiecit alia plena dulcedinis, e.g. hæc: *Secundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo conſolationes meæ lætificent animam tuam.* Expende item qualiter Sanctiſſima Mater filium ſuum glorioſum adorarit: quo mentis gaudio & exceſſu in verba amoris plena proruperit:

*Lib: 3. de Virginibus longè ante mediū.*

rit:

rit: *Dominus meus. Deus meus. Filius meus!* quomodo osculata sit pedum, manuum, & suavissimi lateris cicatrices: quales egerit gratias pro omnibus quæcunq; pati voluit causâ salutis nostræ.

*Punctum 3tium.* Expende demum quo affectu salutavit omnes, Patriarchas, Prophetas, reges iustosq; omnes Christo Domino associatos: quomodo agnovit & salutavit suos progenitores, omnesq; prophetas qui de sua Virginitate & Maternitate divina prophetabant: qualiter vniversis felicitatem æterni gaudij gratulata est: quomodo deniq; oravit Christum Dominum, vt se etiam alijs mulieribus afflictis discipulisq; ad consolationem eorum iuxta promissum suum manifestaret. Gratulare Matri Virgini. Elice affectus similes. Pete vt tibi impetret resurrectionem à vitijs: veram lætitiam internam: amorem divinum. Tesseram aliquam ex assignatis die Dominico, in ore & corde frequentiùs habeto.

# MEDITATIONES.

## Ad pacem cordis disponentes.

## PRO DOMINICA in ALBIS

*Christus serò venit: idem in medio.*

PUnctum 1mum. *Cum esset serò die illo.*

Ioan:

Ioan: 20. Serò venit IESUS: vt discas constans & perseverans esse in orationibus ac bonis operibus. Si Christus non venit ad te mane & initio orationis aut tribulationis; veniet serò, & absentiam suam copiosiori lætitiâ & gratiâ compensabit. Noli ergo desperare: noli nimium deijci; quia veniens veniet & vltra non tardabit. Serò venit vt crescant desideria tua ad ipsum; vt crescat fides, spes, charitas tua erga ipsum. Si moram fecerit, ora ampliùs & ferventiùs: noli dormitare, noli pigritare cum virginibus fatuis; nam ex improviso aderit. *Serò venit*: quia in vespera, in occasu vitæ nostræ veniet ad nos, nosq; ad æternam pacem, si vigilaverimus in fide & charitate, ac bonis operibus & statûs nostri officijs, accipiet.

*Quare Christus Dominus serò venit?*

*Punctum 2dum. Stetit in medio eorum.* Ioan: 20. Si tu non fueris in medio aliorum fratrum: nec Iesus erit in medio tui. Sta in medio aliorum: sta in medio actionum & affectuum tuorum, hoc est, in omnibus esto moderatus, non excedas in esu, potu, dormitione, passione aliqua: deniq; medium teneto in omnibus; erit Iesus in medio cordis tui. *Stetit in medio* discipulorum Iesus tanquam sol in medio cæli, circumquaq; radios diffundens: tanquam

quam cor in medio corporis totum corpus & omnia membra vivificans: tanquam centrum in medio vniversi omnes ipsius partes sustinens & sustentans. O dulcis Iesu ecce me tibi aperio & offero vt stes in medio mei! lux mea illumina serena accende me totum? O cor meum! vivifica me totum à te vita mea, à te motus meus omnis & per te fiat! O centrum meum ad te feror, & ferar semper!

*Punctum 3tium. Pax vobis.* Considera qualem pacem precatus sit & obtulerit discipulis Christus, scilicet pacem cordis quæ in eo consistit, vt appetitus sensitivus seu caro nostra convenjat cum ratione, ratio cum lege divina. Talis pax inter omnes persecutiones illæsa manet. vis eam habere? Dilige Dominum Deum tuum & mandata eius custodi: pax enim est fructus charitatis divinæ: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Sed hanc id est charitatem Dei non habebis, nisi & proximum sicut te ipsum dilexeris. Virtus in qua te per septimanam peculiari modo exercites: pax cordis, propositum: sensus externos per quos pax cordis violari solet, custodiendi. Tesseræ eiaculatoriæ:

Benignissime, suavissime, serenissime, mitissime, cui in pace locus: pacem tuam da nobis; pax tua possideat corda & intelli-

telligentias nostras!

Exultatio mea Christe IESU sta in medio cordis mei & dic: pax vobis, vt sit pax corpori meo cum anima, animæ cum Deo mihi cum hominibus.

Requiescat in te, Deus meus anima mea: contempletur te in mentis excessu: cantet laudes tuas in iubilatione S. Aug.

## PRO FERIA II.

### *Christus securitatis & pacis cum Spiritu S. largitor.*

PUnctum 1mum. *Ego sum*, ait Christus quod propriè Deo convenit, nam creaturæ non habent esse nisi per participationem à Deo. Ego sum, qui sum pro vobis crucifixus. en manus perforatæ! en latus apertum! Ego sum primus & novissimus: & vivus: fui mortuus & ecce sum vivens in sæcula sæculorum: & habeo claves mortis & inferni. Aperui portas mortis & inferni: & non solum ipse inter mortuos liber, exivi non videns corruptionem; sed etiam captivam eduxi captivitatem. Ego sum Deus & homo: per humanitatem cecidi in mortem; per divinitatem resurrexi.

*Lucæ 24.*

*Punctum 2dum. Nolite timere.* Vide fructum Passionis Domini! qui bella sustinuit pro nobis, pacem attulit nobis. Qui nuper

*Timor abjiciendus.*

nuper pavebat pro nobis, metum iam à nobis propulsat: pavor ipsius in nostram mutatus securitatem. *Nolite timere.* Timor pellitur vbi Deus est. Deus enim est charitas: & charitas foras pellit timorem. *Nolite timere: Et in lege veteri & in nova testamento hoc semper observandum est, quod quando augustior apparuerit visio aliqua, primum timor pellitur, vt sic mente pacatâ possint quæ dicuntur audiri.* Disce meticulositatem abijcere, hæc enim præter alia mala impedit contemplationem: distrahit mentem in oratione: & voluntatem non sinit in affectus pios elevari. Quid verò iam timeamus? non diabolum; quia eum Christus vicit: arma eius diripuit; hoc est membra quæ antea serviebãt iniquitati; fecit servire iustitiæ. spolia accepit: hoc est, omnes iustos eduxit ab inferis. Non mortem; quia eam moriendo destruxit. Non mundum; quia principem eius, hoc est, diabolum eiecit foras, foras ex Ecclesia, foras ex cordibus nostris. Sub tam potente victore quid timeamus?

S. Hieron.

*Punctum 3tium. Pax vobis. Accipite Spiritum S.* Ioann: 20. Ad recipiendum Spiritum S. pax interior disponit. Non potes hunc accipere nisi pacem habeas, pacem cum Deo per mandatorum ipsius observationem: pacem cum proximo per con-

*Pax disponit ad receptionem Spiritûs S.*

concordiam & defectuum eius supportationem: pacem cum te ipso per affectuum & passionum mortificationem. Habitâ verò pace hac Spiritum S. cum plenitudine donorum & fructuum suorum recipies. Ora Iesum Christum per suam passionem vt cum pace sua ad te veniat, ac Spiritum S. cum donis & fructibus suis tibi impertiat.

Colloquiū.

Appare mihi delectatio mea, Cythara mea, iucunditas cordis mei: appare mihi Christe Iesu potens in resurrectione humilis in passione. Dic: pax tibi. ego sum. noli timere. Pone dexteram tuam super me totum trementem ob peccata mea. Fugiat timor & pavor. Diffunde charitatem tuam in corde meo per Spiritum S. tuum vt foras pellatur timor ex animo meo; inhabitet verò in me gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas cum alijs fructibus & donis eiusdem.

## PRO FERIA III.
### *De impedimentis pacis.*

PUnctum 1mum. *Venit Iesus ianuis clausis & dixit: Pax vobis.* Ioann: 20. Quare Iesus per ianuas clausas pacem discipulis importavit? 1mo. vt ostenderet corporis gloriosi subtilitatem. 2do vt ostenderet, pacem interiorem ibi solùm esse vbi clausi sunt sensus, ne recipiant

*Impedimẽta pacis internæ.*

phantaſmata & imagines rerum varias, eaſq; ad mentem tranſmittant: vbi item clauſum eſt cor à paſſionibus. Impedimenta ergo pacis divinæ ſunt: ſenſuum evagatio, & per conſequens imaginatio & recogitatio obiectorum per ſenſus menti impreſſorum: nec non paſſionum irrefrænatio.

*Senſuum evagatio, Imaginatio.*

*Totum & maximum impedimentum pacis internæ eſt, quia non ſumus à paſſionibus & concupiſcentijs liberi: nec perfectam Sanctorum viam conamur ingredi.* ait Thomas à Kempis. Pone Domine cuſtodiam ſenſibus & cordi meo: & oſtium circumſtantiæ labijs atquè oculis meis; vt non declinet cor meum ad ea quæ paci internæ contraria ſunt, eamq; aut impediunt aut tollunt.

*Paſſionũ irrefrænatio. lib: 1. c. 11.*

*Punctum 2dum.* Clauſi erant diſcipuli quando venit ad illos Ieſus. In oratione & ſilentio in ſua ſe continebant clauſura. *Et tu claude ſuper te oſtium tuum, & voca ad te Ieſum dilectum tuum. Mane cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem. Ama ſolitudinem, orationem, ſilentium:* Cave curioſam alienorum morum & operum inveſtigationem. *Quomodo poteſt,* ait idem, *diu in pace manere, qui alienis ſe curis intermiſcet: occaſiones forinſecus quærit, quia parum vel raro ſe intrinſecus colligit.* Claude

*Item impedimentũ pacis, evagatio externa & curioſitas.*

ergo

ergo ſuper te oſtium: in cubiculo cum Apoſtolis & MARIA Matre IESU ſuſpira, & meditare de paſſione & reſurrectione Domini: aderit IESUS & te ſuaviſſimè alloquetur: Pax tibi. monſtrabit manuum & pedum glorioſas cicatrices: monſtrabit latus apertum: & te ad hoc amoris conclave dulciter invitabit.

*Colloquium.* O itaq; pax mea, ſuavitas mea, Chriſte IESU! abſconde me in abſcondito tabernaculi tui à conturbatione hominum, à tumultu paſſionum mearum, & ab omnibus quæ me inquietare poſſent atq; animum meum à te diſtrahere. Tibi ſoli vacem: in te repauſem: vt omnis cogitatio mea tibi confiteatur, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agant tibi; vt ſivè cogito tibi cogitem: ſive cogitatione ferior, tibi ferier, & quoddam feſtum mentis tibi, non mihi agam. Sic clauſo, ſic vacanti orire mihi ſol iuſtitiæ! appare mihi lux mea, dulcedo mea, virtus mea, gloria mea! O quando te videbo? ò quando vulnera tua ſplendore immenſo fulgentia contemplabor!

## PRO FERIA IV.

*Bonitas Chriſti erga Thomam Thomæ ardor, erga Chriſtum: & cur Chriſtus Dñus retinuit cicatrices?*

PUnctum imum. *Thomas cum eis.* Ioan: 20. Incredulitas Thomæ inde; quia se absentavit à congregatione aliorum Apostolorum. Vide quantorum malorum occasio singularitas; si nimirum tædiosa sit tibi vita in conventu: si ad communia officia non convoles: si ad communes preces non surgas. Correxit errorem Thomas veniens ad communitatem meruit videre Iesum, corrige & tu vt similem gratiam merearis. Dixit IESUS Thomæ: *Mitte manum tuam in latus meum & noli esse incredulus sed fidelis.* O mira svavitas bonitasq; Salvatoris! incredulum discipulum non reijcit sed benignè invitat ad palpanda loca vulnerum suorum. Quoties & tibi offert se ipsum palpandum imò & manducandum in Sacra Eucharistia! Age gratias. Ora vt semper cum summa reverentia, fide viva, & charitate flagrantissima ipsum attingas & palpes.

*Punctum 2dum.* Fecit Christus quod Thomas optaverat, qui dicebat. *Nisi misero manum meam in latus eius: & nisi videro fixuram clavorum in manibus eius, non credam.* Monstravit ei & fixuram clavorum & in latus mittendi manum, facultatem dedit. Thomas *timens Deum* interpretatur. Si tu fueris timens Deum faciet ipse voluntatem tuam. *Dominus meus &*

*Deus*

*Deus meus!* Quo putas amore exarſit Thomas ſic exclamando? exardeſce & tu & dic: Dominus meus & Deus meus. Dominus per humanitatem: Deus per divinitatem! crede factam Chriſti Domini reſurrectionem: crede & tuam futuram. Ora vt in gloriam Ieſu Chriſti reſurgas.

*Punctum 3tium.* Expende cauſas ob quas voluit Chriſtus Dominus cicatrices vulnerum in reſurrectione ſua retinere. 1ma eſt vt ſecundùm Bedam, perpetuum victoriæ ſuæ circumferret trophæum. Unde etiam *fortaſſe in regno cæleſti in corporibus martyrum cicatrices videbimus vulnerum, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit & quædam pulchritudo virtutis.* 2da eſt vt confirmaret corda diſcipulorum circa fidem ſuæ reſurrectionis. 3tia: vt Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtenderet. 4ta: vt ſua morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adiuti propoſitis eiuſdem mortis indicijs inſinuaret. 5ta: vt in iudicio quàm iuſtè damnentur reprobi, demonſtraret. Adora & exoſculare ſingulas Chriſti Domini cicatrices: & ora vt tibi ſint in ſalutem æternam & non in damnationẽ.

*Super Lucam.*

*S. Auguſt: 22. de civitate Dei cap: 20.*

*Has omnes rationes habet Beda ſuper Lucam & S. Thomas 3. p.*

## PRO FERIA V.

### *Pax cordis apud quos homines? etiam in tribulationibus conservanda.*

*Bona voluntas quæ? & quotuplex?*

PUnctum 1mum. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Non omnibus hominibus pax interior offertur sed solis bonæ voluntatis: bona voluntas autem est quæ regulatur voluntate divina, hoc est, quæ illud vult quod Deus vult. Tres porro sunt species bonæ voluntatis: vna est simpliciter bona, altera beneplacens, tertia perfecta. 1ma. Incipientium, 2da proficientium, 3tia perfectorum. 1ma recedit à malo, 2da operatur bonum, 3tia firmissimè adhæret Deo. 1ma bona, 2da melior, 3tia optima. Unicuiq; voluntati correspondet sua pax. Maiorem namq; & delectabiliorem pacem habent proficientes quam incipientes; & perfecti quàm proficientes. Expende quo sis in gradu & quam voluntatē habeas: & an pace internâ fruaris; an verò passionibus & perturbationibus agiteris? convenientes affectus elice.

*Punctum 2dum.* E contra *non est pax impijs.* Quare? quia cor eorum sicut mare fervens vel concupiscentijs, vel irâ, vel invidiâ, aut passionibus alijs tanquam flu-

ctibus

ctibus turbatur. Percurre hic exempla quæ tibi occurrere possunt eorum qui in sua prosperitate & affluentia bonorum, pacem non habuerunt: vt Aman qui horrendè cruciabatur ex Mardochæi honore: vt Antiochus, qui adversus Iudæos, vt Herodes qui adversus Christum furebat. Exhorrescis eiusmodi motibus agitari? desideras pacem internam cura ergo bonam voluntatem habere: bonam ad Deum, bonam ad teipsum, bonam ad proximum. Pete à Deo per merita Christi Domini bonam voluntatem: pete studium perfectionis & vnionem cum Dei voluntate, vt pacem cordis obtineas.

*Punctum 3tium.* Etiam in afflictione pax cordis retinenda. Quare Christus post resurrectionem comedit oblatum sibi piscem assum, & favum mellis? Piscis assus, est Christus passus: qui capi voluit laqueo mortis & tribulatione passionis assari. Favus mellis est mel in cera: & significat duplicem Christi naturam, divinam & humanam quasi enim mel in cera divinitas in humanitate, significat quoq; Eucharistiam? quasi enim mel in cera, Christus in specie panis aut vini. significat etiam dulcedinem mentis in carne afflicta. Comedit ergo piscem Christus cum favo mellis vt ostenderet quod cum sua humanitas

*Piscis assus Christ9 passus.*

*Favi mellei significata.*

pateretur, divinitas non mutabatur. Sed in pace & dulcedine increata manebat: & quòd quando species in Eucharistia alterantur aut franguntur, non alteratur corpus Christi Domini, sed immutabiliter dulcedine æternæ gloriæ perfunditur: & quod Christus in sua passione non cõmovebatur nec erat amarulentus adversùs persecutores sed æquanimis & suavis. Per quod instruimur, vt quando vritur tribulatione & quasi assatur caro nostra & appetitus sensitivus, non turbetur appetitus rationalis, sed potius pacatus & dulcis maneat.

O Iesu saturate opprobrijs & crudelium tormentorum bolis: cum micas mihi porrigis de pisce asso hoc est de tribulationibus, porrige & stillam mellis, atq; omnes amaritudines seu in vita mihi occurrentes seu in morte occursuras dulcora. Dulcedo cordium IESU quoties me sinis angustiari cogitem à te mihi missas de mensa tua reliquias. O IESU cibus meus Eucharisticus, ita te semper comedam, vt fias mihi olim favus mellis in corporum nostrorum resurrectione, qui fuisti piscis assus in tua passione.

## PRO FERIA VI.

### *Qualiter Christus pacem nobis conciliavit?*

Pun-

*Punctum 1mum. Complacitum est Patri per eum reconciliare cuncta in ipsum: & pacificare omnia per sanguinem crucis eius, sive quæ super terram sunt sive quæ in cælis.* ad Coloss. 1. Reconciliatio inimicitiam, pacificatio bellum fuisse declarat. Quinq; hic sunt consideranda. 1mo. quia sumus reconciliati & pacificati. 2do. quia pacificati cum Deo. 3tio. quia per Iesum Christum filium eius. 4to. quia per sanguinem eius. 5to. quia non simpliciter per sanguinem, sed per sanguinem crucis eius. Vide quantum bonum est pax, quia eius ipse Christus author & dator: quia sanguine suo eam comparavit, & non qualicunq; effusione sanguinis, sed tam copiosâ, inter tanta tormenta, & in tam immani mortis supplicio; quia item & in cælis & in terra desiderabilis. Age grates Christo Domino quod te in gratiam & pacem cum Deo adduxerit. Cave ne vnquam post talem reconciliationem fias Dei inimicus.

*Quinq; consideranda secundùm D. Chrysostomũ in epi: ad Coloss.*

*Punctum 2dum.* In terris omnia pacificavit Christus. Quia enim & à Deo & à se ipso (per rebellionem carnis adversus spiritum) & ab alijs dissidebat homo, & præcipuè quia Iudæi à gentibus & è contra dissidebant: pacificavit nos Christus cum Deo per gratiam sanctificantem

quam nobis passione sua promeruit: pacificavit nos in nobis ipsis morte sua mortificando nostram concupiscentiam, vt non possit ita dominari in membris nostris, sicut dominabatur ante passionem Domini. Pacificavit nos cum alijs hominibus & nominatim Gentiles cum Iudæis, Iudæos cum gentilibus; quia fecit ex illis vnam Ecclesiam graves illas inimicitias, quas secum ducebant in cruce interficiendo & medium parietem maceriæ, hoc est, legem Mosaicam nimis onerosam, quæ inter Iudæos & gentes dividebat tollendo iuxta Apostolum ad Ephesios 2do.

*Punctum 3tium.* Et quæ in cœlis sunt pacificavit Christus. Nam quemadmodum interris vnam Ecclesiam condidit in semetipso ex Iudæis & gentibus: ita in cælo ex Angelis & hominibus. Unde S. Augustinus lib: 12. de Civitate Dei dicit. *Non erunt duæ societates Angelorum & hominum, sed vna.* Et tanta quidem societas erit quod homines secundùm varios gradus meritorum assumentur ad ordines & gradus varios Angelorum. Etiam inter seipsos Christus bonos Angelos pacificavit. Quia enim ignari dispositionis divinæ de hominibus diversorum meritorum resistebant sibipsis (vt videre est Danielis 10. vbi Gabrieli volenti liberare ex

Perside captivos Iudæos restitit Angelus Princeps regni Persarum) quæ resistentia in eo fuit, quod suspendebant executionem alicuius ministerij, donec revelaretur illis voluntas Dei: ideo passionis & mortis suæ merito notam fecit illis voluntatem Dei circa quosvis homines: & sic eos inter se pacificavit. Devotus esto ad passionem Domini, quæ homines Angelis associat.

## PRO DIE SABBATI.

### *De pace cum alijs habenda.*

P*Unctum unum.* Pacem cordis habere non potest, qui cum alijs pacificus non est. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Qui verò dissidia faciunt filij sunt diaboli. In Ecclesijs pacem, in precationibus, in supplicationibus, in præfationibus pacem oramus & precamur nobis: quanta maledictio nos manet, si nihilominus odia & dissensiones foveamus inter nos. *Heu me* (Divus Chrysostomus) *quæ veneranda & suscipienda in Ecclesia, schemata, id est: signa rerum duntaxat facta sunt, & nulla adest veritas.*

*Punctum 2dum.* Considera quantum malum sit cum alijs pacificum non esse, sed contentiones & iurgia excitare. Christus Dominus ad hoc venit in terram vt pacificaret omnia; tu pacis inimicus es,

Christo itaq; manifestè adversaris. Item Corpus Christi Domini laceras in membra multa, maius autem hoc malum est, qàm illud clavis perforare aut concidere. Item superas malitiam crucifixorum qui non sciderunt tunicam Christi: tu autem scindis quando pacem cum alijs & vnitatem violas.

*S. Chrysost: in epistol: ad Coloss.*

*Punctum 3tium.* Sume tibi pro exemplo Virginem Beatissimam, in qua expressa habemus magisteria probitatis. *Quando ista vel vultu læsit parentes, quando dissensit à propinquis, quando fastidivit humilem, quando derisit debilem, quando vitavit inopem.* Tu contra qualis es ad parentes tuos, ad superiores tuos, ad propinquos seu fratres tuos: qualis ad inferiores tuos? qualis ad simpliciores & vt putas ad abiectiores? sannis, contemptu, explosione eos forsitan afficis. Amor & pax cum omnibus proximis, præcipuè cum fratribus. Oratio ad Virginem Beatissimam, pro pace semper habenda cum fratribus omnibusq; hominibus vt ipsa tibi eam à filio suo impetret. Tessera vt supra per diem repetenda.

# MEDITATIONES
## De amore proximi & zelo animarum.

### PRO DOMINICA II. post Pascha.
### *Christus bonus Pastor: & quæ officia boni pastoris?*

PUnctum 1mum. *Ego sum pastor bonus.* In vno pastore docet vnitatem: *quia omnes cæteri membra illius sunt, & ipse est pastor pastorum: & oves cum pastoribus sunt sub vno Pastore.* Si omnes sub vno Pastore Christo sumus, vnus alterum non debet despicere. Christus bonus erga nos: cur nos mali adversus ipsum? cur mali adinvicem? Ama Christum Dominum, ama & oviculas eius fideles omnes, proximos omnes. Unus Christus: & nos simus vnum cum ipso eiusq; membris. *Amemus vnitatem & timeamus separationem. Nihil sic debet timere christianus quam separari à corpore Christi.* Qui enim separatur à Christo & membris eius, non vegetatur spiritu eius: ideoq; non habet vitam spiritualem in se manentem.

*S. August. tract. 27. in Ioann.*

*Idem.*

P*unctum 2dum.* Officia Pastoris boni sunt pascere oves verbo salutari, anteire ipsas exemplis & operibus bonis, vt eundem rectè vivendi tramitem teneant: tu-

tari ipsas ab infestatione luporum, hoc est dæmonum vel hominum perversorum: ad extremum si ita necesse est animam pro ipsis ponere. Ad hoc vltimum præcipuè obligantur Prælati & Parochi qui propriè pastores dicuntur. *Salus multitudinis præferenda est paci cuiusvis singularis hominis.* In quocunq; ergo honore & præeminentia maneas, præstat te, quàm gregem tuum periclitari. Redi in te ipsum & recogita, an pascebas alios salutaribus verbis, an verò erubescebas spiritualia inter sæculares loqui? an ædificabas alios bonis, an verò scandalizabas malis operibus?

*S. Thomas p. 3. q. 42. art. 2.*

Propositum: verba salutaria inter sæculares proferendi. Virtus: Amor proximi: & zelus animarum. Tesseræ replicandæ per septimanam.

Dulcissime, amabilissime, serenissime Iesu, da mihi diligere te super omnia & proximum sicut me ipsum.

Bone Pastor panis vere. Iesu nostri miserere. Tu nos pasce nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.

## PRO FERIA II.

### *De præcepto dilectionis proximi, & de duplicibus actibus eiusdem.*

PUnctum imum. Quatuor à nobis diligenda charitate divina: Deus, nos ipsi,

ipſi, proximus, & corpus noſtrum. Deus, tanquam principium boni, in cuius communicatione charitas fundatur: nosipſi ſecundùm animam, tanquam ſecundum hanc fruituri ſummo bono: proximus tanquam nobis conſociandus in æterna beatitudine: corpus tanquam particeps futurum beatitudinis per redundantiam ex anima. Deum ſuper omnia tenemur diligere, quia eſt ſupremum bonum: nos ipſos debemus diligere poſt Deum, & quidem prius ac magis quàm quemcunq; alium. Dilectio enim ſui ipſius eſt exemplar dilectionis proximi; exemplar autem potius eſt & prius quam id quod efformatur iuxta exemplar. Proximum debemus diligere ſicut nos non æquali ſed ſimili dilectione. Corpus debemus diligere poſt proximum & minus quàm proximum. Nam non participabit nobiſcum plenè æternam beatitudinem ſicut proximus, ſed tantùm ex anima in illud gloria & incorruptio beata derivabitur. Expende hic quanta ſit obligatio diligendi proximum, ſi eum ſicut nos ipſos imò plus quàm corpus noſtrum diligere obligamur. Itane proximum diligis?

*Punctum 2dum.* Proximus noſter ille eſt qui ſecundùm naturam quam nobiſcum communem habet, portat imaginem Dei,

eſtq;

estq; æternæ beatitudinis ac beneficiorum ad eam pertinentium capax. Hos igitur diligimus ex charitate tanquam proximos nostros, quos ideo diligimus quia portant imaginem Dei, & quia nobis in æterna beatitate sunt coniungendi. Expende quod in generalitate qua omnes homines obligamur ex præcepto diligere, etiam peccatores & inimici nostri comprehendantur. Omnes enim in communi tenemur diligere, neminem excipiendo: imo etiam in particulari secundùm præparationem animi; vt scilicet animum paratum habeamus cuivis etiam inimico & peccatori (non tamen qua inimico aut peccatori, talis enim dilectio perversa esset & repugnans charitati) in articulo necessitatis specialia signa dilectionis exhibere, eiusq; necessitati succurrere. Vide num implebas præceptum dilectionis proximi?

P*unctum 3tium*. Duplici modo seu per duplices actus proximus à nobis diligendus, per positivos & negativos. Positivi sunt, amare hoc est affectum bonum habere, consulere, subvenire, docere, ædificare. Multi sunt qui amant verbis sed non consulunt non opitulantur. Examina te an hos gradus charitatis in te habeas. Negativi sunt: non iudicare alterum, non detrahere, non invidere, non convitia-

vitiari, non ſcandalizare, Ad poſteriores actus charitatis ſemper adſtringimur: ad priores autem non niſi in caſu neceſſitatis proximi, lex cogit. Qui tamen ſumus in ſtatu perfectionis, etiam ad priores non expectatâ vrgenti neceſſitate proximi ſtringimur. Ad perfectionem enim ſpectat, inimicis etiam extra neceſſitatis gravioris caſum, benevolentiam & beneficentiam teſtari. Examina te ipſum & congruentes affectus elice. Virtus. Propoſitum, Teſſera per diem replicanda vt heri.

## PRO FERIA III.

### *Qualis debeat eſſe dilectio proximi? & de fructibus eiuſdem.*

PUnctum unum. Conſidera 1mo. quod dilectio proximi plenitudo legis ſit. Qui diligit fratrem, legem implevit ait Sanctus Ioannes. Qui enim diligit proximum ſinè dubio diligit & Deum. Una namq; & eadem charitas eſt qua diligimus Deum propter ſe; & proximum propter Deum. *Amor enim non debetur proximo niſi ſecundùm id quod habet à Deo id eſt ſecundùm naturam & gratiam non autem debetur ei ſecundùm id quod habet à ſe ipſo & diabolo, id eſt ſecundùm peccatum & defectum iuſtitiæ.* Conſidera 2do. quod dilectio proximi non debeat eſſe verbalis tantùm,

*Una & eadem charitas eſt erga Deũ & erga proximũ.*

*2. 2. q. 34 art: 3.*

sterilis, & in solo sistens affectu, sed in beneficentiæ opera, tam carnalia quàm spiritualia debeat prodire iuxta illud: *Filioli non diligamus verbo aut sermone sed opere & veritate.* Debemus enim diligere proximum sicuti nos ipsos, hoc est, vt explicat ipse Christus Dominus, quæcunq; volumus vt nobis faciant homines, eadem & nos illis facere tenemur.

*Punctum 2dum.* Expende fructus dilectionis proximi qui sunt: gaudium, pax, patientia, mansvetudo, bonitas, benignitas, &c. Quem amamus amore carnali gaudemus de eius præsentia, pacem cum eo habemus, patientes mansvetiq; sumus erga ipsum, nec facile ipsi etiam provocati irascimur, boni & benigni sumus erga ipsum. Si hæc vis in amore animali, quanto maior in amore spirituali. Exerce te in amore proximi: & in brevi Spiritum Sanctum cum choro fructuum suorum in corde tuo habitare experieris. Propositum cum affectibus convenientibus. Tessera ex die Dominico.

## PRO FFRIA IV.
### *De ordine charitatis.*

Cant: 1. PUnctum 1mum. *Ordinavit in me charitatem.* ait Sponsa. Quia in Ecclesia & in vno quoq; fideli ordinata esse debet

chari-

charitas. Ordo autem charitatis iste est, vt diligamus Deum super omnia; nos ipsos post Deum; proximum deinde sicut nos ipsos, inter proximos autem illos prius & magis diligamus, qui sunt nobis coniunctiores, vel secundùm naturalem originem, vt consanguinei, vel secundùm communionem civilem, vt concives; vel secundùm contubernium bellicum, vt commilitones; vel secundùm officium Pastorale vt Parochiani aut subditi; vel secundum professionem eiusdem vitæ regularis, vt religiosi confratres. Extrema tamen necessitas extranei semper præferenda est, & potius sublevanda, quàm coniunctioris personæ non tanta necessitas. *Deus & Pater noster & Dominus Iesus Christus abundare faciat charitatem nostram in invicem & in omnes.* 1. ad Tessal: 3.

*Ordo charitatis in quo consistit.*

*Extrema necessitas alicuius potissimùm attendenda.*

*Punctum 2dum.* Rumina testimonia sacræ Scripturæ & SS. Patrum. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.* 1. ad Timot. 5. S. August: scribit: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.* S. Thomas ait. *Gratia & virtus imitantur ordinem naturæ, qui est ex divina*

*De doctrina Christiana.*

*2. 2. de charitate.*

*sapientia institutus; est autem talis ordo naturæ, vt omne agens per prius magis diffundat actionem suam ad ea quæ sunt propinquiora, sicut ignis magis calefacit rem propinquiorem: & Deus in substantias propinquiores sibi magis & copiosius dona suæ bonitatis diffundit.* Exhibitio porro beneficiorum est quædam actio charitatis in alios: & ideo oportet, quòd ad magis propinquos simus magis benefici.

*Cur pauperib9 qui nobis sunt coniunctiores debeamus esse magis benefici?*

*S. Thomas.*

*Punctum 3tium. Quia bonum commune multum divinius est, quam bonum vnius:* ideo potius & magis debemus iuvare personas publicas extraneas pro bono communi reipublicæ vel spiritualis vel temporalis laborantes, quàm personas privatas nobis secundum carnem coniunctas. Hic etiam perpende religiosos post professionem esse coniunctiores suæ religioni quàm consanguinitati. Sicut enim maior est coniunctio viri cum vxore, quàm cum Patre & Matre iuxta illud. *Relinquet homo Patrem & Matrem suam & adhærebit vxori suæ*; ita maior est coniunctio religiosi cum religione quàm cum consanguinitate. Ora Deum vt det tibi ordinatissimam charitatem. Propositum cum suavitate & alacritate fratribus inserviendi. Tessera ex die Dominico.

*Personæ publicæ potius sublevandæ quàm nobis secundùm carnem coniunctæ.*

*Item potius religio sua sublevanda quàm cõsangvinitas.*

PRO

## PRO FERIA V.

### *De triplici pascua ovibus suis à Christo provisa.*

PUnctum 1mum. *Ego sum Pastor bonus.* Verè bonus quia oves suas admirabili bonitate pascit, vt vna quæq; ovicula eius cantare possit: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Triplex autē est pascua hominis, secūdùm triplicem statum eiusdem: Naturæ, gratiæ, gloriæ. Pascua naturæ est alimentum omne, quo vita nostra animalis conservatur. Pascua gratiæ est verbum Dei, & omnis Scriptura Sacra audita vel lecta, quâ scilicet benè ruminata nutritur, roboratur, & crescit interior homo in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Sunt item Sacramenta, præcipuè vero Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum. Pascua gloriæ est æterna beatitudo.

*Punctum 2dum.* Expende quàm abundè nobis providet divina bonitas de triplici hac pascua. In vsum naturæ contulit nobis vniversum mundum: videlicet terram cum germinibus & iumentis, áërem cum avibus; aquam cum piscibus. In vsum gratiæ multò maiora & præstantiora dedit pabula: scilicet totam Sacram scripturam, sanctissimam vitam suam, seq; ipsum in

escam spiritualem nobis præbuit; quid maius, quid nobilius dare poterat? *Quis pastor oves proprio pascit cruore. & quid dico pastor, multæ matres sunt quæ post partûs dolores filios alijs tradunt nutricibus; hoc autem ipse non est passus, sed ipse pascit nos proprio sanguine.* In vsum gloriæ conferet se ipsum in Trinitate perfecta vnum Deum. Quidquid dulce quidquid delectabile, quidquid appetibile mens elevata cogitare potest, totum id in pascua cælesti habebimus. Eodem pane ijsdem pascuis vivimus, ad vnam mensam accumbimus, in eodem regno & felicitate consociandi: crescere igitur & proficere debemus in mutua dilectione. Et si Christus ita nos habet sicut oviculas suas, ita amat, ita pascit: qua veneratione & amore nos ad invicem tenemur prosequi. Amor Christi. Gratiarum actio. Amor proximi, præcipuè verò fratrum religione aut sacra initiatione coniunctiorum. Propositum & Tessera per diem repetenda ex die Dominico sumatur.

*S. Chryso.*

## PRO FERIA VI.

### *Quæ causa tanti amoris Christi ad oves suas.*

PUnctum imum. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Fecit quod dixit, ani-

animam suam, hoc est, vitam suam posuit. quo & quali modo, breviter recogita. Pro ovibus suis & singillatim pro te. Hîc considera tantum fuisse Christi Domini amorem erga oves suas, quòd etiam pro vnica paratus erat mortem subire, vt revelavit Beatæ Baptistæ Veronæ. Quare autem? in causa est bonitas Christi IESU: in causa item est gravitas captivitatis diabolicæ, & damnationis æternæ, à qua morte sua pro singulis singulariter eam subeundo Christus Salvator vellet omnes eripere. Ggratias age: propone redamare: pete vt sis de ovibus Christi.

*Punctum 2dum.* Amoris tanti ad oves suas causa item est nobilitas animæ humanæ, quæ tanta est, vt solus Iesus eam possit intelligere iuxta revelationem factam Beatæ Veronæ. Heu quod tam parum nobilitatem animæ attendimus, quam Deus tanti æstimavit, vt vnigenitum suum pro ea dederit: quam diabolus tanti reputat, vt pro ea totum mundum offerret. *Anima cuiusq; etiam vilissimi rustici iuxta sanam Philosophiam in sua essentia tam est perfecta, quam Aristotelis aut ipsius Magni Alexandri, alteriusvè excultissimi & nobilissimi Principis.* Qualiter ergo debemus vnum quemquè ex proximis æstimare venerari amare.

*Teretius in præfatione Idiotæ.*

*Punctum 3tium.* Multi sunt qui desi-

derant occasionem excellentes & extraordinarios actus charitatis proximi exercendi, animamq; suam ponendi pro proximo; & levia ministeria ac refrigeria denegant, aut certè cum rancore & indignatione præstant fratribus: magnas cruces portare proponunt: minimas & ordinarias in convictu cum alijs horrent; hi certè decipiuntur, prompti in imaginatione, ignavi in executione. Tu qualis es, ad oves tuas? ad fratres tuos? ad proximos tuos? Quam vberem materiam meritorum habes domi, quia habes occasionem ad serviendum fratribus in suavitate & gaudio spiritûs, ad supportandos ipsorum defectus, & ad similia; & tamen forsitan alias merendi occasiones forinsecus optas & quæris vano fortasse aut mendaci voto. Affectus convenientes cum proposito ministrandi necessitatibus fratrũ eliciantur. Tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *De zelo animarum.*

*Albertus M. in lib: de adhærẽdo Deo.*

PUnctum imnm. Zelus animarum verus est quando aliquis sanctis meditationibus ferventibus desiderijs, lachrymis, orationibus, vigilijs, jeiunijs, prædicationibus, confessionibus consilijs, doctrinis, visitationibus infirmorum, atq;

alijs

alijs operibus bonis pro salute animarum laborat. Expende testimonia Sanctorum Patrum de hac virtute. Beda ait: *Quæ nam sublimior & Deo gratior conversatio esse potest, quam eorum, qui quotidiano exercitio alios ad auctoris sui gratiam student convertere, & crebra animarum fidelium acquisitione gaudium cælestis patriæ semper augere.* Gregorius super Ezechielem: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium quale est zelus animarum, & hoc propter imaginem Trinitatis impressam animabus.*

*Punctum 2dum.* Inductiva ad zelum animarum: 1mum, est exemplum Christi Domini, qui in omni vita sua tanto fervore conversionem peccatorum & perfectionem bonorum sitivit, tanto fatigio suo curavit: & demum pro recuperatione animarum è diaboli captivitate singula membra sua ad singularem pænam, & tandem animam suam ad turpissimam mortem obtulit. 2dum est dignitas animæ. 3tium est exempla Sanctorum. Virgo Beatissima non cessabat animas Deo lucrari per orationes, exhortationes, mores sanctissimos. Apostolus cupiebat anathema esse pro fratribus suis. S. Paulinus pro filio viduæ se in mancipium dedit. Et tot alij Sancti se pro captivis obsides barbaris obtulerunt. Sanctus Pater Paulus

*Inductiva ad zelum animarũ. 1mum Exemplum Christi.*

*2dum dignitas animæ.*

*3tium Exẽpla SS.*

Thebæus regulam reliquit in qua Antonio & omnibus nobis, potiſſimum verò ſuperioribus commendat zelum animarum. *Non debes quærere quæ tua ſunt, ſed quæ aliena. Expedit quidem tibi ſarcinâ carnis abiectâ Agnum ſequi, ſed & cæteris expedit fratribus, vt tuo ad huc inſtituantur exemplo.*

*Punctum 3tium.* Expende falſum eſſe zelum animarum. 1mo. Si ea opera ad proximum ædificandum arripis quæ voluntas ſvadet non quæ iuberis. 2do. ſi ea arripis quæ laborem ſimul & conſolationem in ſe habent non ea quæ ſolum laborem. 3tio. ſi te ad animarum curam & obſequium ſpirituale magis movet ſpes lucri aut favor vel deſiderium placendi aliis, vel aliqua delectatio, quàm Dei gloria & ſalus animarum. v. g. ſi libentius confeſſiones excipis, à divitibus, nobilibus, formoſis, quàm à turpibus, ſenibus, pauperibus. Colloquium ſeu Oratio ad Chriſtum pro vero zelo animarum, item ad Virginem Beatiſſimã. Teſſera vt ſupra.

# MEDITATIONES

## De amore Dei.

## PRO DOMINICA III. poſt Paſcha.

Præ-

### *Prædictio & immissio afflictionum est argumentum Amoris Christi erga nos.*

PUnctum 1mum. *Plorabitis & flebitis vos mundus autem gaudebit.* Ex amore summo Christus hæc discipulis prænunciavit, imo nobis omnibus: vt videlicet prævisa iacula minus nos ferirent: deinde vt in ipsis afflictionibus levamen & solatium haberemus ex fine veloci pressurarum, & ex imminenti gaudio. Expende parturienti mulieri nos assimilari, quia inter pressuras huius mundi parturimus spem & desiderium æternæ beatitudinis: *tribulatio enim patientiam, patientia verò spem operatur.* quia item sicut parturientis dolor compensatur sequenti gaudio; ita & tribulationes nostræ in immensum compensantur consolationibus, & temporalibus & æternis. *Neq; enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Age gratias Christo Domino pro hac prædictione adversitatum. Ora patientiam & fortitudinem, & dic: Scapulis tuis obumbra mihi & sub pennis tuis serva me vt non timeam ab incursu vllius mali.

*Ioann: 16.*

*Quare parturienti mulieri assimilamur?*

*Punctum 2dum.* Ipsamet immissio afflictionum variarum adversum nos, est ma-

ximum

ximum argumentum amoris Dei erga nos. 1mo. quia *in tempore tribulationis peccata dimittit, his qui invocant illum.* Tob: 1. Quot homines in prosperitate obliviscuntur Dei, in adversitate ad Deum recurrunt. Periculosior est res prospera animo quà adversa corpori. *Adulterium simul & homicidium non fecit David cum Saulem persecutorem pateretur.* Augustin. hom: 21. 2do. quia Deus hos vult esse secum in æternitate felices, quos in præsenti affligit. *Per multas enim tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* 3tio. quia vult vt sint sicut filius suus, facitq; eos conformes imaginis filij sui, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Quod autem maius signum amoris Dei Patris, quam si assimilemur filio eius! Resignatio ad omnes adversitates. Amor Dei. Propositum ex occursu creaturarum etiam nobis molestarum eliciendi actum amoris Dei. Ora vt supra. Tesseræ per Septimanam vsurpandæ:

*Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum & liberator meus.*

*Dulcissime, amantissime, pulcherrime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, infunde obsecro multitudinem dulcedinis tuæ pectori meo, vt nihil carnale desiderem, vel cogitem, sed te solum amem,*

*te solum habeam in ore & corde meo.* S. Aug.

*O bonitas, bonitas semper antiqua & semper nova!*

*O DEUS tu meus es DEUS! & meus totus.*

## PRO FERIA II.

### *Christus ex amore suo erga nos tribulationes nostras voluit esse breves: easdem in gaudium convertit: & affectu materno nos solatur.*

PUnctum imum. *Tristitia vestra convertetur in gaudium: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Considera 1mo. per hoc bona mundi differre à bonis spiritualibus: quia illa incipiunt in gaudio, desinunt in fletu; hæc autem incipiunt quidem à lachrymis & tristitia, sed finiuntur in lætitia: deinde quia illa breve gaudium, & longam si non æternam tristitiam secum ducunt; hæc verò modicam tristitiam, & gaudium infinitum ac æternum. Stultus ergo omnis qui præeligit priora. Considera 2do. quantus amor Christi in nos: qui plerumq; etiam ipsas afflictiones & tristitias nobis convertit in gaudium. Unde & Apostoli gaudebant euntes à concilio, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et Paulus ait: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et experientia ipsa testatur, si pa-

si patientes simus in aliqua tribulatione; maxima nos affici suavitate.

*Punctum 2dum. Plorabitis & flebitis vos.* Sed absterget Deus omnem lachrymam ab oculis vestris, sicut mater flentis nati suis ipsa manibus abstergit lachrymas. Quando absterget? non tantùm in futuro, sed etiam in præsenti. Expende amorem Christi qui affectu planè materno solatur nos, blanditur nobis, offertq; se ad abstergendas lachrymas nostras. Nunquid mulier oblivisci potest infantis sui? quod si ipsa obliviscitur, ego non obliviscar vestri in quavis adversitate. Et tu non solum Patrem, sed etiam matrem cura te tuis exhibere. Gratiarum actio pro affectu Christi ad nos. Amor Dei & proximi: Propositum & Tessera vt supra.

## PRO FERIA III.

### *Amor Dei erga nos qualis?*

*Amor Dei erga nos.*

P*Unctum 1mum.* Amor Dei erga nos. 1mo. gratuitus; nam ex pura bonitate sua, plurima nobis bona largitur. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Non merita nostra sed suam attendit bonitatem. 2do. efficax est: non enim solo affectu sed etiam effectu nos amat. Tot beneficia in ordine naturæ & gratiæ vnicuiq; contulit: maiora in statu gloriæ præparavit.

*Gratuitus efficax, perpetuus.*

vit. Percurre hîc peculiaria beneficia à Deo accepta. 3tio. perpetuus eſt: *In charitate perpetua dilexi te.* Vide quàm perpetuus amor Chriſti erga nos: quia non ceſſat nobiſcum amoroſiſſime in Euchariſtia converſari: quia non ceſſat nobis benefacere. Gratiarum actio. redamatio.

*Punctum 2dum.* Pariter proinde & noſter amor erga Deum debet eſſe gratuitus, efficax, & perpetuus. gratuitus; vt non metu pœnæ neq; ſpe præmij, at merè propter bonitatem ipſius ex toto corde eum diligamus. efficax; vt non diligamus verbo & linguâ, ſed opere & veritate. *Si Chriſtus animam ſuam pro ovibus poſuit: & nos debemus pro fratribus noſtris animas ponere*; quanto magis ſervire ipſis, miniſtrare in neceſſitatibus eorum, fovere ſubſidijs. quidquid enim illis facimus, Chriſto facimus. perpetuus; vt poſſimus cum Paulo dicere: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei.* Propoſitum Teſſera vt ſupra.

*Talis etiã debet eſſe amor noſter erga Deum.*

## PRO FERIA IV.

### *Qualiter Deus diligendus?*

PUnctum 1mum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua.* Marci 10. Quatuor hîc ponuntur: per cor ſignificatur volun-

*Quatuor sunt in nobis ex quibus Deum totaliter diligere debemus.*

voluntas; ſicut enim cor eſt principium omnium corporalium motuum; ita voluntas eſt principium omnium ſpiritualium motuum maximè verò deſideriorum finis vltimi; ad quem velut ad centrum ſuum voluntas noſtra tota quanta ferri debet. Per mentem, ſignificatur intellectus: per animam, appetitus ſenſitivus: per fortitudinem, aut virtutem, ſeu vires ſignificatur vis executiva exterior. Præcipitur ergo nobis vt tota intentio noſtra feratur in Deum: & vt totus intellectus noſter ſubdatur Deo: vt item omnis appetitus noſter reguletur ſecundùm Deum. In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis.

*Totalis & perfecta vnio animæ cum Deo non datur niſi in cælo.*

*Punctum 2dum.* Intendit Deus per hoc præceptum, vt homo ipſi totaliter vniatur, quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus: & ideo plenè implebitur præceptum hoc in patria; modo autem impletur imperfectè, qua tenus nimirum non coniungimur quidem cùm noſtro fine vltimo, non recedimus tamen ab ordine & via ad ipſum. Expende an & quomodo hactenus impleveris hoc præceptum? an tota intentio tua in Deum tendebat, an intellectus tuus Deo ſubijciebatur, an appetitus ſenſitivus, an omne opus externum Deum pro fine habebat?

ſi ita,

si ita, gratias age: si secus, dole. Propone præfato quadruplici modo Deum amare. Pete ad hoc gratiam à Deo. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO FERIA V.

*Causa amoris amor.*

PUnctum 1mum. *Nulla est maior provocatio ad amandum quàm prævenire amando* S. Aug: libro 1. de catechisandis rudibus. & ideo S. Ioannes hortatur: *Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos.* Ioan: 4. Diligit autem nos Deus amore tenerrimo, intenso, appretiativo. Nullus Pater aut Mater filium, nullus amicus amicum, nullus sponsam sponsus ita diligit quemadmodum nos Deus.

*Deus prior nos dilexit.*

*quomodo?*

*Punctum 2dum. Dilexi vos.* ait Dominus & dixistis: *In quo dilexisti nos.* Num parva dilectio est quòd filij Dei simus. *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater vt filij Dei nominemur & simus?* Num parva dilectio est, quòd filius æternus lavit nos à peccatis in sanguine suo: quod fecit nos Deo Patri regnum, & sacerdotes sive spiritualiter sive Sacramentaliter: quod nos sibi in Sacramento Eucharistiæ incorporavit, & invisceravit, ac quotidie invisscerat, vt perpetuò simus in ipso velut

*In quo?*

*Ioann. 3.*

 mem-

membra in corpore, velut palmites in vite; quò spiritu eius vivificemur. Verè nullus amor ardentior dari potuit! Gratiarum actio: Propositum redamandi: desiderium vnionis perfectæ cum Deo: horror omnis peccati.

*Quare?* *Punctum 3tium.* Quid autem movet Deum ad dilectionem nostri? movet ipsum sua bonitas quid vltra? movet ipsum imago & similitudo eius in nobis expressa. Si Deus honorat & amat imaginem suam in nobis: nos sive in nobis sive in proximis imaginem Dei dehonorabimus? Absit Domine absit. Tessera vt supra.

## PRO FERIA VI.

### *De alijs causis amoris.*

*Bonitas & similitudo causæ amoris* PUnctum 1mum. Amoris causæ sunt bonitas & similitudo. Expende bonitatem Dei in hoc, quòd filium suum vnigenitum dederit pro hominibus in contumelias, pœnas, & mortem ignominiosam. Expende similitudinem Christi nobiscum. Nam per omnia nobis similis factus est excepto peccato. vagijt, ploravit, esurivit, sitivit, fatigabatur, omnesq; defectus naturales, qui ex peccato communi totius naturæ seqvuntur, & non repugnant scientiæ atq; sanctitati, suscepit. Non assumpsit morbos: quia hi non *Quales defectus Xtus assumpsit.*

affici-

afficiunt communiter totam naturam humanam propter peccatum primi parentis; sed oriuntur in aliquibus hominibus ex particularibus causis, puta ex inordinato victu, aut defectu virtutis formativæ: quorum neutrum cadere in Christum potuit, quia & caro eius de Spiritu Sancto, qui est infinitæ sapientiæ & virtutis, concepta est: & ipse nihil inordinatè in vita sua egit nec agere valuit. Non assumpsit ignorantiam, pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: quia hæc repugnant scientiæ & perfectioni gratiæ.

*Duo fontes morborum.*

*Punctum 2dum.* Considera quòd ex mero amore & beneplacito voluntatis suæ hos defectus susceperit. de his Propheta: *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Ama eum o homo, quia in similitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo: ama eum quia defectus tuos suscepit; vt corpus tuum reformaret & configuraret corpori claritatis suæ: ama eum, quia morbos spirituales & corporales non suscepit, vt omnes morbos tuos internos & externos curaret. Benedictus sis Domine Iesu propter bonitatem tuam: benedictus propter similitudinem tuam nobiscum: benedictus propter defectus, quos suscepisti. Peccato & morbis non eras obnoxius: ego

vtroq; scateo; vtrumq; sana. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *De actibus amoris internis.*

*Actus hi non solùm charitati erga Deũ, sed etiam charitati erga proximũ attribuũtur & charitati divinæ erga nos.*

PUnctum imum. Actus interni charitatis sunt: dilectio, gaudium, pax, Misericordia. Diligere ergo debemus Deum, hoc est, animi nostri motibus & affectibus in eum ferri. diligere eum vt authorem naturæ, vt authorem gratiæ, vt authorem ac largitorem gloriæ: gaudere de bonis eius ad intra, hoc est, de perfectionibus eius seu attributis, immensitate, sanctitate, iustitia, bonitate, pulchritudine, suavitate, & alijs; gaudere item de bonis eius ad extra, hoc est, de agnitione eiusdem per fidem, de gloria eius, quam habet à creaturis: pacem habere cum ipso, hoc est, appetitum nostrum vnitum habere cum voluntate ipsius, & in nulla re voluntati eius repugnare: tristari de offensa eius, & quod per multos blasphematur nomen eius infinito honore dignum. Examina te an actus prædictos frequentaveris, dole de negligentia, & propone in posterum eos frequentare. Expende etiam eosdem actus amoris in Deo ad homines: & age gratias.

*Punctum 2dum.* Considera quòd Virgo Beatis-

Beatissima in gradu excellentissimo post Christum actus prædictos eliciebat. Imitare in hunc v. g. modum: *Amo te Deus meus super omnia, o fons amoris o bonitas increata, o suavitas ineffabilis, o pulchritudo super omnes pulchritudines! amo te in vnione amoris illius, quo Pater æterne amas filium tuum & te vicissim filius æternus. Benedictus sis de sanctitate tua, de iustitia tua, de pulchritudine tua, de bonitate tua. Benedicta suavitas, quam in te ipso & ad homines habes: benedicta magnificentia tua: benedicta gloria regni tui: benedicta humanitas Iesu Christi filij tui, quæ nomen tuum clarificavit. O quam gaudeo nomen tuum agnosci, celebrari: quam gaudeo quod pleni sunt cæli & terra gloria tua. Vtinam omnes homines veniant ad agnitionem tui: vtinam omnes vno ore te Deum Patrem cum Filio & Spiritu Sancto glorificemus: vtinam nemo sit qui te offendat. Heu me quod ego te toties offendi: ignosce Domine & confirma me in amore tuo.* Propositum & Tessera per diem replicanda vt supra.

# MEDITATIONES.

## Ad perseverantiam in amore Dei permoventes.

## PRO DOMINICA IV. post Pascha.

### *Corporalis abscessus Christi operatus est perseverantiam amoris in Apostolis.*

PUnctum 1mum. *Vado ad eum qui misit me.* Ioann: 16. Tota vita Christi Domini fuit motus & tendentia ad Patrem: quia semper eius solius gloriam quærebat, eius voluntatem in omnibus faciebat. Exemplum dedit nobis, vt & nos omnibus actionibus, cogitationibus, intentionibus, & locutionibus nostris tendamus ad eum, qui misit qui creavit nos. Examina te ipsum, quo vadis? an ad Deum an ad diabolum: discute opera, cogitata, & verba tua; & affectus convenientes elice.

*Punctum 2dum. Expedit vobis vt ego vadam: quia si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ad quid promittitur mittendus in Apostolos Paraclitus? ad hoc vt confirmet quod Christus operatus est in Apostolis: vt confirmet eos & stabiles ac immobiles faciat in amore Dei. Corporalis ergo abscessus Christi non teporem sed fervorem & constantiam amoris in Apostolis effecit. Etiam nobis expedit vt sedente Christo in dextera Dei quæ sur-

sunt sapiamus, non quæ super terram: vt vbi corpus salvatoris est, illuc & nos velut aquilæ congregemur: vt vbi thesaurus noster est, ibi & cor nostrum sit perpetuò. O IESU mitte promissum in nos spiritum veritatis, mitte Paraclitum cuius munere cor nostrum iugiter ardeat amore tui. Virtus: *perseverantia in amore Dei.* Propositum: actus charitatis supra positos frequentandi & animum in amore Dei ex occasionibus obvijs firmandi. Tesseræ per septimanam quovis die crebrò repetendæ mente vel etiam ore:

*Concede mihi benignissime Iesu gratiam, vt mecum sit, mecum laboret, mecum vsq; in finem perseveret.* Thomas à Kempis.

*In æternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*

*O IESV propè esto in animo meo, propè in corde, propè in ore, propè in auxilio, quia amore tui langueo, quia sinè te morior, quia te rocolens suscitor.* Thomas à Kempis.

## PRO FERIA II.

### *Deus suos diligit vsq; in finem.*

*SS. Trinitas diligit electos.*

PUnctum imum. *Cum dilexisset suos vsq; in finem dilexit eos.* Ioan: 13. Suorum nomine non tantùm discipuli Christi veniunt, sed & omnes prædestinati qui vocantur: *Vasa electionis & misericordiæ di-*

*vinæ.* Hos omnes diligit Christus cum Patre & Spiritu Sancto, & diligit vsq; in finem vitæ eorum, imò in perpetuas æternitates. diligit Pater tanquam conformes imaginis Filij sui: diligit Filius tanquam cohæredes: diligit Spiritus Sanctus tanquam sanctuaria & viva templa sua. O Domine IESU tuus sum per creationem, tuus per redemptionem: o sim tuus per electionem, vt diligas me, & diligas vsq; in finem vitæ meæ, quovsq; absorbeas me in lumen gloriæ vbi te non possim ex plenitudine amoris non amare!

*Vt diligaris à Deo dilige.*

*Punctum 2dum. Ego diligentes me diligo*, ait sapientia in creata. Si ergo Dominum dilexero, si mandata eius custodiero vsq; in finem, quod quidem per gratiam ipsius habere possum, qui omnibus petentibus dare spiritum bonum paratus est; certissimè ille quoq; diliget me vsq; in finem. *Ioan. 14 Qui diligit me, diligetur a Patre meo & ego diligam eũ & manifestabo ei me ipsum.* Confirma igitur me in amore tui o dulcis IESU! vt me nihil à te possit separare; non tribulatio, non angustia, non mors, non periculum, non gladius, non deniq; vlla creatura. Amore tui vivam, amore tui moriar. Propositum & Tessera ex die hesterna sumatur.

PRO

## PRO FERIA III.

### *Anima in amore Dei debet esse tanquam murus & turris.*

PUnctum 1mum. *Ego murus.* Cant. 8. Ad hoc vt fortalitium aliquod sit inexpugnabile, non tantùm mænia & munitiones exteriores necessariæ sunt, quantum præsidiariorum fortitudo, ita vt hi sint velut murus firmissimus lateritijs parietibus solidior. Idem ad fortalitium spirituale requiritur: ad hoc enim vt anima sit inexpugnabilis à dæmone, mundo, & carne coniuratis hostibus humanis; non ei sufficit custodia Angelica, non superiorum attendentia, non alia exteriora subsidia, nisi ipsa quoq; sit murus firmissimus bitumine charitatis divinæ compactus. Expende an sis murus, an verò paries luteus facilè impressione diabolicâ etiam levi destruibilis?

*Punctum 2dum. Et vbera mea sicut turris.* Ubera animæ sunt intellectus & voluntas. Turres ad hostem speculandum & propulsandum serviunt: per intellectum ergo anima hostem prævidere, ipsiusq; insidias prospicere debet; per voluntatem autem propulsare. *Amor meus, Deus meus in te deficiam vt fortis sim:* sim murus inexpugnabilis dæmoni, carni, & mundo. Videam à lon-

*Vbera animæ quæ?*

*S. August.*

à longè diabolicos insultus & auxilium invocem; vt fugato ope tuâ hoste cantem tibi:

*Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.*

## PRO FERIA IV.

### *Animæ quæ est firmata in amore Dei quodam modo impossibile peccare.*

Cant. 5. PUnctum imum. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Pedes animæ sunt affectus: sicut namq; corpus pedibus, sic anima movetur affectibus. hos iubet Dominus mundare: *Mundate quæ intus sunt; & quæ foris sunt munda erunt*: hoc est, mundas cogitationes, mundos affectus. voluntatis habete; & ad immunditiam exteriorem operis ipsius non pervenietis. Vide an sis mundus internè? Per sordes pedum intelliguntur etiam quotidiani defectus. Unde Christus: Qui lotus est, inquit, non indiget nisi vt pedes lavet, sed est mundus totus. id est: Qui lotus est à mortalibus non indiget nisi lavari à venialibus. Si taliter lotos habere pedes curaverimus, firmi erimus in amore Dei. Qui enim vitat levia mundatq; se ab illis, non facilè cadit in gravia.

*Pedes animæ.*

*Punctum 2dum. Non possum.* (sic legit D. Hie-

D. Hieron: ad Eustochium) *inquinare illos*. Felix anima quæ ita firmata est in amore Dei & proposito non peccandi, vt ei quodammodo sit impossibile peccare. Talis erat Ioseph qui dicebat: *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum?* Talis Apostolus dicens: *Quis nos separabit a charitate Dei?* Talis Susanna, verè lilium! Hanc firmitatem radicamus in nobis crebrâ renovatione propositi non peccandi, & eiaculatorijs de Deo amando tesseris.

*Colloquium.* Lavi quoq; ego pedes meos, & vtinam laverim: lavi in lavacro, quod nobis è sanguine tuo pretiosissimo in Sacramentis præparasti: amplius ergo ne permittas inquinari illos. Liga Domine libertatem & potentiam meam, ne possim eos inquinare: continuus sim in proposito non peccandi. Fac me frequentissimè recolere beneficia tua, quibus me momento omni tibi obligas, vt omni momento ex tota fortitudine mea tibi serviã.

## PRO FERIA V.

### *Amicitia cum Deo debet esse perpetua.*

Cant: 5.

PUnctum imum. *Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi*: tractat Christus amicos epulo Eucharistico. qui

autem

*Amicitia debet esse stabilis.* autem veri amici Christi? *Amicitia quæ desinere potest vera nunquam fuit.* ait Hieron: da Rufinum. Si ad amicitiam humanam requiritur vt sit stabilis, & quæ nunquam desinat; multo magis ad amicitiam cum Deo. Deus enim infinitè bonus est, sine vlla admixtione mali: semper tibi benè vult: semper tibi communicat bona sua & seipsum in Eucharistia: semper tibi per Evangelium, & per internas locutiones revelat secreta sua; non habes ergo cur te separes ab eo. dole quod vnquam te separaveris ab ipso. Propone mori potius quàm dividi ab eo.

*Conditiones amicitiæ divinæ cū homine.*

*Punctum 2dum.* Amicorum est convivere & convivari. Christus verus amicus noster convivit nobiscum vsq; ad consummationem sæculi in sacra Eucharistia: in eadem convivatur nobiscum, ipse conviva, ipse convivium divinum, cæleste, vitale: ipse miro amoris commento se apponit manducandum & bibendum. Amicos hîc vrget bibere; sed charissimos inebriari; quia ferventibus in charitate profusiùs se suaq; bona impartitur quàm qualitercunq; diligentibus. O IESU sim amicus tuus, sim charissimus tuus, sim perpetuò in gratia tua, & finaliter tibi adhæream; vt dignus fiam comedere, bibere & inebriari de mensa tua. O IESU

*Christus & convivit, & cōvivatur nobiscum.*

mi! vtinam inebrier dulcedine spiritus tui: quatenus in hac ebrietate omnium quæ mundi sunt obliviscar: & te solum spirem, in te solo exultem. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO FERIA VI.

### *Diligentibus Deum, pax multa & securitas à scandalo.*

*Scandalū quibus non nocet.*

Punctum 1mum. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Psal. 118. Duo promittuntur diligentibus legem Dei: pax multa, & defectus scandali. Considera 1mo. totam legem divinam pendere in his duobus: in dilectione Dei ex tota anima & in dilectione proximi. Legem ergo implet qui Deum diligit super omnia: & proximum sicut se ipsum. Considera 2do. per pacem multam intelligi abundantiam pacis interioris, hoc est, consensionis & concordiæ appetituum hominis inter se & cum Deo. Considera 3tio. scandalum esse occasionem ruinæ spiritualis: qui ergo diligit legem Dei, non tantum internè pacatus est, sed etiam non suscipit externas occasiones ad peccandum. Si enim videt mali aliquid in proximo, non inde deterioratur; at potius elevat se ad actus heroicos amoris divini, renovando propositum

*Perfectus in amore Dei non deteriora.*

Deum

*tur ex ruina alterius, sed potius elevat se ad actus heroicos amoris Dei & proximi & ad actus humilitatis.*

Deum nunquam offendendi: humilitatis, cogitando se millies quoq; similiter & deterius peccare posse nisi Deus misericors retineret: amoris proximi, compatiendo fragilitati, orando vt resipiscat. Redi in te ipsum & cogita an facilis fueris ad scandalum patiendum. & si ita est, propone ardentior esse in amore Dei & proximi; vt ex nulla occasione ruinam spiritualem experiaris.

*Punctum 2dum.* Non dicitur: *servantibus legem, pax multa.* sed *diligentibus.* quia possunt servari mandata Dei ex timore. v. g. pœnarum temporaliũ, vel etiam gehennæ, sed taliter servantibus legem Dei non est pax, nec securitas ab occasionibus ruinæ spiritualis. Qui diligit aliquid, continuò cogitat & meditatur de eo quod diligit. de eo loquitur, circa illud se occupat, nec vult separari ab illo, aut contrarium illi facere. An diligas legem Dei? hinc disces, si frequenter de ea meditaris, si crebro loqueris verba ad amorem Dei & proximi spectantia, si nunquam vis à lege Dei deviare. Pete à Deo vt diligas legem eius, quatenus in pace semper maneas, & longè sis ab omni scandalo. Propositum & Tessera vt supra.

*Punctum 3tium. Christus Iudæis scandalum & lapis offensionis.* O quàm graviter impe-

impegerunt in hoc lapide quando Christum ſpreverunt & perſecuti ſunt vſq; ad mortem. Cogita, ad qualem? quare hoc, quia nulla in eis erat charitas ſed invidiæ livore tabeſcebant. Tu quieſce in eo, ſicut Iacob, per fidem & charitatem. noli eum reprobare, noli abijcere per peccatum vllum & ſic beatus eris. Beatus enim qui non fuerit in Chriſto ſcandalizatus Scandalizatur in Chriſto, læditur & labitur qui pedem affectûs ſui impingit doctrinæ eius, calcando mandata ipſius: aut occaſionem accipiendo diſcredendi ei. O ſalus & vita mea IESU! prius millies moriar quàm te reprobem, quàm ex te ſcandalizer! verba vitæ æternæ habes. Vita tua & doctrina tua, vita noſtra: mors tua, reſurrectio noſtra. Eſto mihi lapis adiutorij. In manibus tuis porta me ne vnquam offendam ad lapidem alicuius ſcandali pedem meum.

## PRO DIE SABBATI.

### *Uſq; ad adventum Chriſti ſanctè & ſine querela vivendum eſt.*

*Integritas ſpiritûs & animæ & corporis, cuſtodienda.*

PUnctum imum. *Ipſe autem Deus ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſinè querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur Fidelis eſt qui vos vocavit, qui etiam faciet.*

*ciet.* 1 ad Thessal: 5. Monet & precatur Apostolus, vt per sanctificationem divinam simus integri spiritu & anima & corpore: expectantes ad instar virginum prudentum adventum Domini nostri, vt cum eo ad perpetuæ beatitudinis nuptias introeamus. Considera 1mo. Spiritum, animam & corpus in integritate servanda esse. Per spiritum superior pars animæ; per animam vires inferiores intelliguntur. Integritas autem hæc fervorem spiritûs & sceleris immunitatem designat quatenus absq; corruptione peccati inculpatè & sinè querela vivamus vt nemo sit qui malum aliquid audeat dicere de nobis. Considera 2do. ad adventum Domini nostri in integritate persistendum esse, hoc est, vsq; ad horam mortis nostræ: tunc enim adveniet Dominus, vt nos paratos ad thalamum gloriæ suæ deducat. Virgines integra corpora student servare sponsis suis, cum quibus mansuræ sunt vsq; ad mortem: quanto magis nos Deo corporis & animæ creatori debemus custodire integrum corpus animam & spiritum, cum quo in æternum victuri sumus.

*Quousq;?*

*Quare?*

*Fidelis Deus nobis & nos ipsi esse teneur.*

Punctum 2dum. *Fidelis est* implebit promissa sua; modò nos quoq; vsq; ad adventum eius fidem ipsi servemus. *Qui & faciet.* Non corrumpet corpus animamq; nostram

noſtram ſponſus noſter qui vtrumq; fabricavit; ſed & corpus & animam conſolicavit; ſed & corpus & animam conſolidabit dotibus glorioſis, & veſtimento luminis gloriæ veſtiet, & incomprehenſibilibus delitijs ſatiabit.

*Colloquium.* O IESU ſponſe animarum noſtrarum, da mihi inculpatè & ſinè querela vſq; ad adventum tuum vivere. Fac, me tibi ſervem totum toti, vnicum vnico, integrum integerrimo.

---

# MEDITATIONES

## Ad reſignationem in voluntatem divinam excitantes.

## PRO DOMINICA V. poſt Paſcha.

### *De Oratione Dominica.*

PUnctum 1mum. *Petite & accipietis.* Ioan: 16. Quid petere & quomodó petere debeamus, docuit ipſe Dominus in ſua oratione. Expende 1mo. authorem & præfatiunculam huius orationis. Author quidem eſt cæleſtis Magiſter Chriſtus IESUS, quo nihil ſanctius, ſapientius, amabilius: præfatiuncula verò eſt iſta: *Pater noſter, qui es in cælis.* Et hæc erigit nos in fiduciam poſtulandi, dum nos certiores facit quod ſimus filij Dei, ſcilicet per gratiam & adoptionem. Attende dignita-

*Orationis Dominicæ author.*

*Præfatio.*

tem tuam o homo. vide cuius filius ſis! ſi filius Dei es: opera Dei, Patris vtiq; tui facito. Vide item vt fiducialiter ores, vt cum fide vivâ ac ſpe firmâ. Pater enim eſt quem oras.

*Punctum 2dum.* Expende poſtea articulos, ſeu partes orationis, quæ ſunt ſeptem. Exquibus 1ma. petit ab omnibus ſemper, & vbiq; promoveri honorem & gloriam Dei. 2da. felicitatem æternam regnumq; cæleſte donari nobis. 3ta. auxilium gratiæ ad hoc, vt alacriter & conſtanter adimpleamus voluntatem Dei. 4ta. neceſſaria ad vitam tam corporalem quàm ſpiritualem. 5ta. rogat remiſſionem peccatorum eo modo fieri nobis, quo ipſi aliis offenſas remittimus. 6ta. defenſionem à tentationibus, ne tanquam imbecilles in peccata ruamus. 7ma. liberationem tam ab iſtius, quam à futuræ vitæ calamitatibus. O quanta bona impetraremus, ſi ferventer & devotè orationem hanc iteraremus! Propoſitum actus charitatis in Dominica ſuperiore poſitos ſæpè eliciendi. Virtus: Reſignatio in voluntatem Dei. Teſſeræ: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es.*

*Partes.*

*O IESV ſi me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus: ſi me vis eſſe in luce, ſis iterum benedictus: ſi me dignaris conſolari, ſis benedictus:*

*& ſi*

*& si me vis tribulari sis æqvè semper benedictus.* Thomas à Kempis.

*O Vita vitæ meæ, te totum desidero, me totum tibi offero, totum toti, vnicum vnico.* Idem.

## PRO FERIA II.

### *In oratione Dominica beatitudinem æternam & eius media petimus: voluntati divinæ nostram debemus conformare.*

P*Unctum 1mum.* Jn oratione Dominica. 1mo petimus finem nostrum, hoc est, nomen Domini sanctificari, & regnum eius nobis advenire. 2do. petimus media ad hunc finem ducentia. 1mum autem & principale medium ad consequendam æternam beatitudinem est impletio voluntatis divinæ. Si igitur consequi regnum æternum desideramus, voluntatem divinam exequi necesse habemus; vt autem ipsam exequamur continuè orare debemus? *fiat voluntas tua.* Expende in hoc articulo orationis Dominicæ, omnia quæ salubriter desiderare possumus, concludi: scit enim Pater æternus quid nobis opus sit: illius igitur voluntati nos conformare debemus.

*Punctum 2dum. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælo-*

*rum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Matth: 7. Senſus eſt: Non omnes orationibus dediti ſtudent meam implere voluntatem, neq; eius impletionem animitùs precantur: ideoq; cum fatuis virginibus excludentur à regno cæleſti. Executio voluntatis Divinæ ſola eſt, quæ aperit ianuam regni divini. Conſidera quòd voluntas Dei ſit ſanctificatio noſtra; hoc eſt, voluntas Dei eſt vt ſemper ſanctificemur: Sanctificamur autem per fidem & charitatem. Conſidera item quòd voluntas Dei eſt vt omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Si Deus hoc vult, vt non pereamus ſed habeamus vitam æternam: nos perire volumus quando non conformamus nos voluntati divinæ, & media, per quæ nos ad vitam æternam vocat exhorreſcimus.

Actus reſignationis ad læta & triſtia, ad vitam & mortem iuxta beneplacitum Dei eliciendus. Teſſera ſumatur ex die heſterna, & crebro per diem repetatur.

## PRO FERIA III.

### *Factor voluntatis Divinæ eſt conſanguineus Chriſti.*

PUnctum 1mum. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater & ſoror &*

Mater

*Mater est.* Non negat Christus Matrem & fratrem se habere secundùm humanitatem: sed dicit illum sibi spiritualiter esse fratrē, sororem & matrem, qui implet voluntatem divinam. Expende quomodo intelligenda sunt verba Christi. Christus est filius Dei per naturam; qui autem facit volũtatem divinam est filius Dei per gratiam seu adoptionem: igitur frater Christi est. *Et quia in Christo neq; est masculus neq; fœmina; vti frater* ita & soror Christi vocari potest omnis executor voluntatis divinæ. Quia item omnis executor voluntatis divinæ suscepto in animam suam semine verbi divini parturit Christum in cordibus fidelium iuxta Apostolum: *Filioli mei quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis,* mater Christi est. O quæ dignitas esse Christi fratrem, sororem, matrem!

*Punctum 2dum.* Magnificat & beatam dicit vniversus orbis Virginem Beatissimam ob Maternitatem Dei carnalem; cui tamen præfert Christus spiritualem maternitatem Dei, hoc est, custodiam & executionem voluntatis divinæ: *Quin imò beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Quis ergo non cupiat facere voluntatem divinam, si tantopere æstimatur factor eiusdem? O ergo *doce me facere vo-*

*Lucæ 11.*

*luntatem tuam quia Deus meus es tu.* Percute dorſum meum & collum meum vt in curuem ad voluntatem tuam tortuoſitatem meam! Non enim ſtat meritum noſtrum in multis ſuavitatibus & conſolationibus ſed potius in magnis gravitatibus & tribulationibus perferendis.

*Thomas à Kem: l. 2.*

## PRO FERIA IV,

### *Timentes Dominum, hoc eſt, ſervantes mandata eius exaudiuntur: & nihil deeſt ipſis.*

PUnctum imum. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſalvos faciet illos.* Vis vt voluntatem tuam faciat Deus? fac tu voluntatem eius. Vis vt ab eo exaudiaris? time eum timore filiali, noli eum offendere, obſerva mandata eius, quia ſancta ſunt, quia ſalutaria ſunt, quia à Deo data ſunt. Vis demum ſalvus fieri? time Deum, ſit voluntas tua perpetuò in lege eius: hoc eſt, voluntas tua ad hoc ſemper tendat, vt legem Dei cuſtodias. Verè beata anima timentis Deum. Quare beata? quia Deus facit voluntatem eius: quia deprecationem exaudit: quia in omnibus proſperatur iuxta illud: *Et omnia quæcunq; faciet proſperabuntur,* hoc eſt, in bonum ei omnia cooperabuntur: quia demum ſalutem æternã conſequitur.

*Quare beata anima timentis Deum?*

Pun-

*Punctum 2dum. Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Psal: 33. Deus prævenit preces & desideria eorum qui ipsum timent, mandata eius custodiendo, & voluntatem eius in omnibus implendo. Nihil deest ipsis in rebus naturæ, nihil deest in rebus gratiæ. volunt sanitatẽ, dat ipsis Deus: volunt benedictionẽ, largè impertitur: volunt solatiũ in adversis, tanquã mater abstergit lachrymas ab oculis eorũ, & super genua sua blanditur eis: desiderãt robur in tentationibus & periculis? firmamentum est Dominus timentibus se: & testamentum ipsius non aliud quàm vt manifestetur illis. Da Domine vt in omnibus & semper & finaliter voluntatem tuam sanctissimam adimpleam: quò tu voluntatem etiam meam facias, & tandem salutem mihi æternam largiaris, manifestando mihi teipsum.

## PRO FESTO. ASCENSIONIS DOMINI.

### *De apparitionibus Domini in vniversum: & de ÿs quæ Ascensionem Domini immediatè præcesserunt.*

P*Unctum 1mum. Præbuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies 40. apparens eis.* Act: 1.

Replica mente apparitiones Christi Domini post resurrectionem suam. Decem hæ leguntur in evangelijs. Ipsa die resurrectionis quinquies apparuisse scribitur. 1mo. quidem Magdalenæ ad monumentum. 2do. mulieribus regredientibus à monumento. 3tio. Petro. 4to. duobus discipulis euntibus in Emmaus. 5to. congregatis in Hierusalem absente Thoma. Extra hanc diem. 6to. apparuit congregatis præsente Thoma. 7mo. ad mare Tiberiadis in captura piscium. 8vo. in monte Galilææ secundùm Matthæum. 9no. secundùm Marcum novissimè ante ascensionem recumbentibus. 1mo. in ipsâ ascensione quando non iam in terra sed elevatus in nube manifestior & gloriosior apparuit. Ultra has in evangelio expressas, fuerunt & aliæ eius apparitiones. *Crebra namque erat eius cum suis conversatio priusquam ascendisset in cælum: & hoc ad consolationem ipsorum.* ait S. Aug: vnde & 1. ad Corin: 15. dicitur quòd visus est Iacobo. Et piè creditur quòd etiam Beatissimæ Matri suæ sit visus.

*Lib: de cōsensu evāgelistarū.*

*Quare crebræ Christi apparitiones post resurrectionem?*

*Punctum 2dum.* Quare Christus tam crebrò se suis manifestavit? ad consolationem ipsorum vt supra: deinde ad corroborationem eorum in fide resurrectionis. tum etiam ad demonstrandum amorem

suum

suum erga homines: cum quibus per quadraginta dies conversari voluit, ascensionem suam differendo, quamvis ei statim post resurrectionem congruebat locus cælestis. Quare item per 40. dies non plures nec pauciores vivum se exhibere discipulis voluit: quia vt habet glossa per 40. horas mortuus mansit. Dies pro horis commutati, vt pateret liberaliorem esse Deum in consolationibus dandis, parciorem in tribulationibus immittendis. *Per 40. dies typus præsentis sæculi quo Christus in Ecclesia conversatur potest etiã intelligi.* S. Thomas. Sis benedictus pro omnibus apparitionibus & argumentis resurrectionis tuæ Christe IESU! O quando & mihi apparebis in salutem! vtinam post quadragesimam vitæ præsentis ascendam ad te, perpetuæ incorruptionis & gloriæ tuæ felicitate beandus.

*Quare per 40. dies.*

*Punctum 3tium.* Ante ipsam ascensionem in cænaculo Hierosolymitano omnibus Apostolis recumbentibus apparuit: cum quibus convesci dignatus: locutus de regno Dei: incredulitatem exprobravit: sedere Hierosolymis & expectare adventum spiritûs S. & post acceptum Spiritum S. per totum orbem terrarum prædicare, baptisare & miraculis doctrinam comprobare præcepit. Tandem eduxit

eos in Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ, ſignificans, quòd per opera obedientiæ tranſituri eſſent ad cæleſtia regna. Venitq; cum illis ad montem Oliveti. Per montem, eminentia Spiritûs in contemplatione; per olivas autem pinguiſſimi ſpiritûs devotio intelligitur. Vlterius verò poſt iſta non reſtat niſi ſaltus animæ ad Deum. Mons oliveti, locus aſcenſionis Chriſti: in cuius clivo Chriſtus orabat, agonizavit, à Iuda traditus, à Iudæis captus ligatuſq; eſt: vt intelligeremus eum per tales labores & dolores gloriam cæleſtem (quanquam abſq; his propter vnionem hypoſtaticam ſibi debebatur) meritoriè comparaſſe: noſq; ſimiliter hoc & non alio itinere videlicet per labores & tribulationes, cælum conſcenſuros. Trahe me poſt te Domine IESU! educ me de tumultu curarum huius ſæculi ad montem contemplationis. Da mihi pinguedinem ſpiritûs. Omne pondus terrenum quod me gravat ad terram, tolle à me: vt ad montem hunc, & ex eo, ad te liberè poſſim aſcendere.

*S. Bonav.*

## Pro eadem die.

### *De ipſius Aſcenſionis modo.*

*Conſiderãda in aſcẽſione Dñi.*

Punctum unum. *Videntibus illis elevatus eſt:* relictis in terra veſtigijs: erat autem

autem hora 6ta. *Videntibus illis.* O beatos oculos qui tale spectaculum videre meruerunt! Viderunt eum in gloria & claritate tali, qualem sustinere valuerunt. Vidit Abraham cum omnibus omnium fidelium turmis: vidit & gavisus est. Viderunt Apostoli cum ingenti discipulorum turba: viderunt & gavisi sunt. O quale gaudium illud! o felix hora Ascensionis! qua hora IESUS meus cubuit in meridie, in lecto crucis, hac eadem ad delicias Patris sui vadit. *Elevatis manibus benedixit eis.* Illis manibus quæ ad crucem erant elevatæ & acclavatæ, benedixit. Benedic & mihi Domine IESU, descendat super me benedictio illa tua; si quidem perpetuò durat vt revelasti S. Mechtildi. *Ferebatur in cælum.* A quo ferebatur: & cuius virtute? à seipso: virtute divinitatis suæ: virtute item animæ suæ glorificatæ moventis corpus prout vult. *ferebatur*: quia localiter & successivè movebatur de spatio in spatium; quod est de natura corporis. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Cum iam altiùs elevatus esset, & Apostoli intensissimè ipsum aspicerent, nubes suscepit eum ab oculis eorum. Quare? non vt esset vehiculum & adminiculum Christo ascendenti: sed in testimonium divinitatis eius, dicente Psalte de Deo: *Qui*

*1mo.* *2do.* *3tio.* *4to.*

*ponis*

*ponis nubem ascensum tuum.* vt item declararet eundem se esse qui Moysi locutus est in nube: & eundem se esse cuius gloria apparebat super tabernaculum in nube. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* hoc est, SS. Patres & vniversam multitudinem hominum ab Adam ad vltimum iustum ex limbo eductorum, & ex captivitate diabolica in captivitatem suam, imò in libertatem summam assertorum duxit pro triumpho ad sedem regni sui, fecitq; conregnare secum.

5to.

6to. *Punctum 2dum.* *Ascendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ.* In quali iubilo? in iubilo animæ suæ. O quis intelligat, qualis fuit iubilus animæ Christi? In iubilo animarum cum Christo ascendentium, in jubilo Angelorum, in jubilo cælorum: *Etenim cæli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* In iubilo demum Apostolorum & totius mundi. Nam ex anima Christi Domini gaudium & dulcedo redundavit primò in corpus ipsiusmet Christi, deinde in Angelos, item in Sanctos Christi comites, in Apostolos, in cælos ipsos, imò in totum vniversum.

*Psal: 46.*

*Affectus.* O si & in me derives dulcedinem tuam IESU voluptas cordium! vtinam liquescat anima mea amore tui, gaudio de gloria tua! O si perpetuo iubilem ex te & pro-

popter te! o vtinam ſim inter millia læ- tantium tuorum! Adiunge me & alliga velut captivum ad currum tuum millibus Angelorum & Sanctorum multiplicem. *Tu Domine fuiſti in eis*, hoc eſt, in Angelis & Sanctis. quos ducebas ad cælum, fuiſti in eis velut in throno, velut in curru animato, ille idem qui fuiſti in Sina & Moyſi apparuiſti, ille idem qui in Sancto, hoc eſt, in corpore ſuſcepto ex Virgine MARIA habitas & habitabis in finem. Habita etiam in me & habita in finem. Hoc deſidero, hoc rogo bone Ieſu!

*Punctum 3tium. Prævenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum.* Pſal: 67. Aſcendentem Chriſtum agmina Sanctorum pſallentium & iubilantium vnà cum innocentibus (qui vel propter teneram ætatem vel propter ſervatam ab vtero matris integritatem, vel propter vigorem ſpiritus, juvenculæ; tympaniſtriæ autem propter carnem mortificatam dicuntur) ſequebantur. Principes autem Angelorum Sanctis coniuncti, & innocentibus ad Angelicam puritatem propius accedentibus mixti, prævenerunt vtroſq; & bino clamore in honorē duplicis Chriſti naturæ, portas æternales Regi gloriæ reſerari ab aſſiſtentibus iugiter divinæ Maieſtati ſpiritibus petierunt: non

*7mo. Pſalmum hunc adaptat S. Hieron: aſcenſioni.*

quod egeret aliquo reſerationis miniſterio; ſed vt omnis ſpiritus ſuo obſequio Dominum veneraretur. Qui poſt interrogationem non ex ignorantia ſed ex amore & gaudio profectam, quis nam eſſet iſte Rex gloriæ, reſponſum accipientes, Dominum fortem & potentem, Dominum potentem in prælio (quod ſcilicet cum morte & inferno inivit) & rurſus Dominum virtutum & quæ in cælis & quæ in terris ſunt, ipſum eſſe Regem gloriæ: protinus igneam romphæam amoverunt, hoc eſt, declarарunt, ſanguine Chriſti reſtinctam eſſe iram Dei adverſus homines: recluſerunt ianuas cæli, hoc eſt, decretum de admittendis in poſterum hominibus in cælum dulci præconio manifeſtarunt. Statimq; omnes Angeli Deo & Agno cantica gloriæ cecinerunt.

Angeli non ſufficiunt tibi laudes canere o dulcis IESU: ego viliſsimus pulvis quid faciam? ſilebo ſtupens & illud cum David ruminans: Te decet hymnus, *tibi ſilentium laus* Deus in Sion.

*Sic incipit pſalm: 64. juxta 70.*

## PRO FERIA VI.

### *De ijs quæ proximè poſt aſcenſionem facta.*

*Marci 16.*

PUnctum imum. *Sedet à dextris Dei.* Filius Dei ingreſſus cælum, illico vnitam

tam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam in dextera gloriæ paternæ collocavit. Quid autem intelligitur per dexteram Patris? intelligitur beatitudo Patris: intelligitur etiam judiciaria poteſtas. Sedet ergo Chriſtus à dextris Dei: quia manet incorruptibilis in beatitudine Patris: & quia veniet iudicaturus, qui venerat ante iudicandus. 2do. *dedit dona hominibus* cælo invectis, diſtribuendo illis ſedes & pro qualitate meritorum præmia gloriæ cæleſtis inter eos partiendo. Ecce quomodo officio ſuo functus eſt Iudex vivorum & mortuorum à Patre conſtitutus. Ad iudicem enim ſpectat & præmia & pænas merentibus diſtribuere 3tio. Cautico gloriæ ab Angelis & hominibus celebratus: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & divinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* Non quod virtutem & divinitatem & ſapientiam & fortitudinem antea non habuerit: ſed quod dignus eſſet hæc inſignia per fidem credentium accipere: quatenus nimirum ipſum omnes agnoſcerent, & confiterentur eſſe virtutem & ſapientiam Dei, uerumq; Deum & nemo auderet derogare divinitati eius. 4to. Ad Apoſtolos & diſcipulos omnes oculis in cælum defixos miſit nuntios cum hac legatione

*Apoc: 5.*

tione

tione: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum. Hic IESUS qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ubi ascensio Christi cum adventu eiusdem futuro ad judicandum comparata; vt visio ascensionis firmaret fidem adventûs 2di: & vt ille qui amabatur tanquã Pater ac Redemptor, etiam timeretur tanquam Iudex. 5to. auditis nuntijs Apostoli & discipuli incipiente Matre Domini adoraverunt in loco vbi steterunt pedes Iesu: & osculati sunt vestigia eius monti impressa. Osculare & tu: & ora vt vestigia Christi perpetuò sint impressa cordi tuo; quo ea iugiter sequaris.

*Punctum 2dum.* 6to. Cum gaudio & lachrymis devotis regressi sunt conferentes inter se de vita passione & gloria IESU Christi. Intrarunt habitaculum suum manseruntq; & perseverarunt in orationibus cum MARIA Matre IESU expectantes promissum adventum Spiritûs S.

Vide iam anima mea quomodo qui se humiliat exaltabitur! IESUS infra omnia vsq; ad inferos se humiliavit & exinanivit: ideo super omnes cælos & super omnem creaturam exaltatus. Disce te elevare à terra, & ascensiones cordis quotidie facere, vt terra tibi modica imò punctum & nihil

hil

hil cum omnibus bonis ſuis videatur: quò altiùs à terra fueris, eò minor tibi videbitur. Gaude quia redemptor tuus à dextris Patris ſedet: ad hoc enim ſedet, vt tibi repropitiet Patrem, teq; ad dexteram ſuam collocet. Iubila cum Angelis & SS. omnibus. Et quia non ſufficis ad jubilandum & pſallendum Regi gloriæ, invita ordines ſpirituum cæleſtium & omnium Sanctorum, vt tecum & pro te pſallant, iubilent, benedicant Domino virtutum Chriſto IESU. Dic: Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem. O Cherubim, o Seraphim, o Throni, o Dominationes: ſpiritus ſublimiſſimi & Deo proximi qui continuò aſſiſtitis Altiſſimo, benedicite magnificate laudate Dominum mecum & pro me. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia omnis pulchritudo eius exaltatata eſt ſuper ſidera & ſpecies eius in nubibus cæli. Omnis enim pulchritudo Domini & ſpecies eiuſdem eſt IESUS Chriſtus ſplendor & figura ſubſtantiæ Patris. O vos virtutes laudate pro me virtutum Dominum. O vos Principatus & Poteſtates cãtate eiſqui eſt fortis & potens in prælio. O Archangeli & Angeli bene pſallite ei in vociferatione:

*Sedenti in throno & Agno benedictio & honor, & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum Amen.*

# PRO DIE SABBATI.

## *De emolumentis Aſcenſionis Dominicæ.*

PUnctum 1mum. *Expedit vobis vt ego vadam.* Ioan: 16. id eſt, prout explicat S. Thomas, vt recedam à vobis per Aſcenſionem. Aſcenſio Chriſti in cælum magis nobis vtilis quàm præſentia corporalis fuiſſet. 1mo. quidem quia per eam fides noſtra, quæ eſt de non viſis, augetur: ſpes ſublevatur; per hoc enim quod Dominus IESUS naturam humanam à ſe aſſumptam in cælo collocavit, dedit nobis ſpem illuc perveniendi: charitas erigitur ad cæleſtia, iuxta illud: vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum: creſcit reverentia; dum iam non æſtimamus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed ſecundùm divinitatem reveremur: & damus gloriam in excelſis habitanti. 2do. quia per aſcenſionem viam nobis Dominus noſter ad cælum aperuit ſecundum illud Michææ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Adam primus deſcendit imò lapſus de paradiſo viamq; nobis ſtravit ad mortem & inferos: Adam ſecundus aſcendit, iter ad vitam & cælum nobis apariens. 3tio. quia ſicut Pontifex in veteri teſtamento intrabat in ſanctuarium vt aſſiſteret Deo pro populo; ita &

*Ad Hel: 7.*

Chri-

Christus intravit in cælum ad interpellandum pro nobis. *Ipsa quippe repræsentatio sui quo ad naturam humanam quam intulit in cælum est quædam interpellatio pro nobis.* 4to. quia ascendit vt in cælorum sede velut Deus & Dominus constitutus, illinc divina bona hominibus mitteret. *Ascendit super omnes cælos vt impleret omnia.* scilicet donis suis secundùm Glossam. Amirare divinam bonitatem: gratias age: gaude de gloria Christi Domini: pete fructus enumeratos Ascensionis eius.

*S. Thomas.*

*Ad Eph: 4.*

*Punctum 2dum. Si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum vt vbi ego sum & vos sitis.* Ioann: 14.

Ascensio Christi est causa ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro cui oportet membra coniungi: *Veniam & accipiam vos ad me ipsum?* O verba amoris plena! venit ad nos IESUS Christus in morte nostra & accipit nos ad seipsum: O quot millia hominum iam ad se in cælum accepit! ante ascensionem eius nemo; illuc intravit etiam sanctissimus: post ascensionem patet cuivis aula cælestis. Unde S. Hieron: *Ante Christum Abraham apud inferos: post Christum, latro in paradiso.* Idem. *Flammea illa romphæa custos paradisi & præsidentia foribus*

*In Epitap: Nepotiani.*

*Cherubim, Christi restincta & reserata sunt sangvine.* Vide & admirare Dei misericordiam atq; amorem erga nos: quia propter multam charitatem suam qua dilexit nos, convivificavit & coexcitavit nos, simulq; sedere fecit in cælestibus in Christo IESU. Et hoc ideo vt ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ super nos in Christo IESU vt ait Apostolus ad Ephes 2do. Dicit autem in præterito tempore: *Coexcitavit & consedere nos fecit*: hic enim est mos scripturarum vt interdum futura tempore præterito declinentur. Quæ maior potest esse miseratio & dilectio Dei ad nos, quam quod sicut filium suum vivificavit: sicut filium suum exaltavit, ita & nos sedere, hoc est regnare faciet in cælestibus vna cum filio suo; idq; non ob nostra merita, sed ex mera bonitate sua. Age gratias æterno Patri per filium eius. Age gratias & filio eius IESU Christo quod tibi paradisum reseraverit: quod impedimenta ingressûs eius amoverit, quod tibi locum in cælo paraverit. Tota mente, toto affectu Christum in cælos assumptum sequere; vt commoratio & conversatio tua sit solum cum ipso.

MEDI-

# MEDITATIONES
## De gloria cælesti.
## PRO DOMINICA infra Octavam ascensionis.
### *Amabilis ob gloriam cælestem persecutio.*

PUnctum 1mum. *Absq; Synagogis facient vos.* Non timet privari communione hominum qui Dei communione fruitur: nec turbatur, si nomen suum ejjcitur ab hominibus, qui recogitat copiosam sibi mercedem repositam esse in cælo,propter persecutiones. *Beati estis cum maledixerint vobis homines propter me.* Cogita quanta patiuntur, & in quæ pericula se conijciunt homines propter auram vanæ gloriæ: gloria verò æterna tanti non erit, vt pro ea patienter adversa toleremus? Gratiarum actio pro prædictione adversitatum facta nobis à Christo ex amore nostri. Ioann: 15.

Desiderium patiendi pro Christo. Aspiratio ad gloriam Dei.

*Punctum 2dum. Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* O consolatio! Mittam vobis amicis meis, fratribus meis donum increatum scilicet spiritum veritatis qui veram doctrinam meam revocet in memoriam vestram: qui & ipse vera vos do-

ceat: qui vera vobis gaudia afferat: [qui vos doceat de gloria mea & de gloria vestra quam vobis paraturus vado. Propositum adversa æquanimiter pro Deo & gloria cælesti tolerandi.

Exercitium: *Contemplatio gaudiorum cæli.* Tessera per septimanam quavis die crebrius replicanda, aliqua ex sequentibus:

*Tu dux ad astra & semita sis meta nostris cordibus, sis lachrymarum gaudium, sis dulce vitæ præmium.*

*Recessisti consolator animæ meæ nec valedixisti: ingrediens vias tuas benedixisti tuis nec affui: renuit consolari anima mea, nisi de te dulcedo mea.* S. August:

*Sicut aquila provocans pullos ad volandum ascendisti: quis mihi dabit pennas & volabo, & requiescam apud te.*

## PRO FERIA II.

### *De natura & loco cælestis gloriæ.*

P*Unctum imum.* Gloria cælestis est status quidam æternus, securus, immutabilis & expeditus ab omnibus malis, plenus verò bonis omnibus. Expende singulas excellentias huius statûs: æternitatem, securitatem, immutabilitatem, immunitatem ab omnibus malis, plenitudinem omnium bonorum. Æternitas successio-

nem

nem aut desitionem nescit: securitas nihil timet: immutabilitas detrimentum gloriæ non admittit: plenitudo omniũ bonorum omne prorsus malum excludit, & vniversorum bonorum quæcunq; desiderari possunt affluentiam comprehendit.

O felix status! quis non igitur pro eo consequẽdo omnia contemnat? IESU bone, quando stabo ad videndum te quando contemplabor gloriam regni tui!

*Thomas à Kem: l. 3. de Imit.*

*Punctum 2dum.* Locus cælestis, aut potius supra cælestis, quem Deus in habitationem electorum suorum creavit, est locus clarissimus, vastissimus, temperatissimus, firmissimus, pulcherrimus, amænissimus, deliciosissimus. Expende has singulas proprietates. 1mo. quia est clarissimus: absq; nocte & tenebris vllis perpetua die & luce coruscans. 2do: quia vastissimus; capacitatis immensæ. 3tio. quia temperatissimus; absq; æstate, autumno, hyeme, siccitate, humiditate, & alia insalubri temporum varietate. 4to quia firmissimus; absq; vllo labefactationis aut concussionis periculo, aut ruinæ terrore. 5to. quia pulcherrimus: absq; tribulis & spinis; sed summa amænitate delectabilis. Expende item, locum istum non esse aliquam superficiem necessario ambientem & continentem Sanctos. Corpora enim gloriosa non

indigent contineri à corpore cælesti, cum nihil recipiant ab ipso sed à solo Deo, mediante anima. Unde in Revelationibus S. Birgittæ Christus ipse dicit: *In cælesti gloria non est terra subtus, nec cælum superius sed ego ipse creator omnium, ego sum subtus & supra: ego extra & intra.* O locus amabilis! Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum! concupiscit & deficit anima mea in atria tua. O quando transibo in locum tabernaculi admirabilis usq; ad domum Dei!

*lib: 6.c.27.*

## PRO FERIA III.

### *De societate Sanctorum in cælis.*

PUnctum imum. Societas & communio cælitum inter se, est supra captum nostrum iucunda. omnes enim sunt festivi atq; gaudentes: omnes pulcherrimi absq; macula, absq; ruga, absq; defectu omni. Omnia bona in omnibus cum perfecta charitate. Cuncti ornati stolis albis & palmas tenentes. Stolæ albæ lætitiam ac beatitudinem designant: palmæ, victoriam & triumphos. O quæ & quales palmæ illæ? quales stolæ? quo purius & pretiosius lavacrum, in quo tinguntur panni, eo hi pulchriores & cariores. Quid purius quid pretiosius sanguine Agni in quo SS. stolas suas dealbaverunt? Percurre mente cho-

ros Angelorum omniumq; spirituum cælestium: ordines item Patriarcharum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sacerdotum, Eremitarum, Virginum, Sanctarumq; mulierum & recogita quanta sit felicitas in tali consortio præsentem Dei vultum cernere & perpetuæ incorruptionis munere lætari. Aspira identidem ad hanc societatem: Mater sancta Hierusalem, Civitas Dei, quàm pulchra es & quàm decora in delicijs tuis! Gloriosa dicta sunt de te: sicut lætantium omnium habitatio in te. O quando vota mea confessiones & laudes reddam in conspectu populi tui Hierusalē!

*Punctum 2dum.* Expende quàm iucunda sit familiaritas & consuetudo inter Sanctos adhuc in terris degentes vti fuit inter S. Antonium & S. Paulum Patrem nostrum: vti fuit inter S. Thomam & D. Bonaventuram, inter Basilium & Gregorium Naziansenum, & alios multos. Si tam suavis societas Sanctorum in terris: qualis putas in cælis erit? describit eam Augustinus in meditationibus metricè:

*Clari, vividi, iucundi, nullis patent casibus.*
*Absunt morbi semper sanis, senectus iuvenibus.*
*Hic perenne tenent esse: nam transire transiit.*
*Inde virent, vigent, florent: corruptela corruit.*
*Immortalitatis vigor, mortis ius absorbuit.*

*Qui ſcientem cuncta ſciunt, qui neſcire nequeunt.*

*Nam & pectoris arcana penetrant alterutrū.*

*Vnum volunt, vnum nolunt: vnitas eſt mentiū.*

*Avidi & ſemper pleni quod habent deſiderant:*

*Non ſatietas faſtidit, neq; fames cruciat.*

*Novas ſemper harmonias vox meloda concrepat:*

*Et in iubilum prolata mulcent aures organa.*

*Digna, per quem ſunt victores, Regi dant præconia.*

Regina Saba anima converſa, anima fidelis bene ſeipſam & ſenſus corporis regens, quomodo non deficis conſiderando ordinem, venuſtatem, ornatum, & habitacula miniſtrorum Salomonis cæleſtis! Beati ſervi tui Domine, qui ſtant coram te ſemper. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te!

## PRO FERIA IV.

### *De gloria animæ cuiuſq; beati.*

PUnctum imum. Gloriam animæ beatæ per tres eiuſdem ſpirituales facultates diſcurrendo expende. In primis expende gloriam memoriæ, quæ ita immergetur in abyſſum divinitatis, & ita erit plena Deo vt non poſſit eius obliviſci, aut ad rem aliquam ſine eo divertere. Continuo recordabitur beneficiorum & grati-

gratiarum omnium à Deo acceptarum atq; exinde exultabit & gestiet ad iuges Deo laudes, gratiasq; persolvendas. Accedet & illud bonum memoriæ, quia omnia ab orbe condito gesta, omnes omnium sæculorum historias complectetur. Quis ergo illam vanis occupare velit, atq; ad divina ruminanda seriò applicare abnuat, quam confidit talibus donis à Deo munerandam.

*Punctum 2dum.* Expende gloriam intellectûs ex clara visione Dei. Et 1mo quidem videbit facie ad faciem SS. Trinitatem: & cognoscet quomodo Pater Filium generat: & vterq; Spiritum Sanctum spirat: & quomodo tres personæ vnus sunt Deus. 2do. videbit omnes divinas perfectiones: sapientiam, bonitatem, charitatem, &c. 3tio. videbit altissima mysteria Incarnationis, & stupenda humanitatis Christi opera. 4to. videbit clarè secreta Dei iudicia circa hominum gubernationē. Accedet & illud bonum intellectûs quia omnes scientias tam naturales quàm supernaturales perfectissimè callebit, omnes rerum naturas vires ac proprietates noscet. Infimus beatorum plura sciet & exactius intelliget quàm Adam vel Salomon sapientissimus. Revela oculos meos Domine & considerabo mirabilia de lege tua; vt postmodum in cælo considerem

mira-

mirabilia de divinitate tua. Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me iustificationes tuas, per quas nunc iustificer, postea glorificer.

*Punctum 3tium.* Expende demum gloriam voluntatis quæ erit quoq; plena Deo, eiq; vnione perpetuâ arctissimè coniuncta. Ex tota fortitudine sua Deum diliget vt Patrem & amicum, vt sponsum & vltimum finem suum. Exquo 1mo. inexplicabiles voluptates percipiet. 2do. plenam satietatem omnium desideriorum & appetitionum obtinebit. 3tio. nullam contradictionem internam aut externam experietur. Quis ergo abnuat suam hic abnegare divinoq; conformare beneplacito voluntatem, quam sperat sine vllo fastidio inebriandam torrente voluptatis divinæ. Propositum. Exercitium. Tessera vt supra.

## PRO FERIA V.

### *De gloria corporis cuiusq; beati.*

PUnctum 1mum. Gloria corporis cuiusq; beati in duobus potissimum consistit, videlicet in dotibus & in sensuum delciijs. Expende imprimis 4. dotes corporis gloriosi. 1ma dos claritas cum ineffabili pulchritudine: per quam iusti fulgebunt sicut sol ad similitudinem corporis Chri-

*Quatuor dotes corporis gloriosi.*

Christi Domini. Tunc vulnera quæ quis in hac vita pro Deo accepit, erunt tanquam gemmæ pretiosæ: tunc tota structura corporis proportionem & harmoniam habebit admirandam: quantoq; quis beatior erit, tanto magis hæc habebit. 2da dos impatibilitas seu immortalitas impatibilis, per quam Sancti nullum sentient dolorem, aut infirmitatem: non nocebit illis ignis & aqua· semper erunt in tali vigore qui nullum detrimentum patietur. 3tia agilitas seu celeritas, per quam poterunt ab vno loco in alium quantumvis remotissimum instar scintillæ aut fulguris sine vlla defatigatione aut mora discurrere. 4ta dos est subtilitas per quam poterunt cælos penetrare, & quodvis aliud corpus sine impedimento. Quis hæc expendens ad maiorem Dei amorem non accendatur & ad mortificandam carnem non excitetur.

*Punctum 2dum.* Expende postea delectationem 5. sensuum quam percipient beati ex proportionatis sibi obiectis. 1mo. visus ex aspectu tot glorificatorum corporum maximè Christi Domini & Beatissimæ Virginis Matris. 2do auditus ex mutuo colloquio vnanimiq; concentu & laude Dei, nec non ex dulci concentu & sono orbium cælestium. 3tio. odoratus ex

suavil.

ſuaviſſimo glorioſorum corporum maximè Chriſti Domini & Beatiſſimæ Virginis odore. 4to. guſtus ex quodam nectare cælico & perenni ſuavitate ac ſatietate quam abſq; fame & faſtidio palatum ſentiet. 5to. tactus ex convenientiſſima ſibi cæleſtis paradiſi temperie, voluptatumq; totum corpus afficientium vbertate. Ad hæc audita inardeſcit animus cum corpore meo, iamq; illic cupit aſſiſtere vbi ſe ſperat ſine fine gaudere. Deus Deus meus, ſitivit ad te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea! Propoſitum. Teſſera. Exercitium vt ſupra.

## PRO FERIA VI.

### *De gaudio quod percipiet vnuſquiſq; electus ex aliorum gloria.*

*Sanctorũ in cælis multitudo, qualitas. Ordo.*

PUnctum 1mum. Expende quam ingenti gaudio perfruiturus ſit quivis beatorum de aliorum beatitudine. 1mo quia illorum numerus erit multus & planè infinitus. 2do quia qualitas eorum erit gratioſiſſima: omnes enim erunt nobiliſſimi, Sanctiſſimi, affabiliſſimi, ſpecioſiſſimi. 3tio. quia ordinem inter ſe habebunt admirabilem: neq; etenim erunt æquales, ſed diverſitatem habebunt in pulchritudine & claritate iuxta gradus meritorum diverſos: aliam eminentiam habebunt Angeli,

geli, aliam Archangeli, aliam Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim, Doctores, Sacerdotes, Religiosi, Virgines, Viduæ, & sic de cæteris. 4.to. quia in tanta multitudine & varietate diligent se mutuo, & vnusquisq; alterum velut se ipsum perfectè diliget, accedente summa voluntatum consensione, absq; vlla repugnantia, ambitione aut invidia. O societas beata, in qua nec multitudo confundit, nec excellentia inflat, nec turbat varietas, nec inæqualitas affert dissensionem, aut amorem remittit! Si placet tibi anima mea adeo dulcis societas, crebro ad eam aspira; vtq; illi aggregeris, virtutes ipsius imitare.

*Mutua dilectio.*

*Punctum 2dum.* Expende quantò maius gaudium percepturus sit quivis electus ex eminentiore Beatissimæ Virginis Deiparæ tam in anima quam in corpore gloria, quæ aliorum beatorum non solum divisim, sed etiam collectim sumptam gloriam superat. Quanto insuper abundantius habiturus sit gaudium de immensa sanctissimæ humanitatis Christi Domini tam quoad animam, quam quoad corpus gloria, quæ non solum beatorum omnium, sed etiam ipsius Beatissimæ Matris infinitis penè modis transcendit beatitudinem.

*Gaudium de Gloria V. Beatissimæ.*

*De Gloria Christi Domini.*

O JESU & MARIA, dulces amores mei patiar ego, moriar ego amore vestri; totus sim vester nullus meus.

*De gloria SS. Trinitatis.* *Punctum 3tium.* Expende quanto demum sublimius gaudium habiturus sit quivis electus ex infinita & incomprehensibili gloria ipsius Sanctissimæ Trinitatis; quæ eminentissimè omnium beatorum felicitatem in se continet. Et quidem tantò sublimius erit gaudium cuiusq; beati, quantò sublimius & amplius Creatorem hîc præ omnibus creaturis diligit. Quam ergo purè, ardenter, constanter à nobis colendus, diligendus, & glorificandus Deus, ex cuius visione inæstimabilem lætitiam nos percepturos speramus. Propositum. Exercitium vt supra.

## PRO DIE SABBATI.

### *De æternitate cælestis gloriæ.*

PUnctum imum. Æternitas est *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* *Æternitas quid?* Quare nulla datur in æternitate successio, non it annus post annum, non dies post diem, non hora post horam, sed omnia simul habentur. Non datur item in æternitate finis. *In æternitate nec successio, nec finis datur.* Cogita mille annos: decem, viginti, quinquaginta, centum millia: cogita mille millia annorum: quot sunt in vniversa terra minutissimæ arenæ, quot guttæ in oceano, quot gra-

mina

mina in campis, quot folia in arboribus: ſint licet tot annorum myriades; nihil tamen per eas æternitati accedet aut decedet. O anima mea ſuſpira ſemper ad æternitatem beatam!

*Punctum 2dum.* Pone tibi ob oculos omnia, quæ dicta ſunt de natura, loco, ſocietate gloriæ cæleſtis: item quæ dicta ſunt de gloria animæ & corporis beatorum; & expende ſingillatim cuncta fore æterna. In hac mortali vita diuturnum nihil eſt. Voluptates, divitiæ, honores, familiaritates, omnia deniq; velociter tranſeunt; ſed in cæleſti gloria, & ſtatus æternus, & ſocietas æterna, & gaudium animæ æternum, & dotes corporis æternæ; vniverſa ſine fine duratura, idq; abſq; vllo faſtidio & moleſtia. In hac vita & ſi grata quies, tamen niſi motu & agitatione interpoletur moleſtiam ac putrefactionem corporis adducit: at quies æterna nullam moleſtiam pariet, imò appetentiam ſui & novitatem quandam æternam procreabit. O quam vani ſunt filij hominum in delicijs ſuis, qui pro vnica momentanea voluptate vendunt æternam. O æternitas beata, quàm raro verſaris in mentibus hominum! Propoſitum. Exercitium. Teſſera vt ſupra.

# MEDITATIONES De Spiritu Sancto.

## PRO DOMINICA Pentecostes.

### *De circumstantijs adventus Spiritus Sancti.*

PUnctum 1mum. In Festo Pentecostes cum essent Apostoli cum Beatissima Virgine & multitudine discipulorum pariter in eodem loco, factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum.

*Cur Spiritꝰ S. venit in die Pētecostes.*

Considera 1mo. Spiritum Sanctum in die Pentecostes, id est in festivitate constituta in memoriam datæ legis venisse, vt per hoc daretur intelligi, quia ille venit ad imprimendam cordibus memoriam novæ legis datæ à Christo.

*Cur repente.*

Considera 2do. repente venisse, quia nescit tarda molimina Spiritûs S. gratia.

*Cur in sono.*

Considera 3tio. venisse in sono seu vento: quia Spiritus S. mundat animas, separans à tritico virtutum paleas vitiorum; quia item hominem vivificat, recreat, & refrigerat ab æstu libidinoso.

*Cur in vehementi sono.*

4to. venisse in vento vehementi ad notandam potentiam quâ Spiritûs S. conversiones peccatorum, & in iustis virtutes varias operatur.

*Cur repletā totam domum.*

Considera 5to. repletam esse totam domum ad

exprimendum. quòd ad quem Spiritûs S. ingreditur, omnes facultates eius donis suis implet: memoriam implet sanctis cogitationibus, intellectum pijs discursibus, voluntatem ferventibus affectibus, passiones honestis appetitionibus, totum hominem cælestibus virtutibus. Invoca Spiritum S. & pete vt veniat in te cum donis & fructibus suis, teq; confirmet in amore Dei.

*Cur in forma ignis?*

*Punctum 2dum. Et apparuerunt illis dispertitæ lingvæ, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum.* Considera 1mo. Spiritum S. apparuisse in forma ignis ad significandum quod sicut ignis purificat, illuminat, accendit, in altum tollit, & transformat in se quidquid ipsi coniungitur: ita quoq; Spiritus Sanctus eosdem effectus in anima operatur. Considera 2do. apparuisse in figura linguarum non cordium: quia Spiritus S. dabatur Apostolis, vt non tantum amarent, sed etiam vt suis linguis Christi legem passionem & mortem ac resurrectionem prædicarent. Considera 3tio. illud. *Sedit supra singulos eorum* per quod insinuatur quia Spiritus S. ita venit ad nos, vt super nos sedeat, hoc est, perpetuò quiescat numquam recessurus nisi nos illum expellamus. S. Bonaventura sic meditatur: *Spiritus Sanctus apparuit*

*Cur in figura linguarum.*

*Cur sedit?*

*in igne vt calefaceret frigidos & in linguis vt doceret ignaros, & in sono vt terreret rebelles.* Invoca Spiritum S. Ora vt te frigidum calefaciat: ignarum doceat: tepidum salutari timore concutiat: vtq; perpetuo in te velut in templo suo maneat. Propositum custodiendi fervorem spiritus. Exercitium *fervor spiritus.* Tessera per septimanã frequenter repetenda eligatur.

*Veni creator Spiritus: imple superna gratiâ quæ tu creasti pectora.*

*O lux quæ illuminas omnia tota simul, semel & semper, absorbe me in tuæ claritatis abyssum vt videam vndiq; te in te, me in te & cuncta sub te.* S. August: in soli.

*Da mihi te Deus meus: te enim amo, & si parum est, amem validius. Currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui.* Aug: lib: 13. Confess.

## PRO FERIA II.

### *De nominibus Spiritûs Sancti.*

*Tertia persona SS. Triadis nõ habet peculiare nomen.*

PUnctum imum. Considera 1mo quòd tertia persona Sanctissimæ Trinitatis procedens per modum amoris non habet proprium & peculiare nomen. *Deum enim nominare sicut & cognoscere non possumus nisi ex creaturis: & quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per gene-*

ratio-

*rationem, processio in Divinis non habet proprium vel speciale nomen nisi generationis. Unde processio, quæ non est generatio remansit sine nomine: sed potest vocari,* & vo*catur spiratio, quia est processio Spiritus.* Considera 2do. Quamvis persona procedens per modum amoris, non habeat peculiare nomen, ex vsu tamen Ecclesiæ & scripturæ accomodatur & appropriatur ei nomen Spiritûs Sancti & quidem convenientissimè. *Quia nomen Spiritûs in rebus corporeis impulsionem quandam & motionem significare videtur; nam flatum & ventum, Spiritum appellamus: est autem proprium amoris quod moveat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis attribuitur quæ in Deum ordinantur. Quia igitur tertia persona divina procedit per modum amoris quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur.* S. Thom: 1. p. q. 36. art: 1.

*Ex vsu Ecclesiæ vocatur Spiritus.*

*Nomen Spiritûs in rebus corporeis quid significat?*

*Punctum 2dum.* Jtem Spiritus S. vocatur estq; amor tripliciter iuxta meditationem S. Bonav: essentialiter, personaliter, & exēplariter. Essentialiter vt Deus, personaliter vt persona, exemplariter vt exemplar amoris nostri: sicut enim ipse est amor Patris ad Filium, & vicissim Filij ad Patrem; ita in nobis omnis amor debet esse ex Deo, & ad Deum ordinari. Quia

*Item vocatur amor.*

verò amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur, ideo namq; damus aliquid gratis alicui, quia ei bonum volumus, atq; sic primum quod ei damus est amor ipse; quo ei bonum volumus: ideo Spiritus S. cum procedat vt amor, procedit etiam velut *donum primum*. atq; idcirco etiam *Donum Dei* appellatur. Est Spiritus S. Donum Dei ad intra: quia Pater dat eum Filio, Filius dat eum Patri, dum se mutuo diligunt per Spiritum S. Est donum ad extra: quia se nobis in donis & fructibus suis communicat.

*Item donū Dei.*

*Punctum 3tium.* Vocatur insuper Dexteræ Dei Digitus: quia vt ait S. Bonav: *Sicut corporales res digito demonstrantur, ita per Spiritum S. ostenduntur res spirituales oculo spirituali.* Item dicitur Paracletus, id est consolator: quia consolationes cælestes mentibus instillat. Vocatur etiam Paracletus ideò, quia est amor: amor autem facit consolationem & gaudium: & alia quæ ipsi appropriantur, ex eo quia est amor, derivantur nomina. *O Creator Spiritus move semper voluntatem meam, imò etiam rebellem impelle ad Deum: dirige & ordina me meaq; omnia: & fac me firmiter ac mundo corde adhærere bono incommutabili. O amor qui semper ardes accende me,*

*Dexteræ Dei digitus.*

*Paracletus.*

*Affectus.*

totum

*totum me occupa, totum absorbe; vt nulla pars mei vanis pateat amoribus. O complexus o suavitas, o nexus Patris & Filij ita me coniunge Deo, vt nihil me possit ab eo separare. O donum primum, donum increatum, donum immensum: da te mihi Deus meus! O Pater æterne rogo te mitte mihi in nomine Filij tui donum hoc à te Filioq; tuo procedens personaliter: mitte mihi, & magnalia tua prædicabo; mitte mihi & cor meum, ac lingua mea ardebit amore tuo; mitte mihi & tota domus animæ meæ replebitur maiestate tua. O digitus Paternæ dexteræ, ne quæso scribas contra me decretum æternæ damnationis, sicut contra Regem Balthasar scripsisti sed scribe me in libro vitæ. Ostende mihi viam per quam ambulem, & da gloriam in loco cælesti. O Paraclete! o consolator optime, o dulcis hospes animæ! o dulce refrigerium verte mihi omnem amaritudinem in consolationem. Consolationes tuæ in hac lachrymarum valle lætificent animam meam antequam ad illud cæleste plenum gaudium intrare liceat.*

## PRO FERIA III.

### *De prædicatione & irrisione Apostolorum ipso die Pentecostes.*

PUnctum 1mum. *Repleti Spiritu Sancto Apostoli cæperunt varijs linguis loqui*

*magnalia Dei.* Conſidera 1mo. poſt acceptum Spiritum Sanctum Apoſtolos incæpiſſe loqui: quia Spiritus S. non vult ſua talenta defodi in terram, ſed ſtatim in ſalutem animarum promi. Conſidera 2do. varijs linguis locutos fuiſſe ad varias gentes tunc Hieroſolymis congregatas cathechiſandas & in fide inſtruendas. Conſidera 3tio. locutos eſſe magnalia Dei. Nam quilibet Spiritus movet ad loquendum quæ ſua ſunt: Spiritus mundi movet ad loquendum de mundo: ſpiritus carnis de carnalibus: ſpiritus ſuperbiæ, de proprijs excellentijs: ſpiritus divinus de miſericordia, iuſtitia, alijſq; magnalijs divinis. Loquere & tu quæ decent ſanam doctrinam: loquere magnalia Dei; vt pateat ſpiritum S. habitare in corde tuo velut directorem lingvæ tuæ. Conſidera 4to. omnipotentiam qua ſubitò Apoſtolos ex rudibus piſcatoribus ſapientiſſimos Sancti Evangelij præcones reddidit: ex imperfectis & timidis perfectos & fortes ad ſubeundam mortem effecit. O quam mirabilis artifex Spiritus iſte!

*Pro varietate ſpirituū motorū lingvæ varia loquela.*

*Punctū 2dū.* Apoſtoli prædicātes ab aliquibus ſuſpiciebātur & audiebātur, ab alijs irridebātur & mero pleni iudicabātur: quos S. Petrus modeſtè ad monens prænuntiatā in vaticinio Ioelis effuſionem Spiritus S.

hodie

hodie impletam esse deduxit non absq; copioso fructu. Considera 1mo. quod nunquam desint mali homines, qui bonos irrideant, carpant, & vexent. Considera 2do. Quàm necessaria sit vero animarum zelatori tolerantia irrisionum, oblocutionum, persecutionum, etiam tunc quando speratus non sequitur fructus. Considera 3tio. energiam verborum S. Petri ex motu Spiritûs Sancti prodeuntium: quorum virtute tria millia hominum, prima vice in Christum crediderunt: altera, quinq; millia. O vis immensa Spiritûs S. in corda obduratissima! Propositum. Exercitium. Tessera sumatur ex hesterna die.

## PRO FERIA IV.

### *De triplici poculo Spiritus Sancti.*

P*Unctum 1mum.* Tria vt habetur in revelationibus S. Mechtildi factis, operatus est Spiritus sanctus in Apostolis. 1mo. ita eos permutavit virtute sua divinâ; vt de timidis & infirmis & sui amantibus facti sint fortes & adversorum ac mortis ipsius tolerantissimi, imò inter opprobria & supplicia gaudentes. 2do. sicut ignis ferrum à scoria purgat, ita Spiritûs S. Apostolos ab omni sorde purificavit & ad plenum sanctificavit. 3tio. sicut aurum igne liquatum cuicunq; formæ in-

fundatur, eius imaginem in se repræsentat; ita Spiritus S. Apostolos igne sui amoris liquefactos imagini divinæ conformavit iuxta illud: *Ego dixi dij estis.* Et nos hæc tria à Spiritu S. petere debemus, vt nimirum nos de infirmis fortes & animosos in adversis faciat: vt ad plenum purificet: vt conformet imagini divinæ; sic fiet mutatio dexteræ excelsi in nobis.

*Punctum 2dum.* Jn ijsdem revelationibus habetur quod Spiritus S. tria pocula obtulit Apostolis. In 1mo propinavit ipsis vinum amoris divini, quod effecit, vt plane sui ipsius obliti sint, nec vllum commodum suum, sed solam Dei gloriam quæsierint. In 2do merum divinæ consolationis & dulcedinis præ qua desipuit ipsis omne mundanum gaudium. In 3tio nectar amoris cælestium: quo quasi inebriati cælestia & cælestium conditorem per mille mortes quærebant. Pete quoq; tu hæc pocula à Spiritu divino, vt ab vbere consolationis eius repletus non amplius terrenas iucunditates desideres.

## PRO FERIA V.
### *De donis Spiritu Sancti.*

P*Unctum 1mum.* Dona Spiritûs Sancti sunt habitus supernaturales quibus homo perficitur ad promptè obediendum instin-

inſtinctui divino. Et ſunt ſeptem: donum ſapientiæ, donum intellectûs, donum ſcientiæ, donum conſilij, donum pietatis, donum fortitudinis, donum timoris Domini. Per quatuor priora perficitur intellectus hominis ad cognoſcendam ſpeculativè & practicè veritatem divinam; per tria poſteriora perficitur voluntas ad vivendum iuxta veritatem divinam. Per donum intellectus penetramus ea quæ ſunt ſupra captum noſtrum. Per donum ſapientiæ, rectè iudicamus de Deo. Per donum ſcientiæ, humana ad fidem pertinentia cognoſcimus per cauſas. Per donum conſilij, dirigimur quid agendum quid omittendum ſit. Pietas miſericordes nos facit: fortitudo animoſos inter pericula mortis pro fide & juſtitia: timor declinantes à malo. Confitere coram Deo debilitatem intellectus & voluntatis tuæ. Intellectus facilè errat: voluntas facilè labitur: ac proinde dona Spiritus S. humiliter pete.

*Quæ vitia oppoſita donis Spiritûs S.*

*Punctum 2dum.* Conſidera contra quæ vitia dentur prædicta dona à Spiritu S. Nam vt ait D. Gregorius 2. Moralium. *Dat Spiritûs S. ſapientiam contra ſtultitiam, intellectum contra hebetudinem, ſcientiam contra ignorantiam, conſilium contra præcipitationem, fortitudinem contra timorem,*

pieta-

*pietatem contra duritiam, humilitatem seu timorem Domini, contra superbiam.*

*Necessitas donorum Spiritûs S.* Considera deinde necessitatem horum donorum. Psalmo enim 142. dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* quia scilicet vt S. Thomas explicat, *in hæreditatem terræ illius beatorum, nullus potest pervenire nisi moveatur & deducatur à Spiritu S. per dona sua.* Quàm igitur frequenter orare debemus, vt hæc dona dentur nobis. Ora nunc etiam, crebroq; ora & sine dubio Pater cælestis dabit Spiritum bonum cum charismatibus suis tibi timenti se.

## PRO FERIA IV.

### *De fructibus Spiritus Sancti.*

PUnctum imum. Fructus Spiritûs S. sunt actus virtute Spiritûs S. procedentes ab homine habentes in se perfectionem ac suavitatem. Operatio enim hominis si procedit secundùm facultatem rationis, vocatur fructus rationis; si verò procedit ab hominem secundum virtutem Spiritûs S. vocatur fructus Spiritûs S. quasi cuiusdam divini seminis. Numerantur autem 12. fructus Spiritûs S. ad Galatas 5. *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Modestia, bonitas, benignitas, Mansuetudo, Fides, Continentia, Castitas.*

Consi-

Considera ideo hæc vocari fructus Spiritus S. quia sicut in corporalibus fructus est, id quod ex planta vel semine productum, ad suam perfectionem pervenit & habet in se suavitatem: ita actus præfati Spiritûs S. virtute à nobis eliciti perfectionem in se habent & svavitatem. Suavis est charitas, suave gaudium, pax, patientia, &c. Ama hos fructus quia dulces sunt gutturi nostro spirituali.

*Punctum 2dum.* Fructibus enumeratis contrariantur opera carnis in eadem epistola ad Galatas recensita, quæ sunt: *Fornicatio, immunditia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, dissensiones, animositates, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes.* Ex fructibus arbor cognoscitur. Examina te an Spiritûs S. cum suis fructibus, an spiritus malus in te habitet cum carnis operibus: & convenientes affectus elice.

*Opera carnis cõtraria operibus seu fructibus spiritûs.*

## PRO DIE SABBATI.

### *De missione Spiritûs Sancti.*

PUnctum imum. *Paraclitus autem Spiritûs S. quem mittet* Pater *in nomine meo.* Et: *Paraclitus autem Spiritus S. quem ego mittam vobis à Patre.* Missio in divinis duo importat: processionem divinæ personæ ab altera, & aliquem effectum tempo-

*Missio dicit: processionem & effectum aliquẽ tẽporalem.*

temporalem in creatura rationali. Quia ergo & Pater mittit Spiritum S: & Filius mittit eundem; sequitur quod procedit ab vtroq;. Pater autem ut advertit August: lib, 2. de Trinitate cap: 5. *Nunquam legitur esse missus quia a nullo procedit.*

*Punctum 2dum.* Missio inquantum importat effectum aliquem temporalem, duplex est: alia visibilis qualis fuit missio Filij Dei in carne humana ad nos venientis, & missio Spiritûs S. in speciè visibili linguarum in Apostolos descendentis: alia invisibilis, quæ fit absq; vlla specie visibili: & hæc in qualibet collatione gratiæ sive primæ sivæ secundæ nobis contingit. Expende hic amorem Dei erga nos immensum, quando & Filium suum & Spiritum S. in causa salutis nostræ mittit. Gratias age: precare Patrem & Filium vt mittant tibi Spiritum S. qui admirabiles in anima tua operetur effectus.

*Missio duplex.*

# MEDITATIONES
## De Sanctissima Trinitate: & Sacramento Eucharistiæ.
## PRO FESTO SS. TRINITATIS.
### *Deus vnus & trinus: conditor hominis.*

*Pun-*

PUnctum imum. Dominus Deus noster vnus est in natura, trinus in personis, Pater, & Filius, & Spiritus S. hoc est, sunt in divinis tres personæ inter se distinctæ; vna Deitatis natura, vna omnipotentia, æternitas, gloria, Maiestas, & cætera, quæ in Symbolo D. Athanasij habentur. Considera ab intelligentia nostra mysterium SS̃mæ Trinitatis absconditum esse vt cognoscentes ignorantiam nostram, captivemus intellectum in obsequium fidei & per fidem mereamur. Te invoco o Beata Trinitas Pater, Filius & Spiritûs S. Deus, Dominus, Paracletus: Genitor, Genitus, Regenerans: Verum lumen, ex lumine vero, vera illuminatio: Fons, flumen, irrigatio: à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia: Vivens, vita, viventium vivificator: tu es Deus & non est alius præter te. S. Augst: in medit.

*Affectus.*

*Punctum 2dum.* Hic Deus vnus & trinus creavit hominem ad similitudinem suam. Nam sicut in SS̃ma Trinitate vna est natura divina & tres personæ distinctæ: sic in homine vna est anima spiritualis, & tres spirituales potentiæ, memoria, intellectus, & voluntas. Etiam processionum divinarum datur in homine similitudo. Nam in eo procedit verbum

*Imago SS. Trinitatis in homine.*

cordis

cordis per intellectum, & amor procedit per voluntatem. Eiusdem Sanctissimæ Triadis est quoque in creaturis irrationalibus vestigium seu imperfecta similitudo quoad naturam divinam, inquantum apparet in illis intellectus producens: iam verò quoad tripersonalitatem, in quantum habent principium, speciem, ordinem. Principium Patrem, species sapientiam Patris, hoc est Filium, ordo quo quævis creatura ordinatur in bonum, monstrat amorem spiritum S. Quare ex omnium creaturarum conspectu excitanda est memoria, laus, amor SS. Trinitatis.

*Punctum 3tium.* Hic idem vnus Deus & trinus peculiariter hominem ex gratuita bonitate & misericordia sua respexit & adamavit: Pater quidem creando illum, dotando, conservando. Filius redimendo, merita illi sua applicando, in cohæredem regni adsciscendo, Sanctissimæ Eucharistiæ participationem dando: Spiritus S. vocando, iustificando, tot donis ornando, dono perseverantiæ coronando. Adverte hic quod licet quidam effectus peculiariter singulis personis approprientur: tamen quidquid ad extra vna persona operatur, etiam aliæ inseparabiliter & indivisibiliter operantur. Elice actus fidei, laudis, adorationis Sanctissimæ Trinitatis

& de-

& desiderij videre eandem. Propositum versiculum. *Gloria Patri*, in officio divino devotè ac reverenter recitandi, similiter hymnum *Te Deum laudamus* post sacrificium Missæ vel tempore opportuno.

Exercitium? *Cultus specialis Sanctissimæ Trinitatis & desiderium videndi ipsam.*

Tesseræ crebrius repetendæ diebus festivitatem Corporis Christi antecedentibus:

*Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.*

*Te invoco o Beata Trinitas, vt venias in me & me templum facias dignum gloriæ tuæ.* S. August in meditat.

*Deus immense à quo omnia: per quem omnia, in quo omnia, custodi me opus manuum tuarum.* S. August: ibid.

## PRO FERIA II.

### Post Festum Sanctissimæ Trinitatis.

### *Baptismus & signum crucis fit in nomine Sanctissimæ Trinitatis.*

PUnctum imum. *Data est mihi omnis potestas. Euntes ergo docete omnes gentes baptisantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Considera imo bonitatem & amorem Christi erga nos: totam enim potestatem suam dirigit ad salutem hominum. Et tu quidquid potesta-

*Omnis potestas ordināda ad Dei gloriā & proximi vtilitatem.*

tis habes, ad gloriam Dei & hominum vtilitatem dirige. Considera 2do. baptismum fieri in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. quia opera Sm̃æ Trinitatis sunt indivisibilia ad extra. Quidquid Pater operatur, etiam Filius, etiam Spiritus S. inseparabiliter operantur. Considera 3tio dici *in Nomine Patris, &c.* non in nominibus, ad ostendendum vnam esse trium personarum divinarum substantiam. Adora Sanctissimam Trinitatem, gratias age Christo Domino pro manifestatione huius mysterij quod antea in veteri testamento fuit absconditum.

*Punctum 2dum.* Eadem verba *in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* adhibentur à nobis dum signum S. crucis facimus: quia nimirum tota Sanctissima Trinitas per crucem & mortem Christi Domini salutem nostram operata est: & quidquid virtutis habet crux, aut signum crucis, totum habet à Sanctissima Trinitate. Et ideo etiam tribus digitis imprimendum esse signum S. crucis docet Innocentius Papa ad significandum mysterium Sm̃æ Trinitatis. per tres quippe digitos intelliguntur tres personæ, iuxta illud: *Qui tribus digitis appendit molem terræ.* Expende hîc necessitatem crebræ impressionis signi Sanctæ crucis. Nam per eam & con-

*Innocentius lib: 2. c. 44. de Sacramẽto altaris.*

*Tribus digitis crux formãda.*

& confitemur toties quoties Sanctissimam Trinitatem: & contra omnia mala armamur. Frequentem vsum signi sanctæ crucis inculcant nobis Sancti Patres. Cyrillus ait: *In fronte confidenter crucis signaculum imprimatur, in panibus comedendis, in poculis bibendis in egressu*, in ingressu: ante somnum: recumbendo & surgendo: eundo & quiescendo. Et Hieronymus. *Ad omnem actum ad omnem incessum manus pingat crucem.* Examina te an crebro & cum qua reverentia signum crucis facere soleas?

*Crebro formāda.*

## PRO FERIA III.

### *De processione divinarum personarum.*

PUnctū mnū. Expende 1mo. etiā in veteri testamento mentionē fieri SSm̄æ Trinitatis sed subobscure. Nam Gene: 1. dicitur: *In principio Deus creavit cælum & terram: & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nomine Dei intelligitur persona Patris: nomine principij intelligitur Filius, sicut ipsemet in Evangelio *se principium dicit:* Nomine Spiritus Domini intelligitur persona Spiritus S. In psalmo etiam dicitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et apud Ezechielem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabbaoth.* triplex repe-

*Duæ processiones in divinis.* titio sancti ad tres personas refertur. Expende 2do. duas tantū esse processiones in divinis: duæ enim tantùm sunt actiones immanentes in natura intellectuali, scilicet intelligere & velle, secundùm quas fiunt processiones in Deo ad intra: vna processio fit per intellectum, & hæc vocatur generatio; altera per voluntatem & hæc vocatur spiratio.

*Punctum 2dum.* Considera Deum esse primum ens, & verum & summe bonum: à quo omnis entitas, veritas, & bonitas profluit. Inquantum ergo est primum ens, & actus purus, intelligit: deinde inquantum est verum ens, seipsum intelligit, & intelligendo producit verbum de sua substantia, communicando ei totam substantiam suam: & quia eiusmodi productio fit secundùm naturam, ideo verbum productum dicitur filius Patris dicentis generantisq;. Præterea quia Pater novit se in filio non solum èsse verum ens sed etiam summè bonum ideò diligit se in filio diliguntq; se mutuo Pater & filius, & sic se diligendo spirant summa virtute Spiritum Sanctum communicando ei totam essentiam suam per spirationem. Rogo Patrem per Filium: rogo Filium per Patrem: rogo Spiritum S. per Patrem & Filium vt omnia vitia elongentur à me & omnes virtutes plantentur in me. S. Aug: in meditat.

*Pannonius in Apocal: caput 4. sect: 2. puncto 4.*

*Punctum 3tium.* Considera in Deo nullam esse distinctionem & diversitatem excepta distinctione personarum. Quare licet tres sint personæ, vnus tamen Deus: quia omnes tres personæ vnum sunt in natura, in omnipotentia, sanctitate & in omnibus alijs attributis. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt.* Adora Sanctissimam Trinitatem, confitere Patrem à nullo procedere, Filium à Patre, Spiritum S. ab vtroq; gratulare quod Deus posuit tenebras latibulum suum & lucem habitat inaccessibilem, vt non possit à nobis nisi per fidem cognosci, nec à beatis possit comprehendi. Propositum & Tessera vt supra.

*Excepta distinctione personarũ nulla in Deo diversitas.*

## PRO FERIA IV.

### *De imagine Sanctissimæ Trinitatis in nobis.*

PUnctum 1mum. *Dixit Deus faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Considera hominem non secundùm corpus, sed secundùm animam factum esse ad similitudinem Dei. & quidem ad similitudinem totius Sanctissimæ Trinitatis, quod ex voce *nostram* colligit Augustinus. Similitudo autem hæc in eo stat quòd anima hominis habeat etiam

*Genes: 1.*

*Lib: 2. de Trin: c. 2.*

suam trinitatem, videlicet: memoriam, intellectum & voluntatem. Et hæc ante peccatum fuerunt in homine perfecta, integra, non obscurata non deformata: secus post peccatum: memoria oblivione, intellectus ignorantijs, voluntas varijs scatet defectibus, vt planè vix appareat imago Dei in homine. Cogita quoties imaginem Sm̃æ Trinitatis in te deformabas? deformabas autem tunc quando memoriam & intellectum reminiscentijs, cogitationibus, & imaginationibus turpibus, voluntatem affectibus inhonestis fædabas.

*Virtutes Theologicæ renovant in nobis imaginem Sm̃æ Trinitatis*

*Punctum 2dum.* Tria sunt quæ imaginem Sm̃æ Trinitatis renovant in nobis: Fides, Spes, & Charitas. fides illuminat intellectum: *credite & intelligetis* dicit scriptura. Spes erigit memoriam. Charitas purgat voluntatem. *Vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra: ibi habet Deus imaginem suam.* August: de Trinitate. Quare actus virtutum Theologicarum crebro eliciendi. Elice etiam nunc eosdem.

## PRO FESTO,

### SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

*De admiranda panis in corpus conversione.*

PUnctum 1mum. Expende mysteria quæ in ver-

in verbis consecrationis latent & imprimis considera non dixisse Christum, hæc est figura aut repræsentatio corporis mei; sed hoc est corpus meum vtiq; reale & verum; aliàs verba cum re non convenirent quod asserere est impium. Licet enim ad nos sanctificandos & spiritualiter nutriendos suffecisset hoc Sacramentum esse merum panem, sicut in baptismo pura aqua nos sanctificat; non tamen Christus satis habuit, sed proprio suo corpore nos nutrire voluit sicut mater vehementer filium amans non permittit vt ab alia nutrice lactetur. Fides. amor.

*Conversio panis in Corpus Christi ostenditur ex verbis consecrationis.*

*Punctum 2dum* Expende item non dixisse Christum: hæc est pars corporis mei aut carnis meæ, sed *hoc est corpus meum* totum integrum ac perfectum. Licet enim minima carnis eius particula ad nos sanctificandos suffecisset; totam tamen cum omnibus sacratissimis membris nobis dare voluit, totum hominem qui eum recipit sanctificaturus. Amor. Gratitudo.

*Punctum 3tium.* Expende vltima verba cõsecrationis, *quod pro vobis tradetur.* quibus significatur, sub speciebus Eucharisticis ipsissimum corpus illud esse quod venditum à Iuda, flagellis concisum, cruci affixum. Hîc vide quantum vult Christus vt memores simus passionis illius & immensi

amoris quo se in mortem pro nobis tradidit. Nam in memoriam tanti amoris hoc Sacramentum instituit. Fides. Amor.

Exercitium: *devotio ad Christum in Eucharistia existentem.*

Propositum crebro de die visitandi Sanctissimum Sacramentum actusq; virtutum theologicarum eliciendi.

Tesseræ ad Dominicam 3tiam post Pentecoste.) frequenter mente aut ore revolvendæ, pro placito hanc vel illam eligẽdo.

*O res mirabilis! manducat Dominum pauper servus & humilis.* S. Thomas.

*Iesu quem velatum nunc aspicio: oro fiat illud quod tam sitio!*

*Ubi est absconditus pulcher quem desidero.* S. August.

*Lates dilecte candide sub albo panis signo qui rubicundus roridæ eras in crucis ligno, sub speciebus faciem quid abscondis formosam? cur non ostendis speciem tuam tam gloriosam.* Ex officiolo.

## PRO FERIA VI.

### Post Festum SS. Corporis Christi.

### *De attributo sapientiæ in Sanctissimo Sacramento.*

PUnctum vnicum. Considera sapientiam Dei summè elucere in hoc Sacramento: tum quia in illo Christus & fidei

nostræ quæ solum est de non apparentibus, locum ac merendi occasionem reliquit; & sensibus qui de accidentibus sibi notis iudicant satisfecit: tum quia in eo & amorem immensum erga nos exhibet manendo nobiscum deferriq; se per plateas vicosq; sustinendo ad solatium nostrum; & maiestatem retinet, præsentiam suam speciebus Eucharisticis velando: tum quia hoc Sacramentum miro & suavi modo instituit. miro modo; quia subutraq; specie & subquavis particula specierum totus & integer Christus perseverat. miro insuper quia licet verum corpus & sanguis Christi sit sub speciebus, tamen à nullo oculo corporali videri potest, prout est in hoc Sacramento, imò nec ab imaginatione perceptibile est, nec ab intellectu hominis viatoris, sed à solo intellectu divino, & ab intellectu illustrato per lumen gloriæ. suavi modo; quia veram quidem carnem & sanguinem suum in hoc Sacramento posuit, sed retentis panis & vini accidentibus, ne horrorem & nauseam aliquam pateremur.

*In SS. Sacramento & fidei satisfit & sensibus.*

*In eodem amor & maiestas cõveniũt.*

*Item admirabilitas & svavitas.*

*S. Thomas hic.*

## PRO DIE SABBATI.

### Post Festum SS Corporis Christi.

*De alijs attributis divinis in Sanctissimo Sacramento relucentibus.*

PUnctum imum. Conſidera potenti-
am Dei in hoc Sacramento: quia
panis & vinum tranſubſtantiatur in cor-
pus & ſanguinem: quia totus Chriſtus
in alterutra & in vtraq; ſpecie, ac in
qualibet diviſionis particula: quia in tot
particulis unus, atq; idem Chriſtus, qui
ſedet ad Patris dexteram in ſpecie pro-
pria: quia in hoc Sacramento accidentia
manent ſine ſubiecto quod non niſi per
abſolutam potentiam fieri poteſt: quia
quamvis ſpecies ſacramentales alterantur,
franguntur, corrumpuntur, non tamen
Corpus Chriſti. Verè fecit Dominus po-
tentiam in brachio ſuo inſtituendo hoc
Sacramentum.

Punctum 2dum. Conſidera item ineffa-
bilem Dei bonitatem in hoc Sacramen-
to elucentem. Quæ maior poteſt eſſe bo-
nitas ad nos, quàm quod Deus in Sa-
cratiſſima Euchariſtia dederit ſe nobis in
cibum & potum pro præſenti ſtatu viæ
& peregrinationis noſtræ, & in pignus,
quòd ſit nobis futurus plena ſatietas &
torrens voluptatis in patria. Con: inſu-
per charitatem. Vnio eſt effectus amo-
ris: perpende quantopere Deus amat ho-
minem quando eum ſibi, factus eiuſdem
cibus, coniungit & in ſe ipſum quodam
modo tranſmutat. Quid goſſypio additur
cum

cum musco vnitur, nisi eadem suavitas & fragrantia. quid addi potest ferro cum igni vnitur nisi vt candeat & ignescat? Quid itaq; Domine superest illi qui tecum coniunctus est, nisi vt fiat divinus. Ludovicus Granat: de vita Christi. cap. 32.

## PRO DOMINICA
## Infra Octavam Corporis Christi, MEDITATIO

*De Sanctissimo Sacramento properagendis devotè processionibus.*

P*Unctum 1mum.* Considera 1mo. Quomodo Christus Dominus cum in terris degeret ambulavit per civitates, vicos, plateas, synagogas & privatas domos ubivis beneficia impertiendo: quomodo item in Sanctissimo Sacramento ambulat per templa & plateas catholicorum benefaciendo omnibus qui vivâ fide illum confitentur, adorant & toto corde laudant. Quamvis autem copiosius dona sua tribuat ipsum sumentibus: aliquam tamen partem impertit ipsum comitantibus. Disce ea devotione & humilitate in processionibus illum comitari, qua fuisses viventem in mortali corpore comitatus, si habuisses eam fidem quam nunc.

Pun-

*Punctum 2dum.* Considera Patrem æternum hac celebritate velle reddere sanctissimæ humanitati Salvatoris nostri præmium & honorem pro ignominiosis illis protrusionibus & deductionibus ab horto Gethsemani ad domum Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis, & demum ad montem Calvariæ. Expende hæc laboriosa & infamia Christi itinera amore tui suscepta, & pro illis Christo in venerabili Sacramento existenti age gratias. variosq; affectus ferventes offer, vt affectus fidei, amoris, gratitudinis, reverentiæ, humilitatis & huiusmodi. Propositum & Tessera vt supra.

## PRO FERIA II.

### *De prima Apostolorum & ipsius Christi communione.*

*In prima communione quo modo illuminati Apostoli.*

P*Unctum 1mum.* Considera quod Christus Dominus tradendo corpus suum Apostolis præter trasubstantiationem panis & vini in corpus suum, aliud omnipotentiæ suæ edidit miraculum scilicet illustravit intellectum rudium discipulorum extraordinario lumine vt viva fide crederent quod sub panis velo esset corpus magistri sui: ideoq; ea reverentiâ & amore quo ipsum prosequebantur, illud receperunt. Roga Dominum Jesum vt tibi fidem, timorem, amorem Apostolorum

lorum tribuat quando communicas.

*Punctum 2dum.* Considera magnam dulcedinem & admirandos affectus quos Apostoli in prima illa communione senserũt, qui sine dubio adeo fuerunt excellentes, vt ex eis cognoverint infinitam illius cibi excellentiam & vtilitatem. Solus Judas in hoc divino cibo nullum gustum invenit, quia illũm sumpsit sine fide, sine reverentia, sine amore. Poteris hîc discurrere per omnes Apostolos, recogitando quos singuli affectus in hac communione elicuerint. v. g. S. Petrus elicuit affectum fidei dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* S. Andreas spei, S. Joannes amoris, S. Matthæus humilitatis quod ad hominem peccatorem Deus divertisset. Poteris insuper perpendere, quos affectus Beatissima Virgo elicuerit, quam piè sentiunt nonnulli in alio cænaculo fuisse: & à Filio per manus S. Petri aut S. Joannis synaxim sibi missam accepisse. Quando communicas cura vt similes affectus elicias.

*Affectus Apostolorũ.*

*Punctum 3tium.* Expende Christũ Dominum nostrum iuxta communem sententiam accepisse frustulum unum consecrati illius panis ac se ipsum communicasse, quo Apostolos excitaret ad comedendum daretq; exemplum quâ reverentiâ

*Christus Dñus seipsum communicavit.*

rentiâ & devotione panem illum sumere deberent. S. Hieronymus ad Lesbiam: *Dominus IESVS Christus ipse conviva & convivium: ipse comedens & qui comeditur.* Perpende diligenter quantam devotionem exhibuerit interius & exterius cum sacratus bolus ad os eius perveniret. Zelus imitandi.

## PRO FERIA III.

### *De Sacramentalibus panis & vini Speciebus.*

*Cur sub duplici specie panis & vini Eucharistiæ Sacramentum institutum.*

PUnctum imum. Expende imo. cur Dominus sub duabus distinctis speciebus Sacramentum hoc instituerit quandoquidem verè re ipsa cum corpore est sanguis & cum sanguine corpus; cuius duæ præcipuè sunt causæ. ima. vt ostenderet se nobis perfectum ministrare convivium: quod sinè cibo & potu distinctè propositis esse non potest. 2da. vt reminisceremur suum sanguinem totum fuisse â corpore in passione separatum. Quare dum in Missa vides seiunctim hostiam sacram elevari & seiunctim sanguinem meminisse debes huius separationis, simulq; acerbissimæ passionis. Expende 2do. Cur Dominus hanc panis & vini in corpus suum conversionem voluerit esse invisibilem cuius duplex est causa: ima vt re-

*Quare cõversio Eucharistica invisibilis retentis*

cens & continuum humilitatis exemplum nobis præberet, externâ panis & vini figurâ divinitatis & humanitatis suæ cel situdinem contegendo. 2da. vt recens & continua heroicæ fidei eliciendæ occasio nobis suppeteret.

*scilicet speciebꝰ panis & vini.*

*Cur non sub aliarū rerū speciebus institutū? sed sub specie panis & vini?*

P*unctum 2dum.* Expende cur sub speciebus panis & vini potius, quàm sub aliarum rerum se nobis reliquit: cuius 1ma causa est vt indicaret se omnes effectus in anima efficere quos panis & vinum in corpore nostro efficiunt. huius namq; sa-sacramenti gratia nutrit, conservat, auget vitam nostram spiritualem, dat robur, cor lætificat. 2da. vt significaret quòd sicut panis efficitur ex multis granis, vinum ex multis uvis; ita divinus hic cibus & potus requirit corda fidelium adunata, causatq; ac simul significat unitatem Ecclesiæ collectæ ex multis fidelibus ad vitam præordinatis. 3tia. quia species panis & vini optimè figurant passionem Christi Domini, quæ in hoc Sacramento memoratur. Nam species panis exprimit corpus Christi trituratum, molitum, pistum in passione, assum igne amoris divini in camino, id est in ara crucis: species vini designat sanguinem qui de uva scilicet Christi corpore in torculari crucis à calcantibus Judæis expressus est.

*Effectꝰ panis & vini.*

*Materia panis & vini,*

*Figura panis & vini qvadrant Eucharistiæ.*

Age

Age gratias Christo Domino pro hoc Sacramento & pro tali modo institutionis ejus. Ora vt ei per hoc Sacramentum magis semper ac magis uniaris fructusq; & effectus eius abundantius & abundantius participes.

## PRO FERIA IV.

### *De potestate data Apostolis, & effectibus Sanctissimi Sacramenti.*

PUnctum 1mum. Vt hoc mysterium ad finem vsq; mundi in Ecclesia frequentaretur, consecravit Dominus Apostolos, fecitq; Sacerdotes dando eis potestatem conficiendi corpus suum per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem. Et usq; hodie per successores Apostolorum Episcopos eandem potestatem dat Presbyteris.* Vbi expende immensam erga genus humanum Domini nostri charitatem. quia non Angelis sed hominibus dedit hanc potestatem: quia item hanc potestatem non restrinxit ad certum numerum personarum hostiarum, locorum, temporum; vt tamen decentissimè tantum mysterium celebraretur, determinationem loci & temporis ad peragenda sacrificia reliquit Ecclesiæ. Benedictus Deus qui dedit potestatem talem hominibus.

*Punctum 2dum.* Expende multiplices effectus

fectus huius Sacramenti. Quia enim Christus continetur in eo, sicut hic visibiliter in mundum veniens contulit vitam gratiæ mundo, ita sacramentaliter in hominem veniens vitam gratiæ operatur in ipso. Deinde, quia hoc Sacramentum est rememorativum passionis Domini, quem effectũ passio Christi fecit in mundo, eundem hoc Sacramentum facit in homine. 3tio. quia hoc Sacramentum traditur per modum cibi & potûs effectum quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando; facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem. 4to. quia traditur sub speciebus panis & vini, talium scilicet rerum quæ ad vnum rediguntur ex multis, operatur effectum vnitatis & dilectionis inter fideles. Vide quàm diversos operetur effectus caro Christi & caro Adæ. Caro enim Adæ hoc est ab Adam descendens cum primùm vnitur animæ à Deo creatæ; illico culpam originalem & omnium malorum ac miseriarum reatum inducit in animam: at verò Caro Christi attingendo in communione sacra animam nostram, facit eam participem gratiæ, omniumq; bonorum, meritorum, & thesaurorum Christi. Gratias age, ama pro tanta bo-

*Sanctissimum Sacramentũ operatur effectus in homine, quos Christus in mũdũ veniens contulit mũdo. Item quos Passio eiusdẽ contulit mũdo. Item quos cibus & potus operatur. Item quos panis & vinũ in se ostendit.*

*Caro veteris, & novi Adæ quantùm discrepẽt?*

nitate, precare vt omnes effectus Sacramenti huius semper percipias.

*Effect9 SS. Sacramẽti principalis & direct9 est augmentũ gratiæ seu charitatis: secũdarius & consequens ex principali, est remissio culpæ & pænæ pro modo dilectionis*

*Punctum 3tium.* Facit autem Sacramentum hoc effectus suos dupliciter: vno modo per se, ex virtute sua propria: alio modo quasi ex quadam concomitantia. ex virtute sua propria facit illum effectum ad quem est institutum: est autem institutum ad spiritualiter nutriendum per vnionem cum Christo & cum membris eius, ad instar cibi corporalis qui non aliter nisi vnitus cum eo qui cibatur, nutrire solet. Et quia hæc vnio fit per charitatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non modo culpæ, sed etiam pænæ; inde est quòd per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur in hoc Sacramento remissionem non solum culpæ, sed etiam pænæ, non quidem totius sed secundùm mensuram suæ dilectionis & fervoris. Cura ergo & propone hoc Sacramentum semper cum ferventi dilectione suscipere, vt per illud non solùm culpæ, sed etiam pænæ dimittantur tibi.

## Pro Octava SS. Corporis Christi.

*Duplici modo SS Sacramentum præservat à peccato secundùm conditionem & dispositionem hominis.*

Pun-

*Sicut corpus dupliċi modo præservatur ab interitu: ita anima duplici modo præservatur a morte virtute SS. Sacramenti.*

PUnctum 1mum. *Hic est panis de cælo descendēs, vt si quis ex eo mãducet non moriatur.* Peccatum mortale est mors animæ. A qua præservat hominem hoc Sacramentum duplici modo sicut etiam duplici modo corpus præservatur ab interitu, scilicet internè & externè; internè per cibum & medicinã, inquantũ per hæc natura hominis roboratur adversus debilitatẽ & morbos: externè per arma; inquantum per hæc munitur corpus contra exteriores impugnationes. Sic igitur & Sacramentum Eucharistiæ dupliciter hominem præservat à peccato. 1mo. quidem coniungendo ipsum cum Christo ac proinde roborando ipsius vitam spiritualem per modum cibi & medicinæ. 2do. modo per hoc quod sit signum Dominicæ passionis, per quam victi sunt Dæmones, repellens ab homine impugnationes eorum. Perpende an post vsum frequentem sis stabilis in amore Dei, an verò recidives in peccata? An item factus sis diabolo terribilis, vel verò impugnationibus eius succumbas? si adhuc imbecillis es, non Sacramentum virtutem perdidit, sed tua malitia & somnolentia invaluit.

*Punctum 2dum.* Sacramentum hoc est quidem de se præservativum à peccato, relinquit tamen liberum arbi-

trium homini & non aufert possibilitatē ad peccandum. Sacramentum enim hoc operatur suos effectus in homine iuxta conditionem hominis. Homo autem in statu viæ, huius est conditionis, quod eius voluntas libera potest inflecti & ad bonum & ad malum. Item Sacramentum hoc operatur suos effectus secundùm dispositionem hominis. *Tria porrò sunt* (vt ait S.Bonav: in fasciculario) *quæ a te exigit huius Sacramenti digna susceptio, scilicet corporalem munditiem, puritatem conscientiæ, & actualem devotionem.* Vide cum quali externa honestate, cum quali puritate conscientiæ, & cum quali devotione accedere soles. Si tepidus, si negligens, si imparatus accedebas; dole, emenda. puriùs, humiliùs, & ferventiùs accede.

*Tria requirūtur ad dignā susceptionem Sanctissimi Sacramēti.*

## PRO FERIA VI.

### Post Octavam Corporis Christi.

### *De varÿs nominibus SS. Sacramenti in Evangelio expressis.*

PUnctum imum. Vocatur hoc Sacramentum panis 1mo. ideo quia sicut panis confirmat & corroborat hominem; ita Eucharistia corroborat eundem vt sit fortis ad faciendum bonum & declinandum à malo 2do. ideo quia sicut panis prolongat vitam hominis, ita Euchari-

*Sanctissimum Sacramentū vocatur panis quare?*

stia

ſtia vitam æternam præſtat. 3tio. ſicut panis eſt vna maſſa ex multis granis facta, ita Euchariſtia omnes fideles in vnum corpus compaginat. Ita accede ad hunc panem, vt fructus eius percipias: & vt in fortitudine eius pertingas ad montem Dei Horeb, hoc eſt, ad gloriam cæleſtem.

*Vocatur manna quare?*

*Punctum 2dum.* Vocatur item Manna, quia ſicut manna, fuit panis abſq; igne, abſq; clibano manibus Angelorum formatus: ita Euchariſtia fit in manibus presbyterorum, velut Angelorum, ſola virtute verbi divini, abſq; omni prorſus labore humano: & ſicut in manna fuerunt accidentia ſine ſubiecto, fuit ſapor caponis, & non fuit capo: fuit ſapor attagenis, & non fuit ſubſtantia eiuſdem: fuit ſapor bovinæ carnis, & non fuit ibi bovina caro: ita in Euchariſtia accidentia ſunt panis & vini vt color, ſapor, odor, &c. non eſt tamen ſubſtantia panis & vini. Veré miſericors & miſerator Dominus memoriam fecit ſuorum mirabilium in hac eſca cæleſti!

*Vocatur teſtamentum? quare?*

*Punctum 3tium.* Vocatur inſuper teſtamentum: ſicut enim morituri in teſtamento omnia quæ habuimus, charis noſtris reſignamus: ita Chriſtus moriturus pro nobis omnes divitias ſuas in hoc Sacramento ex ineffabili amore nobis reliquit:

hîc corpus suum, hîc sanguinem suum, hîc concomitanter divinitatem suam, hîc merita passionis suæ, hîc gratias omnes, hîc bona omnia naturæ gratiæq; recondidit & donavit nobis. Vocatur etiam cæna, quia sicut cæna sumitur à ieiunantibus, ita & hoc Sacramentum; sicut à cæna itur ad quietem; ita ab hoc Sacramento ad requiem æternam. *Et quidem magna cæna.* Magna ob magnitudinem personæ facientis ipsam: magna quoq; ob magnitudinem eorum, quæ hîc apponuntur: magna insuper quia sufficit toti mundi imò infinitis mundis.

*Vocatur cæna.*

*Cur Sanctissimum Sacramẽtum vocatur cæna & quidẽ magna.*

Affectus gratiarum actionis, amoris, oblationis sui ipsius, vicissim Christo Dño.

Propositum & tessera vt supra.

## PRO DIE SABBATI.
### Post Octavam Corporis Christi.
### *De aliis extra sacram scripturam appellationibus eiusdem.*

PUnctum vnicum. Sacramentum hoc inquantum est commemorativum præteritæ Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, vocatur hostia: inquantum significat præsentem vnitatem Ecclesiasticam cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, vocatur communio vel Synaxis: inquantum præfigurat futu-

*Vocatur hostia.*

*Vocatur cõmunio & synaxis*

tam fruitionem Dei, quæ erit in patria: vocatur viaticum, & hoc respectu vocatur etiam Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia *gratia Dei, vita æterna.* Vocatur item in Græco Metalepsis, id est assumptio; quia per eam in cælum assumimur. Expende hîc an sicut es frequens in vsu huius Sacramenti: ita sis frequens in rememoranda passione Christi & quàm gratus sis eiusdem? an item vnitatem teneas cum alijs proximis fidelibus? an demum aspires ad fruitionem Dei? si effectus Sanctissimæ Eucharistiæ suis designatos nominibus in te deprehendis, age gratias: propone constantiam. si secus, dole: propone te ipsum probare prius, ne damnationem tibi manduces, & bibas in hoc Sacramento.

*Vocatur viaticũ & Eucharistia.*

*Vocatur Metalepsis.*

---

# MEDITATIONES.

## De attributis Divinis.

## PRO DOMINICA III. post Pente:

### *De misericordia Dei.*

PUnctum imum. *Erant appropinquantes peccatores ad Iesum.* Lucæ 6. Non fuissent appropinquantes ad IESUM nisi ipsum Deum misericordem credidissent. Expende quam latè se extendat miseri-

cordia Dei ad peccata hominum ignoſcenda: omneſq; eorum miſerias ſublevandas. 2do. quàm longa ſit, quia ab æterno in æternum. 3tio. quàm ſublimis: cui nulla paterna vel materna compaſſio poteſt cōparari. 4to. quàm profunda: quia ſe extendit ad ipſos damnatos quos infra condignum ponit. Nota. Quatuor dimenſiones, de quibus ad Epheſ. 3. metaphoricè ſolùm Deo conveniunt.

S. Bonav: in compendio Theologicæ veritatis, latitudinem charitati, longitudinem patientiæ, ſublimitatem ſapientiæ, profundum iuſtitiæ Dei aſſignat.

Singulæ tamen dimenſiones ſingulis attributis applicari poſſunt, in latitudine immenſitatem, in longitudine æternitatem, in ſublimitate inacceſſibilitatem ſeu perfectionem infinitam, in profundo incomprehenſibilitatem cuiuſvis attributi intelligendo.

*Punctum 2dum.* Expende quomodo Deus hanc miſericordiam ſuam hucuſq; omnibus hominibus exhibuerit & exhibeat. 1mo in operibus naturæ providendo paternè omnia neceſſaria, atq; à tot calamitatibus corporalibus præſervando & liberando. 2do in operibus gratiæ vniendo perſonæ verbi naturam humanam, atq; culpas noſtras, quibus æterna ſupplicia merebamur

abolen-

abolendo: præservando quoq; nos misericorditer à tot spiritualibus miserijs, uti peccatis, tentationibus, periculis salutis, ex iisq; eruendo. O qualis abyssus Domine miserationum tuarum!

*Punctum 3tium.* Expende quomodo eādem misericordiam Deus exhibeat in alio sæculo. 1mo existentibus in purgatorio liberando eos per merita Christi, & vivorũ suffragia. 2do. damnatis in inferno, puniendo eos infra condignum. O verè misericordia Dei superexaltat judicium! Propositum gratulandi divinæ Maiestati & gaudendi de bonis eius ad intra & exttra.

Exercitium: *gratulatio & gaudium de perfectionibus divinis.*

Tessera per septimanam quavis die crebrò replicanda eligatur ex sequentibus.

*Benedictus es Domine in firmamento cæli & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.*

*Benedic anima mea Domino. Domine Deus magnificatus es vehementer.*

*Uæ cæcitati illi quando non cognoscebam te, væ surditati quando non audiebam te, væ tempori illi quando non amabam te.* S. Aug.

*Tu esto nostrum gaudium, manens Olympo præmium, mundi regis qui fabricam, mundana vincens gaudia.*

PRO

# PRO FERIA II.

## De potentia DEI.

PUnctum 1mum. Expende magnitudinem potentiæ Dei secundùm 4. dimensiones: 1mo quàm lara sit; quia nihil ei impossibile, potestq; plures in infinitum & perfectiores creaturas, imò mundos absq; numero producere. 2do quàm longa sit: quia durans ab æterno in æternum sinè defectu. 3tio quàm sublimis seu perfecta quia ex se omnia potest absq; vllo labore & adminiculo. 4to quàm profunda seu incomprehensibilis vt pote idē res cum essentia Dei. Quam longè hæc potentia superat omnem potentiam creatam quæ limitata, defectibilis accidentalis est, & absq; adminiculo alieno nihil potest. Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine: & veritas tua in circuitu tuo. Solus Filius tuus qui est veritas, te tuamq; potentiam comprehendit.

*Punctum 2dum.* Expende quàm luculenter hanc suam potentiam nobis in tempore manifestauit. 1mo in operibus naturæ vt in creatione & conseruatione mundi ac omnium quæ in eo sunt Angelorum, hominum, cælorum, elementorum, plantarum, arborum, animalium &c. 2do in operibus gratiæ, vt in opere redemptionis

nis per incarnationem verbi, in opere vocationis ad fidem per pauculos rudes Apostolos; in opere iustificationis tam admirandas animarum conversiones in dies efficiendo; in opere vocationis ad religionem tam potenter ab amore mundi ad suum iugum trahendo. Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis. O si lætetur etiam non solùm ex mea creatione & iustificatione sed & glorificatione.

*Punctum 3tium.* Expende quàm eminenter hanc eandem omnipotentiam suam Deus nobis declaraturus sit in futuro. 1mo in resurrectione: eadem numero corpora quæ nunc in pulverem resolvuntur resuscitando. 2do in glorificatione corporum: dotibus gloriosis illa exornando, 3tio. in glorificatione animarum ad visionem Dei illas elevando, atq; ineffabilibus delicijs in æternum replendo. Quis non reverebitur, amabit, & glorificabit tantam potentiam, per quàm sperat ita se glorificandum?

## PRO FERIA III.
### *De sapientia DEI.*

P*Unctum 1mum.* Expende similiter magnitudinem sapientiæ Dei. 1mo quàm lata sit: quia comprehendit non solùm præterita, præsentia, futura, sed etiam omnia

possi-

possibilia. 2do, quàm longa sit; quia ipsi Deo coæva. 3tio quàm sublimis; quia non aliunde non per acquisitionem, sed per essentiam habita. 4to quàm profunda; quia nequit â creatura vlla comprehendi. Quàm longe sapientia Dei excedit sapientiam Cherubinorum, omnemq; aliam possibilem sapientiam! Et idcirco, Deus psalmo 79. dicitur sedere super Cherubim id est super plenitudinem scientiæ & super omnẽ intellectum. Et psal. 138. dicitur mirabilis scientia Dei, excelsior omnibus, ad quam nemo poterit pertingere & coram qua ne tenebræ quidẽ habent tenebras! O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia eius & investgabiles viæ ipsius!

*Punctum 2dum.* Expende quomodo hanc suam sapientiam Deus nobis in tempore manifestavit. 1mo in operibus naturæ, vt in creatione, conservatione, & gubernatione mundi omniumq; quæ in mundo sunt. 2do in operibus gratiæ, vt in incarnatione verbi in Sanctissimo Eucharistiæ mysterio in ordinatione tot viarum, quibus electos suos ducit ad salutem. Quàm proinde amandus Deus & glorificandus præcipuè â te: cui occulta sapientiæ suæ præ tot alijs hæreseos vel ignorantiæ tenebris involutis manifestavit!

Pun-

*Punctum 3tium.* Expende quomodo uberius thesauros infinitæ sapientiæ suæ reserabit nobis in cælo, quando videbimus eum sicuti est, & in eo omnia mysteria abscondita â sæculo: omnia stupenda opera: omnem deniq; abyssum judiciorum & dispositionum divinæ providentiæ. Quàm promptè nunc ergo mysteria fidei credere, occulta judicia Dei revereri, providentiam eius in omnibus admirari, laudare, amplecti te oportet, qui hæc omnia postea clarè intueberis.

## PRO FERIA IV.

### *De Bonitate DEI.*

PUnctum imum. Expende 1mo quàm lata sit, quæ habet in se eminentér boni omnis rationem non tantùm honesti, sed etiam vtilis & delectabilis. 2do quàm longa sit: nimirum Deo coæva & indefectibilis. 3tio quàm alta, quia non accidentalis, sed essentialis, & quæ nec augeri nec minui potest. 4to quàm profunda, quia non potest â creatura comprehendi. *Vere nemo bonus nisi solus Deus.* Quàm meritò ergo præ omnibus creaturis æstimandus, amandus, quærendus! Quàm indignum est spretâ bonitate divinâ momentaneas creaturarũ oblectatiunculas aucupari! Bonus es tu: & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Pun-

*Punctum 2dum* Expende quàm variè Dominus Deus hanc suam bonitatem in tempore manifestavit. 1mò in operibus naturæ: vt in creatione gubernatione, conservatione mundi & omnium rerum creatarum, impertiendo ipsis tot & tam eximias perfectiones, dotesq; naturales. 2dò in operibus gratiæ: vt in opere redemptionis, vocationis, justificationis, conferendo rationalibus creaturis tot & tam sublimia charismata; insuper seipsum per Incarnationem & Sanctissimam Eucharistiam, idq; ex gratuita sua bonitate. secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

*Punctum 3tium.* Expende quomodo demum eandem bonitatem suam in æternitate exhibiturus sit beatis, conferendo singulorum meritis proportionata dona gloriæ essentialis & accidentalis, æternumq; eos in statu beatitudinis conservando. Si ideo aliquid est bonum quia sui communicativum: quanta Dei bonitas qui in omni rerum statu & ordine tantopere se nobis communicat?

*Amo te Deus meus magisq; semper amare cupio: quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, & omni luce clarior. Vt tibi totus servirem, omnia quæ fecisti, in meum servitium tradidisti.*

S. August. solil. c. 19.

PRO

## PRO FERIA V.

### *De charitate DEI.*

PUnctum 1mum. Recogita 1mo. quàm lata sit: quia se extendit ad omnes homines, quos vult salvos fieri: & ad omnia bona naturæ & gratiæ, quæ ex amore eiusdem dedit, dat, dabitq; in æternum. 2do. quàm longa: quia æterna, nam ex quo Deus est Deus, amavit quos creare & salvare constituit. 3tio quàm sublimis: quia nulla creata charitas ei comparari potest. 4to quàm profunda: quia Deus ipse est charitas. Pone ergo eum vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum; vt semper cordi & operi tuo charitas Dei sit impressa.

*Punctum 2dum.* Recogita quomodo Deus hanc charitatem suam nobis in tempore manifestavit in operibus gratiæ, vt de operibus naturæ sileatur. 1mo. Pater mittendo filium, nosq; in filios & hæredes regni sui per eum adoptando. Vide qualem charitatẽ dedit nobis Pater vt Filij Dei nominemur & simus. Joan. 3. 2do. Filius seipsum pro nobis in mortẽ tradendo, atq; in cibũ sub speciebus Sacramentalibus communicando. 3tio. Spiritus S. plurima divina charismata nobis tribuendo. O vtinam

nam

nam *gratia Domini nostri IESV Christi & charitas Dei & communicatio S. Spiritûs sit cum omnibus nobis.*

*Punctum 3tium.* Recogita quomodo eandem charitatem suam in æternitate exhibiturus sit electis. 1mo. ineffabilis gloriæ suæ thesauros quo ad animam & corpus ipsis tribuendo. 2do. se ipsum eis per amorem & fruitionem beatificam in omnem æternitatem tradendo, 3tio familiarissimè cum ipsis agendo tanquam intimis amicis.

O quales deliciæ erunt, ab eo æternum amari in patria!

O Amor qui semper ferves & nunquam tepescis, accende me! accendar inquam totus â te, vt totus diligam te.

## PRO FERIA VI.

### *De longanimitate DEI.*

P*Unctum 1mum.* Longanimitas est sustinentia dilationis boni alicuius Deus ergo dicitur longanimis, quia diu expectat pænitentiam & emendationem nostram quam nos de die in diem, de anno in vnum differimus. Expende quàm latè se extendat longanimitas Dei ad omnia omnium hominum peccata quantumvis enormia per diuturnum tempus toleranda. 2do. quàm longa sit: quia infinita & coæter-

coæterna ipsi Deo: qui quos tolerat in tempore, decrevit tolerare ab æternitate. 3tio. quam sublimis: cui nulla paterna vel materna, nulla omnium hominum in vnum aliquem transfusa patientia potest comparari. 4to. quàm profunda: quia ne quidem per infinitas malitias quantumvis contumacissimas & obstinatissimas potest exhauriri. O verè longanimis & multùm misericors Dominus!

*Punctum 2dum.* Expende quomodo hanc longanimitatem à condito mundo hucusq; erga tot peccatores exercuerit Dominus. 1mo. erga protoplastos misericorditer ipsis parcendo. 2do. erga Caimum & dissolutos homines diluvium præcedentes, non statim eos puniendo, sed centum annis & amplius per Noe monendo. 3tio. erga ingratum populum Israeliticum 40. annis in deserto eum rebellem sustinendo. 4to. erga tot impios reges, privatosq; homines, abominanda eorum facinora plurimo tempore non infrequenter dissimulando. Quæ mater has toleraret iniurias in vnico filio, quas Deus quotidie tolerat ab ingratissimis mancipijs. O quantum misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pænitentiam.

*Punctum 3tium.* Expende quomodo eandem

andem longanimitatem Deus erga te hucusq; à puero demonstrarit, tot tantaq; peccata tua; ingratitudines & negligentias tam paternè sustinendo; toties ex casibus animæ & corporis te eripiendo. Benedictus sis Domine Deus meus. Nisi enim adiuvisses me, nisi sustinuisses me, paulominus habitasset anima mea in inferno. Expectas Domine vt miserearis nostri. *Si pæniteo parcis, si revertor suscipis, insuper dum differo præstolaris.* Sis ergo per sæcula benedictus; & tene etiam rebellem voluntatem meam ne ampliùs defluam à stabilitate mea.

S. August. c. 7. Med.

## PRO DIE SABBATI.

### *De Iustitia Dei.*

P*Unctum 1mum.* Expende 1mo. quàm lata sit iustitia Dei, quæ se extendit ad omnia & singula hominum mala opera punienda & bona remunerāda. 2do. quàm longa, quia ipsi Deo coæterna. 3tio quàm sublimis, quæ exactissimè reddit vnicuiq; iuxta opera sua: tam minima opera bona præmiat, quàm etiam minima peccata castigat: de verbo otioso strictam exigit rationem. 4to. quàm profunda, quæ ex communi massa corruptionis alios eligit ad æternam gloriam idq; gratis, alios mittit ad gehennam ob peccata eorum. Iustitia

tua sicut montes Dei, id est, altissima inaccessibilis, inscrutabilis. Da Domine in lumine vultûs tui ambulare: & in nomine tuo exultare tota die vitæ meæ, vt inter tenebras sæculi huius quæ ex peccatis proficiscuntur, rectè cum adiutorio luminis à vultu tuo procedentis ambulans, & in te ipso inter adversa exultans, merear post modum in iustitia tua exaltari.

*Punctum 2dum.* Expende quomodo Deus hanc suam iustitiam ostenderit mundo. 1mo. in plectendis malis meritis, vti proto-parentum nostrorum, gigantum & omnium corruptorum hominum tempore diluvij: Sodomitarum, Beniamitarum & tot aliorum peccatorum. 2do. in remunerandis bonis meritis: vti Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi, Davidis, Tobiæ, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, aliorumq; piorum hominum: nominatim istorum Sanctorum quorum hodie memoria agitur. *Iustus es Domine in omnibus vijs tuis, & Sanctus in omnibus operibus tuis!*

*Punctum 3tium.* Quomodo demum luculentiùs iustitiam suam manifestabit in futuro sæculo. 1mo in reprobis rigidissimè mulctandis. 2do in electis exactissimè remunerandis. *Recipiet vnus quisq; prout gessit in corpore, sive bonum sive malum.* Deus meus, firmamentum meum non iustifi-

cabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quem ſi remotâ pietate iudicaveris, iuſtum invenies? Licet in cunctis operibus ſis mirabilis, mirabilior tamen crederis eſſe in operibus pietatis. fac ergo mecum ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

# MEDITATIONES
## De præſentia Dei.
## PRO DOMINICA IV. poſt Pente.
## *Dupliciter exit Chriſtus ab homine.*

Lucæ 15.

PUnctum imum. *Exi à me Domine quia homo peccator ſum.* Precatio hæc magnæ humilitatis erat, ſicut & illa centurionis: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Non exivit Chriſtus à Petro quamvis rogabatur exire: placet enim Chriſto humilitas, & Petrus hac oratione non exitum Chriſti precabatur, ſed indignitatem ſuam teſtabatur. ſtude imitari humilitatem Petri præcipuè dum communicas. Amat Chriſtus & inhabitat cor humile ſicut diabolus ſuperbum. Ubi enim inflatio, inanitas eſt: vbi autem inane eſt, diabolus nidum facere molitur. S. Augu: ſer: LIII. in Ioan.

*Punctum 2dum.* Exit Chriſtus & à iuſtis, & à peccatoribus: à peccatoribus dum lethaliter peccant exit per ſubtractionem

gratiæ

gratiæ ſanctificantis, ac providentiæ ſubſtantialis: à iuſtis verò exit per ſubtractionem conſolationum, & immiſſionem adverſitatum, ob quam Pſalmiſta dixit: *Deus Deus meus quare dereliquiſti me.* & Antonius M. *Vbi eras Domine Ieſu?* ſed hæc ſubtractio in maius meritum iuſtis cedit. Ora ne vnquam à te exeat priori modo; quòd ſi altero modo placet illi à te exire, ora vt nihilominus tibi aſſiſtat, & cum tentatione det proventum.

*Punctum 3tium.* Expende quòd Chriſtus Dominus quantum ad naturam divinam à nemine poteſt exire: divinitas enim immenſa eſt, & non eſt locus, quem non repleat. Time ſi peccator es, quia peccaſti; time ſi iuſtus es, ne pecces: non poteſt enim tibi non adeſſe præſens Deus. Nihil Deo præſentius (ait Bernardus ſerm: 14. in Can;) & nihil incomprehenſibilius. Quid namq; cuilibet rei præſentius, quam eſſe ſuum? ſanè eſſe omnium dixerim Deum, non quod illa ſint, quod eſt ipſe, ſed quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Propoſitum Deum præſentem vbivis, & in quovis negotio potiſſimùm ſacro & arduo recogitandi. Exercitium: præſentia Dei. Teſſeræ octiduanæ.

*Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam.*

*Oculi tui Domine lucidiores sole, circumspicientes vias hominum, & profundum abyssi: & in omni loco contemplantur semper bonos & malos.*

*O Iesu propè esto in animo meo, prope in auxilio: quia amore tui langueo, quia sine te morior, quia te recolens suscitor.* Thom: à Kemp.

## PRO FERIA II.

### *De immensitate Dei.*

*Deus ubiq;.*

P*Unctum vnicum.* Deus immensus est & vbiq; præsens, modo perfectissimo, æternum incommutabiliter & incomprehensibiliter. Ubiq; præsens est non quòd locus capiat ipsum, sed quòd ipse locum quemvis contineat. Est autem vbiq;. imo tanquam Dominus potentissimus & absolutissimus omnium: in cuius manu vita & mors, cuius velle est posse: qui dat omnibus vitam & inspirationem & omnia. 2do. tanquam testis infallibilis omnium nostrorum operum, cogitationum, desideriorum, intentionum. *Oculis eius nuda & aperta sunt omnia.* ad Hæbr: 2. 3tio. tanquam iudex iustissimus scrutans corda & renes. de quo August: in soliloqv: *Utrum radix dulcis an amara de qua foris pulchra folia emittuntur, tu iudex interius melius nosti: & etiam medullas radicum subtilius intueris*

*tanquam Dominus.*

*tanquam testis.*

*tanquam iudex.*

*Etiam medullas radicũ, hoc est inten-*

*tueris.* Adora tibi præsentem Deum: ama time, ne offendas: adde ad affectus. Propositum & tesseram hesternam.

*tionum & primarum cogitationum intuetur.*

## PRO FERIA III.

### *De Maiestate Dei infinita.*

PUnctum 1mum. Magnitudo Maiestatis divinæ quo ad latitudinem immensa est; & continens in se omnes eminentissimè gradus & rationes possibiles magnificentiæ & Maiestatis. Expende hîc magnificentiam Salomonis in palatijs, in ornatu, & victu, in palatinis officijs & famulitio, in chrysendetis & argẽto, magnificentiam item omnium regum & imperatorum quicunq; fuerunt sunt & erunt in mundo; hæc tota & omnis, respectu magnificentiæ divinæ fucus quidam est & vmbra & planè nihil. Quo ad sublimitatem Maiestas Dei est infinitè perfecta: quo ad profunditatem in comprehensibilis; quo ad longitudinem æterna. Gratulare, adora, time.

*Punctum 2dum.* Considera 1mo. quàm indignum est tantam maiestatem tam facile toties, tam graviter offendi, quæ nec quidem minimo veniali peccato offendenda esset etiam ob infinitorum mundorum conservationem. Cogita quantum scelus sit & quali morte piandum offendere per-

ſonaliter Maieſtatem regiam, cæſaream, pontificiam; quid verò maieſtatem divinam? Conſidera 2do. quàm horrendum ſit quodvis peccatum præcipuè gravius: quo maieſtas tanta offenditur, quæ vel ſemel læſa, extremis Filij Divini placari debuit ſupplicijs. Horror peccati: dolor de eodem: propoſitum cavendi illud & occaſiones: gratiarum actio Christo Domino pro placata Dei maieſtate.

## PRO FERIA IV.

### *De præſentia Dei per verſiculum.*

Qvis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

PUnctum 1mum. Conſidera tria prima verba: *Quis?* ſcilicet Deus infinitæ maieſtatis & magnitudinis, infinitè fortis, iuſtus, ſapiens: coram quo curvantur qui portant orbem, in cuius conſpectu vniverſum hoc, eſt tanquam momentum ſtateræ. qui appendit terram ad nihilum. *Quid?* præſens eſt rebus omnibus: implet omnia intus & extra, continetq; omnia. *Ubi?* vbiq; præſens eſt, in cælo, in terra, in mari, in inferno in loco omni etiam abditiſſimo inde David: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie fugiam. ſi aſcendero in cælum tu illic es, &c.*

**Punctum 2dum.** Conſidera duo ſequentia

tia verba: *Quibus auxilijs?* nullis, ſuâ virtute, ſuâ naturâ. *Cur?* quia Deus eſt; quia magnus eſt ſinè qualitate, ſicut & bonus ſine quantitate: quia niſi omnibus rebus coniunctus eſſet, quoad ſubſtantiam, vel quoad virtutem (virtus autem Dei eſt ipſa eiuſdem ſubſtantia) omnes res deficerent in nihilum.

*Punctum 3tium.* Conſidera vltima duo verba. *Quomodo?* per eſſentiam, per potentiam, per præſentiam. Rex in ſuo toto regno eſt per potentiam, in palatio per præſentiam, in loco quem occupat per eſſentiam: at vero Deus vbivis eſt triplici hoc modo. *Quando?* ſemper: in æternum. Adora, lauda, propone modeſtiſſimè & ſanctè te vbivis etiam in abſcondito gerere. Teſſeram accipe ex die Dñico.

## PRO FERIA V.

### *De exercitio præſentiæ divinæ.*

*Exercitiũ præſentiæ divinæ quã ſit neceſſariũ oſtẽdit David.*

PUnctum 1mum. Conſidera ab exemplis quam ſit neceſſarium & efficax ad fugam peccati exercitium præſentiæ divinæ. David ait: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commovear*, *hoc eſt nec peccem.* Et de iniuſto ait: *Inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore quia non eſt Deus in conſpectu eius.* Suſannam à peccato retraxit præſen-

tia Dei. *Malo inquit incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Dei.* Meretrix à D. Ephrem argumento divinæ præsentiæ ad pænitentiam conversa. Considera 2do. media huius exercitij acquirendi. 1mum est petere illud à Deo frequenter. 2dum ante quodvis opus præcipuè magis arduum facere sibi præsentiam Dei. 3tium ex conspectu creaturarum laudare Deum triplici memorato modo illis præsentem.

*& exempla.*

*Media huius exercitij acquirendi.*

*Punctum 2dum.* Expende duplicem modum exercitij huius: alium nudum, cum Deum nudè absq; affectibus nostræ devotionis præsentem cognoscimus: alium affectuosum, cum non solum cognoscimus, seu recogitamus præsentem, sed etiam adoramus, amamus, timemus & varijs affectibus prosequimur. 2dus hic modus perfectior est & hominem ad omne bonum compendio quodam ducit. Recollige te si & qualiter modum hunc practicasti. Ora vt in hoc exercitio sis frequentior ac ferventior. Observa autem quòd affectus ad Deum præsentem suppeditabunt tria hæc verba: *Nolo, volo, cupio.* Etiam nunc iuxta hæc verba affectus elice: & actum eiaculatorium ex die Dominico accipe crebroq; repete.

*Modus duplex eiusdem.*

PRO

## PRO FERIA VI.

### *De speciali præsentia divinæ.*

Punctum 1mum. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Ioann: 15. *Manemus in Christo, cum sumus membra eius, manet autem ipse in nobis, cum sumus templum eius:* Sumus porrò Christi membra, cum ipsi per charitatem compaginamur. Verbo, nos manemus in Christo per charitatem; Christus manet in nobis per gratiam. *Hic fert fructum multum.* quia omnia opera, verba, cogitata hominis in gratia Dei constituti, sunt meritoria vitæ æternæ. Vide quàm pretiosi sint actus omnes iusti hominis: qui augmẽto gratiæ & gloriæ divinæ præmiãtur.

*S. August.*

*Actus hominis iusti quàm pretiosi.*

*Punctum 2dum.* Perpende quòd Deus in corde iusti sit præsens vt Pater, vt protector, vt frater, vt amicus, vt sponsus, vt medicus, vt doctor, & mille alijs titulis modisq;: ideoq; his omnibus modis eum nobis præsentem imaginari, & in eum affectibus ferri possumus. Et etiam secundum mysteria vitæ ac passionis suæ possumus Christum variè nobis imaginari præsentem sicut Sancti & Sanctæ imaginabantur. Cogita Christum in cruce pendentem esse in medio cordis tui, vt possis dicere cum Apostolo: *Vivo ego iam non ego,*

*Varij tituli & modi quibus possumus imaginari Christũ nobis præsẽtem.*

*vivit verò in me Christus.* Gratias age pro præsentia speciali Christi in anima tua. Ora ne vnquam discedat à te, propone omnes peccandi occasiones vitare.

*Punctum 3tium.* Expende varios alios modos quibus Deum manere in anima iusti meditatur S. Bonaventura in compendio Theolog: veritatis. Deus est in anima fideli vt sponsus in thalamo, rex in throno, turris in castro. Sicut magister in schola, fons in horto, lux in tenebris. Item sicut thesaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro. Item sicut manna in arca, sigillum in charta, medicina in apotheca. Item sicut cythara in convivio, imago in speculo, mel in favo. Item sicut fructus in arbore, oleum in lampade, lilium in convalle. Ora vt Deus sit tibi omnia in omnibus. & dic cum Thoma Kempensi: *O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora vt tua me saties præsentia & sis mibi omnia in omnibus!* Tesseram vltimam ex die Dominico frequenter per diem repete.

Lib: 1. c. 7.

Lib: 3. de Imi: c. 34.

## PRO DIE SABBATI.

### *De præsentia Dei cum respectu duplicis bonitatis divinæ.*

*Punctum 1mum.* Deus vbiq; est bonus in se, & infinitè amabilis: ideoq; infinito

nito si fieri potest amore diligendus. Ubiq; continet omnem rationem boni honesti, boni vtilis, boni delectabilis; boni honesti; nam vbivis est infinitæ maiestatis, infinitæ magnificentiæ, sapientiæ, sanctitatis, honestatis. boni vtilis; quia vbivis est infinitæ benignitatis, liberalitatis &c: boni delectabilis; quia vbivis est infinitæ dulcedinis, pulchritudinis, suavitatis, amabilitatis &c: Considera 2do. Est item Deus vbiq; bonus quo ad nos, quia nullus locus est, in quo nobis non operetur bona triplicia: naturæ, gratiæ, & gloriæ. Vide quot bona naturæ in omni loco, in omni tempore de manu divina accipis. Vide quot bona gratiæ & gloriæ, vbiq; semper, etiam nunc tibi offeruntur. Age gratias, ama, peccata detestare.

*Punctum 2dum.* Expende quòd Virgo Beatissima continua fuerit in exercitio præsentiæ divinæ, & propter hoc exercitium abundaverit in perfectione. Hoc denotant verba illa Ecclesiæ aut Angelorum admirantium pulchritudinem MARIÆ spiritualem: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum.* Sensus verborum iste: Quæ est hæc Virgo, quæ è deserto mundi absq; cessatione ascendit ascensu fidei & morum ad cælestia; affluitq; omnibus internis opibus,

*Virgo Beatissima continua in exercitio præsẽtiæ divinæ.*

bus, tota quanta circa dilectum suum occupata, & in illo intellectu ac voluntate sua recumbens. Imitare matrem; & intellectum ac voluntatem tuam in Deo bono, in Deo dilecto reclines, vt internis delicijs affluas. Propositum Tessera vt supra.

# MEDITATIONES.

## De Sanctitate Dei.

## PRO DOMINICA V. post Pentec.

### *Iustitia Pharisaica damnatur.*

Matth 5. PUnctum unum. *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum.* Pharisaica iustitia in sola specie externorum bonorum operum sistit; & hæc cum suis cultoribus excluditur à regno cælorum. Iustitia christiana in internis potissimum consistit actibus, quamvis & ad externos derivetur. Cogita qualem iustitiam habeas: an ad speciem & apparentiam bona opera externa facias: an verò soli Deo placere studeas?

*Iudæi illo præcepto: Non concupisces vxorē pro-*

*Punctum 2dum.* Satis putabant Pharisæi ad iustitiam, non occidere opere, non mæchari opere, proximum & amicum non odisse, non peierare: at iustitia Christi etiam iurare, irasci sine causa, vindictam spirare, verba dicere opprobriosa, aspicere mu-

re mulierem libidinosè, concupiscere eandem vetat. Porrò perfectius longè est abstinere etiam ab ira, quàm à solo externo homicidio: etiam ab aspectu mulieris, quàm à solo opere carnali: etiam à iuramento quàm à solo periurio. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum Domine: & non dominetur mei omnis iustitia sive interna sive externa.

*eximi tui, intelligebāt solùm, signa concupiscentiæ externa prohiberi, vt tactus, oscula, non verò concupiscentiā internam Tiranus parte 5. collo 110.*

*Punctum 3tium.* Doctrinam suam de perfecta iustitia clausit Christus tali exhortatione: *Estote ergo perfecti sicut & Pater vester perfectus est.* hoc est, perfectio & justitia Dei sit norma iustitiæ vestræ: & sicut Deus infinitè remotus est ab omni imperfectione; ita vos, inquantum possibile, sitis remotissimi ab omni culpa & occasionibus suis. Gratias age Christo pro doctrina: ora auxilium vt possis semper quod perfectius est operari, idemq; propone. Tessera per septimanam repetenda pro placito hæc aut hæc:

*O iustitia & innocentia creatrix, pulchra & decora honestis luminibus: fac, serviamus tibi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris!*

*Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis miserere nobis.*

*Misericordissime Domine cuius voluntas sanctificatio nostra, sanctifica me per omnia: vt in-*

*vt integer spiritus meus & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* 1. ad Tessal: 5.

## PRO FERIA II.

### *Sanctitas Dei; causa sanctitatis nostræ.*

*Sanctitas Dei est infinita.*

PUnctum imum. Considera 1mo quia Deus est summè & infinitè Sanctus & perfectus ac proinde omnem rationem bonitatis, sanctitatis & perfectionis in se continet. Considera 2do. quia creaturæ respectu Dei, sicut non sunt; ita etiam non sunt bonæ nec Sanctæ Iob 15. dicitur. *Inter sanctos eius nemo immutabilis: & cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Considera 3tio. quòd omnes perfectiones, & virtutes quæ in Deo sunt, sit vnica realis perfectio & virtus sintq; ipsissima Dei essentia: & quia quo magis aliquid vnum & indivisum in se est, eò perfectius & virtuosius est, sequitur, sanctitatem & iustitiam Dei maximam ac infinitam esse; quandoquidem inter virtutes & perfectiones eius vnitas maxima est, & qua maior dari non potest.

*indefectibilis.*

*incomparabilis.*

*maxima.*

*Sanctitas Dei est causa sanctitatis nostræ.*

*Punctum 2dum.* Sanctitas Dei est causa sanctitatis nostræ. Quod enim est maximum in vno quoq; genere, est causa aliorum in illo genere, & è converso; Dei

autem

autem sanctitas maxima est: igitur causa est sanctitatis nostræ. Est autem primò causa efficiens. ait enim Apostolus: *Ipse Deus sanctificet vos per omnia.* 2do. causa exemplaris: *Sancti estote sicut & ego sum.* 3tio finalis: sanctitas enim nostra ad hoc dirigitur, vt per eam sanctificetur nomen Domini. Sancti ergo dicimur sanctitate divina, *sicut primo principio exemplari, effectivo & finali totius sanctitatis.* Adora sanctitatem Dei, gratulare, gaude, ora vt vita tua exemplari tuo conformetur.

*Efficiens, exemplaris finalis.*

*S. Thomas*

## PRO FERIA III.

### *Ex scripturis rationibusq; ostenditur divina sanctitas.*

PUnctum imum. *Non est Sanctus vt est Dominus.* 1. Regum 2. & Exodi 15. *Magnificus in sanctitate.* Magnificus dicitur qui magnos sumptus facit ad magnum aliquod opus. Quos sumptus maiores facere & ad quod maius opus poterat Deus, quàm quando ad redemptionem nostram & restaurationem mundi depravatissimi vnigenitum suum in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei tradidit in mortem? Magnificus ergo in sanctitate, quia ad opera sanctitatis thesaurum suum in passione Christi aperuit, & pretium infiniti valoris effudit, nimi-

rum sanguinem Iesu Christi. Vide quomodo sanctitatem curare & custodire debeas, cùm Deus omnes cæli divitias exposuerit ad eam tibi comparandam!

*Punctum 2dum. Deus fidelis & absq; vlla iniquitate iustus & rectus.* Deutor. 32. Sanctus & justus idem sunt. Iustus autem dicitur à *juxta* secundùm Aristotelem 5. Ethicorum. eò quod iuxta legum ordinationem vivat. Sed nostra Iustitia & rectitudo defectibilis est, quia possumus à lege deficere. At verò Deus qui *sibi lex est, non potest velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet. quæ quidem est sicut lex iustitiæ secundùm quam eius voluntas est iusta & recta*, adeoq; non potest deficere à lege sua, neq; contra illam agere. Adora sanctitatem Dei: & propone quoties in trisagio vel Gloria Patri, vel quocunq; officij divini aut scripturæ versu sanctitatem Dei memorabis, cum devotione & summa cordis reverentia eam meminisse.

*S. Tho: 1. p. q. 21. art: 1.*

*Punctum 3tium.* Discute etiam rationes quæ ostendunt summam Dei sanctitatem. 1ma ratio est: quia Dei sanctitas est causa Exemplaris, efficiens & finalis omnis & totius sanctitatis creatæ: maximam itaq; oportet esse. *Quod enim est causa aliorum in vno quoq; genere, maximum est in illo genere.* Altera ratio, quia Deus est cau-

est causa æquivoca omnium rerum. Cùm proinde in rebus creatis innumeræ eæq; admirabiles bonitates, perfectiones, virtutes reluceant: in Deo debent esse modo excellentissimo, & per consequens debet esse in eo summa, incomprehensa & infinita sanctitas. Nam causis æquivocis id proprium est, quod excellentiori modo contineant in se bonitates & perfectiones suorum effectuum, quàm ipsi effectus & causæ vnivocæ ipsorum. Vide hîc admirabiles sanctitates, virtutes, perfectiones Angelorum & hominum ab initio mundi, vsq; ad finem eiusdem viventium: omnes hæ excellentissimo modo & in infinitum perfectiori & perfectiori reperientur in Deo; & quæ in sanctis divisæ sunt, in Deo vnica & simplicissima est sanctitas. Affectus vt supra. Tessera ex die Dñico.

## PRO FERIA IV,

### *De natura Sanctitatis.*

*Sanctitatem duo constituũt mundities & firmitas.*

Punctum imum. Sanctitatem duo perficiunt, mundities & firmitas. Per sanctitatem enim mens hominis adhæret Deo: adhærere autem mens Deo nequit absq; munditia; quia si careat munditie, iam non Deo sed terrenis rebus se se applicat: per hoc enim mens humana inquinatur, quod rebus terrenis iungitur, sicut

*Sanctitas est, per quam mẽs hominis se ipsam & actus suos applicat Deo.*

pes per hoc maculatur, quod lutum contingit. Absq; firmitate etiam mens nostra non impendit se suaq; ad Dei cultum debito modo. Deus namq, est primum principium & vltimus finis noster: primo autem principio & vltimo fini immobiliter & firmiter adstringi oportet. Recollige te an vtrumq; habeas? es ne mundus spiritu & corpore? es ne firmus in amore Dei? potesne dicere cum Apostolo: *Certus sum quia neq; mors, neq; vita separabit me à Charitate Dei.*

Memento quia *Sanctum & terribile nomen eius.* Sanctum sanctis: terribile peccatoribus. Hier: in psal:

*Punctum 2dum.* Considera quod in Deo & munditia sit & firmitas modo excellentissimo ac infinito: munditia; quia Deus est actus purissimus compositionis omnis & permixtionis expers & incapax; firmitas: quia Deus est primum principium & finis vltimus rerum omnium; quæ sunt maximè immobilia. Mentẽ omnesq; actus suos ad se solum applicat: *Universa enim propter se operatus est,* atq; immenso se amore ac incommutabili essentialiq; amat: nec potest non applicari sibi ipsi. Adora, gratulare, aliosq; affectus adhibe.

PRO

## PRO FERIA V.

### *De interna munditia hominis.*

*Ad iustitiam non sufficit mũditia externa.*

PUnctum imum. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Non sufficit ergo ad iustitiam munditia corporis; sed requiritur munditia mentis. Quare? quia debemus esse perfecti, sicut & Deus perfectus est: quidquid autem in Deo est, totum purum, imo & ipsa puritas est. Deinde quia gratiam Spiritûs S. mente recipimus: ideò primò & principaliter purificanda est. In super quia imaginem Dei in anima non in corpore portamus. Demum quia præstantior longè est oculus animæ quàm corporis. Si ergò oculus externus non patitur festucam aut minimas sordes, multò minùs oculus internus, mens videlicet, pati debet. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis vt non confundar.

*Gravitas peccati interni.*

*Punctum 2dum.* Cogita gravitatem peccati interni, quando libidinosa cogitatio comparatur actuali adulterio. Cogita item ab immunditia mentis, ad immunditiem operis deveniri. Cogita demum templum Dei nos esse: domum autem Dei decet sanctitudo non in vnam alteramve diem, sed in longitudinem dierum, hoc est semper. Affectus & tessera fiant.

*Sanctitas debet esse stabilis, & perpetua.*

## PRO FERIA VI.
### *De sanctitate & virtutibus Christi in cruce.*

PUnctum imum. Considera quàm varias & eximias virtutes erga Deum Patrem Christus in cruce elicuerit. 1mo. quidem obedientiam, quâ voluntatem Patris sui finaliter exequebatur. 2do. amorem quo gloriam eius quàm maximè augeri sitiebat. 3tio. resolutionem, qua omnia tormenta tanquam è manu eius profecta placidissimè suscipiebat, & ad maiora se ac diuturniora offerebat. Considera deinde quàm purè, quàm intensè quàm constanter earundem vrtutum actus iterarit? quantum nobis gratiæ & gloriæ per eos promeruerit? Fecisti IESU crucifixe de te ipso speculum animæ meæ, speculum amoris, obedientiæ, resignationis, orationis, aliarumq; virtutum. Da vt in hoc speculo me semper intuear, & quid desit mihi videam.

*In passione Domini 3. oportet intueri, opus: modum, causam.*

*Punctum 2dum.* Considera virtutes quas in ordine ad seipsum elicuit. 1mo humilitatem, qua semetipsum ad tantas irrisiones, opprobria, subsannationes, ad nuditatem, ad societatem cum latronibus, ad infamiam suspendij demisit. 2do. patientiam, quâ acerbissimos, intensissimos, & diutis-

diutissimos in omnibus sensibus dolores sustinuit. 3tio. paupertatem, qua sine vestibus vestitor siderum pependit. Considera post modum quàm purè, intensè, constanter prædictarum virtutum actus elicuerit. O vtinam vivam secundùm exemplar quod mihi in monte Calvariæ monstratum est!

*In opere patientia, in modo humilitas in causa charitas commendatur.*

P*unctum 3tium.* Considera virtutes erga homines elicitas. 1mo. dilectionem non solum amicorum, sed etiam inimicorum pro quibus oravit. 2do. mansvetudinem, qua tanquam agnus coram tondente se toto passionis tempore obmutuit. 3tio. pietatem qua Matrem Virginem Ioanni commendavit, & vicissim Ioannem Matri suæ. 4to. liberalitatem, qua cælum latroni promisit, & sangvinē suum copiosè fudit. Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. *Verè copiosa quia non gutta sanguinis sed vnda largiter per 5. partes corporis emanavit.*

*S. Bernar: in cant.*

*Thomas à Kem: l. 2.*

Verè in cruce tua Domine IESU summa est virtutis & perfectio sanctitatis.

Ago gratias pro virtutibus in cruce elicitis: & rogo, vt oratio pro crucifixoribus, recommendatio Ioannis in tutelam Virginis, promissio paradisi facta latroni ad me quoq; derivetur.

## PRO DIE SABBATI.

### *De virtutibus Beatissimæ Virginis.*

PUncum imum. Considera imprimis virtutes quas habuit erga Deum, videlicet fidem, spem, charitatem & religionem. Expende in quàm eximio gradu habuerit eas: quàm purè intensè, constanter earum actus tum internos frequentarit. Exclama corde cum S. Anselmo: *O benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos pietate?*

*De invocatione Matris Virginis.*

*Punctum 2dum.* Considera deinde virtutes illius erga seipsam, videlicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem, humilitatem, castitatem, mortificationem & patientiam. Expende itidem in quàm perfecto gradu eas habuerit: & quam eximios tam internos quam externos earum actus multiplicarit. Merito Hieron: *Mariam si diligentiùs aspicias nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris & gloriæ quod in ea non resplendeat.* Epist: 10. ad Paulam.

*Punctum 3tium.* Considera simili modo quàm perfectæ fuerint in ea virtutes, quibus enituit erga proximos nimirum: iustitia; dilectio, obedientia, misericordia, modestia; demum expende quomodo & internos & externos earum actus exercuerit.

erit. Prorſus quidquid in Maria geſtum eſt, totum puritas & ſimplicitas, totum veritas & gratia, totum miſericordia & iuſtitia. Hieron. de aſſum.

---

# MEDITATIONES

## De Beneficijs Divinis.

## PRO DOMINICA VI. poſt Pent.

*Dominus & Deus noſter miſeretur.*

Præludium. Propone ante oculos mentales Chriſtum Dominum dicentem: *Miſereor ſuper turbam, &c.* Deinde ora vt fructuosè mediteris.

PUnctum 1mum. *Miſereor ſuper turbam.* *Marci 8.* Conſidera 1mo. in Chriſto Domino ſicut vera fuit humanitas, ita verum fuiſſe compaſſionis affectum. Conſidera 2do. non tantum internè compaſſum eſſe ſed etiam opere ſuccurriſſe eſurienti & deficienti multitudini. Multi inter homines ſunt qui verbo condolent miſeris, at non ſublevant eorum miſeriam cum tamen poſſint; talis compaſſio ficta eſt & hypocritica. Conſidera 3tio. exemplo ſuo Chriſtum nos provocare ad opera miſericordiæ.

*Punctum 2dum.* Conſidera 1mo in Deo non dari miſericordiam propriè dictam, inquantũ hæc eſt dolor de aliena miſeria:

*dicitur,*

S. Thomas. *dicitur autem Deus misereri propter amorem quo amat nos tanquam aliquid sui.* vnde illud: *Miserationes eius super omnia opera eius, idem est cum eo versiculo: nihil odisti eorum quæ fecisti.* Considera 2do. cur dicatur, Deo proprium misereri & parcere? quia nimirum proprium est ei tanquam supremo bono creaturis se effundere, & quod plus est à miserijs eas per sua beneficia sublevare. Cogita à quod miserijs te divina bonitas hactenus sublevarit. Age gratias, cave ingratus esse. Actus eiaculatorius quem per septimanam frequenter vsurpabis, erit aliquis ex subiectis.

*O quam fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius!*

*Misericordissime tibi me commendo, reddo & concedo, per quem sum, vivo & sapio.* S. August: in manuali.

*Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea, vivat tibi vita mea dulcis quoniam tu me totum creasti, totum liberasti, totum refecisti.* Idem.

*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.*

## PRO FERIA II.

### *De beneficio creationis.*

PUnctum 1mum. Perpende 1mo. quid

ab æ-

ab æterno vſq; ad diem Conceptionis tuæ fueris, nempe purum nihil quod qualibet creatura vilius eſt. 2do cum nihil eſſes, Deum ex mero amore creaſſe te, & totum tibi dediſſe quod es. Quòd ergo ſis homo intellectu, voluntate, memoriâ præditus: virtutum, gratiæ, & gloriæ capax: quòd in ſuper vſu ſenſuum, & integritate membrorum pollens: quòd non monſtroſus: totum id Deo referre debes in acceptum. Quàm profuſa Dei erga te liberalitas! Quanta ingratitudo tua, ſi homo cum ſis, more pecudis vivis!

*Punctum 2dum.* Perpende finem creationis tuæ qui eſt, 1mo: vt Deum creatorem tuum ex toto corde, tota anima, totiſq; viribus ames. 2do vt omni humilitate ei ſervias, mandata & iuſtificationes ipſius cuſtodiendo. 3tio. vt poſt hanc vitam particeps æternæ felicitatis fias. Famul etur ergo tibi ſemper mens mea piiſſime. Suſpiret tibi ſemper peregrinatio mea, ardeat in amore tui cor meum! Exteriora enim cuncta pro corpore meo creaſti: ipſum verò corpus pro anima: animã verò pro te vt tibi ſoli vacaret & te ſolum amaret, poſſidens te ad ſolatium, inferiora verò ad ſervitium.

*Finis creationis hominis.*

*August: in manuali cap: 4.*

*Soli: c. 20.*

*Punctum 3tium.* Perpende finem creationis aliarum creaturarum qui eſt, vt nobis

*Finis creationis aliarũ rerum.* bis serviant & auxilio sint ad consequendum finem nostrum. Creavit enim Deus cælos, solem, lunam, stellas, elementa, varia animalium, plantarum, herbarum, lapidum genera, partim ad necessitatem partim ad honestam voluptatem nostram; dedit nobis ingenium, sanitatem, doctrinam, honorem; vt hæc omnia deserviant nobis ad consequendam beatitudinem vltimam.

*S. August.* *Domine Domine, si tanta facias nobis in carcere quid ages in palatio: si tanta solatia largiris in die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Amet te ex illis & pro illis anima mea.* Te semper quærat in omnibus, & quærendo non deficiat.

## PRO FERIA III.

### *De beneficio conservationis.*

*Sicut nullũ est momẽtũ quo homo non fruatur vel vtatur pietate di-*

PUnctum imum. Considera Deum postquam te fecit ex gratuita bonitate sua, ex eadem vt te conservaret & gubernaret decrevisse, quòd non est minus beneficium priore. Quod ergo temporis momenta habuit, habet & habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficij: quia nullo illorum subsistere potuisses, si Deus oculos suos à te avertisset. Quam meritò proinde sequendum tibi consilium est. D. Edmundi. *Singulis momentis debes de Deo cogita-*

*cogitare, & loqui, propter tot beneficia, quæ tibi incessanter confert tam solicitè ac si totius mundi esset oblitus.* Rectè quidam sanctus dixit: hominem non spirare toties, quoties tenetur Dei sui recordari.

*Divina sic nullũ debet esse momẽtũ quo eum præsentẽ non habeat in memoria Augu. in Man: c.29*

*Punctum 2dum.* Considera Deum omnia alia conservare, vt deserviant ad conservationem tui: cælum cum sideribus, terram cum hominibus, bestijs, fructibus floribus, coloribus, odoribus. Meritò ergo tibi cum Psalte exclamandum: *Domine quid est homo, quod memor es eius: omnia subiecisti sub pedibus eius.* Omnia pedibus hominis subiecisti, vt solus homo, totus tibi subijceretur. Aug: solil: c. 20.

*Punctum 3tium.* Considera quomodo idem Deus ex eadem gratuita benignitate sua præservavit te hucusq; à tot tamq; varijs casibus corporis & animæ, atq; à morte ipsa, æternisq; supplicijs, in quæ incidisses & nunc incidere posses, nisi te gratia Dei retineret. Itaq; si liber es à calculo, leprâ, podagrâ, febri, alijsq; morbis: si liber es à gravioribus peccatis, divinæ gratiæ adscribe; quod è tot morbis, è tot casibus & periculis evaseris, Dei misericordiæ imputa. Quot in alijs cernis, audis, vides, legis, corporis & animæ miserias; tot agnosce tibi à Deo exhiberi misericordias, dicens cum Propheta: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti.*

## PRO FERIA IV.

### *De beneficio redemptionis.*

*PUnctum 1mum.* Considera 1mo. à quo sis redemptus, nempe á Filio Dei creatore & conservatore tuo. Considera 2do. modum redemptionis. Cum enim sola voluntate, verbo vel nutu redimere te potuisset, sicuti mundum vno verbo fiat creavit, tamen per Incarnationē & copiosi sanguinis effusionem voluit te redimere. Considera 3tio. à quantis malis sis redemptus, videlicet à peccatis, á perpetua tyrannide & servitute diaboli, à supplicijs æternis. Quàm immensa, sublimis, longæva, incomprehensibilis misericordia, liberalitas, charitas Dei! qualem vicissim exigit à te gratitudinem & amorem!

*Punctum 2dum.* Perpende quòd potuerit te vna guttâ sanguinis sui in circumcisione effusi redimere; nihilominus voluit flagris concidi, colaphisari, sputis oppleri, spinis coronari, funibus & catenis ligari, per plateas trahi, velut stultus illudi, latroni postponi, cruci affigi, aliaq; ignominiosissima & durissima pati, vt ipsi in horto oranti sola cogitatio eorum sudorem sanguineum toto corpore expresserit. Væ ingratis! Irritam quis faciens legem Moysi, sinè vlla miseratione duobus

vel

vel tribus testibus moritur: quanto magis deteriora meretur supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. ad Hebr: 10.

*Punctum 3tium,* Considera quanta bona ex hac redemptione secuta. 1mo. ex mancipio diaboli factus es filius Dei: ex hærede æternæ damnationis, factus es hæres æterni regni: ex filio iræ, factus es particeps gratiæ & amicitiæ divinæ. 2do. quòd si in peccatum labaris, possis iterum per pænitentiam in gratiam restitui. 3tio. quòd in gratia existens possis augmentum eiusdem gratiæ & beatitudinis æternæ mereri. 4to. quòd Sacramentorum potissimum verò Sanctissimæ Eucharistiæ communione fruaris. Affectus convenientes eliciendi.

## PRO FERIA V.

### *De beneficio vocationis ad fidem.*

PUnctum 1mum. Considera 1mo. non prodesse beneficium redemptionis, nisi subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem Catholicam, sicut enim emplastri nulla est vtilitas, si non applicetur vulneri; sic nec passionis Christi, nisi applicetur animæ per fidem & Sacramenta.

Consi-

*Vocatio ad fidem donum gratuitum.*

Conſidera 2do. vocationem ad fidem eſſe merè gratuitum donum Dei. *Nemo namq; poteſt venire ad me* (inquit Chriſtus) *niſi Pater meus traxerit illum:* & ſicut lapis naturâ ſuâ tendere ſurſum non poteſt, niſi auxilio externo; ſic nec homo mentem ad cæleſtia elevare poteſt niſi dexterâ excelſi. Conſidera 3tio. neceſſitatem fidei quia ſinè hac impoſſibile eſt placere Deo.

*Benedictus Deus qui dedit nobis donum fidei electum, & ſortem in templo ſuo acceptiſsimam.* Sap: 3.

*Raritas eiuſdem.*

*Punctum 2dum.* Expende raritatem beneficij huius. Quot namq; ſunt millia non dico hominum ſed nationum abſq; fide pereuntium. Turcæ, Tartari, Perſæ, Iudæi, Atheiſtæ, Hœretici propter defectum fidei damnantur. Redi in te ipſum, & cogita quanta gratia ſit tibi præſtita quod ſis ex catholicis parentibus natus, baptiſatus, in rudimentis fidei inſtructus, hucuſq; Sacramentis & verbo Dei in Eccleſia enutritus. Age gratias, elice actum fidei, & propone non tantùm corde credere, ſed ore quoq; confiteri articulos fidei, & pro ea etiam vitam profundere ſi neceſſe ſit. Ora, vt Deus confirmet propoſitum tuum. Ora, ne ſis ſubtractionis filius in perditionem, ſed filius fidei in acquiſitionem animæ. ad Hebr: 10.

## PRO FERIA VI.

### *De beneficijs peculiaribus cuiq; proprijs.*

PUnctum imum. Considera peculiaria beneficia naturæ tibi à Deo data, quæ non sunt omnibus communia: vt quod infans non sis extinctus in vtero materno, quòd non sis natus ex parentibus infamibus, illegitimis, corpore vitiatis: quòd honestam habueris educationem, quod in tot casibus servatus sis: quod plures vitæ annos præ alijs vivas. Reflecte te supra alia naturæ dona tibi peculiariter data: & pro ijs age gratias. *Conditor noster* ait Greg: Moral: 17. c. 2. *mira dispensatione, vivendi tempora impendit, vt longiora vitæ temporalis spatia aut converso fiant adiutorium salutis, aut non converso augmentum damnationis.* Quod dicitur de ætate, idem de alijs bonis desuper acceptis intelligendũ. Vide quomodo spatijs temporalibus alijsq; donis vsus es hucusq; an ad salutem, an ad damnationem?

*Punctum 2dum* Considera beneficia gratiæ per te à Deo accepta, vt quod occasiones crebras habueris ad vitæ rectitudinem: quod sis à societate malorum liberatus: quod è periculo peccandi toties evaseris: quod à peccato, aut vitio, aut

consuetudine prava sis erutus: quod in peccato gravi à morte præservatus: & quod multas alias de manu Dei gratias perceperis. Dic: *Verè vigilat super me & vigilavit semper indefessus & pervigil ille singularis clemētiæ oculus, non dormit neq; dormitat qui custodit Israel: quia etiam non dormit neq; dormitat qui impugnat Israel* Verè non fecit taliter omni nationi, omni homini, sicut mihi fecit. Quid retribuam Domino? Calicem salutaris accipiam & sacrificium offeram in gratiarum actionem. Devotionem quoq; maiorem ad passionem eius habebo, per quam mihi promeruit omnia bona ipsamq; gloriam æternam.

S. Berna: in Psalm. Qui habitat.

## PRO DIE SABBATI.

### *De prærogativis seu privilegijs Beatissimæ Virginis MARIÆ quæ S. Bonaventura in speculo recenset.*

PUnctum imum. Privilegium primum MARIÆ est quod super omnes homines ab omni peccato purissima fuit. Ipsi servit illud? *Tota pulchra es & macula non est in te*: nec videlicet macula originalis, nec mortalis, nec venialis. 2dum est quod super omnes homines fuit gratiâ plenissima. Unde Hieron de Assumptione: *Cæteris* inquit *per partes præstatur*

*MARIÆ*

*MARIÆ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.*

*Ave Virgo plena bonis*
*Gratiarum dives donis:*
*Opus Dei digitorum*
*Grande nimis & decorum.*

*S. Bonav: in psalte: nori.*

*Punctum 2dum.* Tertium MARIÆ privilegium est, quod sola ipsa sit simul Mater & Virgo, gaudia Matris habens, cum Virginitatis honore. MARIÆ privilegium est, ait Bernardus, non dabitur alteri. 4tum quod Mater Filij Dei: cuius Pater solus est Deus. Hæc est, ait idem, excellens prærogativa MARIÆ, quod filium suum eundem cum Deo Patre meruit habere communem. Matthæus Evangelista contentus eo solo præconio MARIÆ! *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* quia nulla prærogativa & excellentia maior cogitari potest: & ex hac omnes aliæ in MARIAM profluunt.

*Serm: 5. de Annun.*

*Ave Virgo rugâ carens,*
*Da intacta Dei Parens,*
*Ut laus tua cum dulcore*
*Meo semper sit in ore.*

*S. Bonav.*

*Punctum 3tium.* 5tum MARIÆ privilegium est. quod ipsa super omnem creaturam fuerit Deo familiarissima. Nam eum lactavit, fovit, educavit, amplexibus &

osculis contrectavit, imò & subditum habuit. 6tum quod ipsa super omnem creaturam sit potentissima apud Deum. *Quid potentius Maria? quæ detinet filium ne peccatores percutiat.* 7mum. est quod ipsa inter Sanctos in gloria excellentissima sit. Quãtum enim præ cæteris gratiæ, tantum & gloriæ nacta est singularis. Gratulare Virgini Beatissimæ quòd supergressa sit omnes filias Hierusalem: terrestris, in donis gratiæ; cælestis, in donis gloriæ. Ora vt de plenitudine gratiarum & virtutum suarum tibi impertiat. *Moveatur mare & plenitudo eius.* Vas liquore plenum si moveatur, de facili fundit liquorem, sic & Beata Virgo MARIA si moveatur precibus, effundet de suo liquore.

Bernar.

Psal: 95.

*Ave digna omni laude*
*Casta Dei Mater gaude:*
*Et admitte vota precum*
*Ut sis semper Virgo mecum.*

S. Bonav.

# MEDITATIONES

## De ijsdem, alijsq; beneficijs divinis.

### PRO DOMINICA VII. post Pent.

*Arbor bona Deus.*

PUnctum 1mum. *Arbor bona bonos fructus facit.* Arbor bona, Deus est, quia

Matth 7.

nemo-

nemo bonus nisi solus Deus. Arbor altitudinis infinitæ: cuius aspectus in omnem terram: & rami eius (attributa) pulcherrimi: & fructus eius nimius: & esca omnium in ea: subter eam habitant bestiæ agri: (homines & animalia) & in ramis eius commorantur aves cæli (Angeli) Danie: 4. Fructus arboris huius sunt beneficia quæ mundo præstat: quot vero & quanta sunt? Discurre mente per cælos & elementa: hæc & omnia quæ in eis sunt ac fiunt, arbor ista produxit, producitq; in vtilitatem hominis. Benedictus Deus in donis suis: & Sanctus in operibus suis!

*Punctum 2dum.* Arbor bona fructificat & obumbrat. Deus & cumulat bonis: & protegit à malis. Idcirco devota anima: sub vmbra inquit, illius quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis guttari meo. Vide quomodo & quoties te protexit à malis culpæ & pænæ & cuiusvis miseriæ: quoties in die afflictionis factus est Dominus protector tuus, & eduxit te in arcto positum in latitudinem. Vide item quot & quantis te affecit bonis. Hoc ipsu quia nunc meditaris, quia oras, quia suspiras, fructus est huius arboris. Age gratias: ama, benedic: & lauda Dei bonitatem super te & super alijs cræaturis.

Confitebor tibi Domine Deus meus in

toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: quoniam magnificata est misericordia tua super me.

O bonitas, bonitas semper antiqua & semper nova! S. Aug: Benedic anima mea Dominum & noli oblivisci omnes retributiones eius.

## PRO FERIA II.

### *De beneficio creationis.*

P*Unctum imum. Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Quæ manus tuæ? Omnipotentia & sapientia. Omnipotentia, quia de nihilo: Sapientia quia tàm aptè tàm pulchrè tàm ordinatè fecisti me Manus Dei juxta S. Bonaventuram super Lucam, gratia Dei est: Hæc me fecit, quia ante omne meritum meum me condidit. Manus in Deo secundùm Theologos est virtus operativa, aut ipsa operatio. Illæ manus Dei fecerunt me, quæ operatæ omnia: quæ & Angelos fecerunt. Non enim minori potentiâ fecit me Deus, quàm Angelos. *Qui plasmasti me, miserere mei!*

*Oratio Thaidis.*

*Punctum 2dum.* Non tantùm fecerunt me: sed & plasmaverunt manus divinæ. hoc est, composuerunt, formaverunt, figuraverunt, imaginem & similitudinem Dei in hoc plasmate expresserunt. Si manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me:

ergo-

ergone manus meæ opera mea, destruent aut deformabunt me? absit, absit. detestor omne peccatum. O Domine opus manuum tuarum sum, miserere mei: da mihi intellectum, non illum quem iam in creatione dedisti mihi, qui est potentia nobilissima animæ meæ; sed illum qui est donum Sanctissimi Spiritûs, lumen scilicet supernaturale, ad inquirenda, cognoscendaq; mandata tua: vt videam quàm sint honesta, pretiosa, iucunda, salutaria, suauia; vt tandem fiant super mel ori meo.

## PRO FERIA III.

### *De beneficio iustificationis.*

Punctum 1mum. Iustificatio *est translatio impij a statu peccati ad statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.* In iustificatione tria hæc reperiuntur: terminus à quo, scilicet status peccati: terminus ad quem, scilicet status gratiæ: & subiectum quod transfertur, scilicet creatura rationalis. Considera 1mo neminem posse suis viribus iustificari sed ex mera Dei gratia & potentia iustificationem nostram procedere. Considera 2do. Iustificationem esse maximum bonum seu beneficium, quia nos liberat à maximo malo; hoc est ab odio & inimicitia Dei. Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Do-

*Tridentinum.*

minum nostrum Iesum Christum: per quẽ & habemus accessum per fidem in gratiam istam. Rom. 5.

*Punctum 2dum*. Expende quanta bona iustificatio secum ferat. 1mo. reconciliat hominem Deo, & ex inimico facit amicum & filium Dei. 2do. liberat ab æterno supplicio quod per peccatum mortale merueramus. 3tio. reformat & renovat interiorem hominem, qui fuit per peccatum deturpatus & deordinatus; vnde iustificatus appellatur ab Apostolo *nova creatura*. hæc renovatio si fit per baptismum, vocatur regeneratio: si per pænitentiam, vocatur resurrectio. 4to. facit Deum habitare in nobis. 5to facit nos viva membra Christi, & per consequens facit nos spiritu divino vivificari. 6to. confert nobis vitam æternam. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Rom. 5.

*Nova creatura quæ?*

*Regeneratio & resurrectio spiritualis.*

*Punctum 3tium* Beneficium hoc maius est quàm creatio; quia vt habet S. August: in Ioannem. *Deus cælum & terram vno verbo solo creavit, vt verò hominem sanctificaret, sangvinẽ fundere, & tanta tamq; varia tormenta subire voluit.* Vide quo studio tantum bonum sit custodiendum! quantæ gratiæ, quàm crebrò pro tanto beneficio

agen-

agendæ? Age eas etiam nunc quòd Deus toties te ex ſtatu peccati eripuerit. pete vt in gratia te confirmet. Teſſera vt die Dominico.

## PRO FERIA IV.

### *De beneficio vocationis ad ſtatum Sacerdotalem.*

*Punctum 1mum. Dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo & fecit nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.* Argumentum 1mũ & effectus dilectionis Chriſti erga nos eſt, quia lavit nos, & lavit non à maculis corporis, ſed à peccatis, quæ animam deturpant; lavit autem non qualicunq; lavacro, nec ipſa ſolùm voluntate ſed in ſanguine ſuo. Argumentum 2dum. eiuſdem dilectionis, quia fecit nos Deo noſtro, regnum: vt in quibus antea diabolus & peccatum regnabat iam Deus ipſe velut in throno ſuo regnet. Argumentum 3tium. quia fecit nos Sacerdotes, omnes quidem fideles ſpiritualiter, nos verò qui ordinem ſacerdotij ſuſcepimus, Sacrmentaliter. Age gratias pro tanta dilectione.

*Apoc. 1.*

*Punctum 2dum.* Expende dignitatem ſtatûs ſacerdotalis. 1mo. ratione poteſtatis remittendi peccata. hæc ſiquidem poteſtas cùm ſolius Dei ſit, communicata eſt Apoſtolis, & in perſona eorum omnibus

*Dignitas sacerdotalis ex triplici ratione.*

Sacerdotibus. 2do ratione potestatis conficiendi corporis & sanguinis Domini. 3tio. ratione officij eorum quod est dispensare mysteria Dei nimirum Sacramenta, offerre Sacrificia, & mediare per orationem inter Deum ac homines. Expende item dignitatem Sacerdotalem omni regno & honore excellentiorem esse. Expende demum qualem Sanctitatem tam sublimis status exigat.

*Massenius.*

Clerice quære Deum, sacrisq; intende Sacerdos.
Eminet iste status: moribus adde decus.

## PRO FERIA V.

### *De beneficio institutionis Sanctissimæ Eucharistiæ.*

PUnctum vnicum. Considera 1mo. Eucharistiam esse gratiam gratiarum, & Sacramentum Sacramentorũ, in quo Christus habitat nobiscum, & dat se nobis in cibum & remedium: in quo item pro quotidianis delictis nostris quotidie immolatur.

*Motiva gratitudinis pro Sacramento Eucharistiæ.*

Considera 2do motiva quæ in te excitent amorem devotionem & gratitudinem pro tanto Sacramento. Nam si tenemur agere gratias pro nutrimento quo esse conservatur, quàm grati tenemur esse pro cibo, quo divinius & melius esse nobis confertur, si ipse filius Dei egit gratias pro

paucis

paucis panibus hordeaceis: quantas gratiarum actiones nos debemus pro hoc pane supernaturali? si famuli serviunt Dominis pro eo quod alantur? quid nos facere convenit, qui pane Angelico & ipso corpore Christi satiamur? In carcere corporis huius duobus me egere fateor, cibo & lumine, cibo corporis tui & lumine scripturarum. Vtrumq; mihi providisti.

*Thomas à Kemp: lib. 4. c. 11.*

## PRO FERIA VI.

### *De beneficio prædestinationis.*

PUnctum 1mum. *Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.* Psal: 64. Electio ad gloriam est præparatio beneficiorum quibus certissimè salvantur quicunq; salvantur; seu: est ordinatio alicuius ad gloriam æternam, & ad media in ordine ad eandem. Signa seu coniecturæ prædestinationis sunt: 1mo afflictio crebra æquo animo propter Deum tolerata. Patientia enim est ianua cæli, per quam ipsum etiam Christum oportuit intrare in gloriam suam. 2do. lubens verbi divini auditio. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 3tio. inimicorum dilectio: *diligite inimicos vestros vt sitis filij* (& consequenter hæredes) *Patris vestri qui in cælis est.* 4to. humilitas. 5to. devotio peculiaris ad passionem Domini, ad Sanctissimam Eu-

*Electio seu prædestinatio quid?*

*Quæ eius signa?*

*Ludo: Gratia: in Duce pec.*

charistiam, ad Beatissimam Virginem. 6to. perseverantia in vita bona. Qui enim multis iam annis in timore Dei vixit omni studio peccata mortalia fugiens: piè potest credere, quòd confirmabit illum Dominus vt vivat vsq; in finem sinè crimine. Benedictus es Domine quia nobis per Filium tuum dedisti accessum in gratiam istam in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Rom. 5.

*Quæ circumstantiæ?*

*Punctum 2dum.* Expende circumstantias prædestinationis. 1ma est quis sit qui te elegit? scilicet Deus infinitè beatus & dives. 2da quis sit qui electus est? est enim creatura misera, omnibusq; miserijs culpæ, pœnæ, mortis, peccati, inferni obnoxia; 3tia quam excellens sit ipsa electio ad tam sublimẽ finem, quo maior est nequit? 4ta. quòd electio hæc sit gratuita & ante omne tuum meritum ex solo beneplacito seu proposito voluntatis divinæ. 5ta. est antiquitas electionis. Non enim incepit cum mundi constitutione sed ante: estq; ipsi Deo coæva 6ta. raritas beneficij huius: multi namq; vocati pauci electi. 7ma. magnitudo impensarum quibus tibi hoc beneficium Christus promeruit, quæ sunt: vita, passio, morsq; illius. Admirare divinam bonitatem: Gratias age: ora, vt sis de ijs quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Tessera ex die Dominico.

## PRO DIE SABBATI.

### *De eodem benefitio.*

PUnctum 1mum. Beneficium prædestinationis est beneficium beneficiorum non tantùm, quia est cæteris maius, sed etiam quia est causa & fundamentum cæterorum: quia enim prædestinatus es, idcirco creatus es, baptisatus es, iustificatus es, &c. *Quos præscivit, eosdem prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui: quos autem prædestinavit hos & vocavit: & quos vocavit hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Cogita quàm immensum sit hoc beneficium amari, & ab æterno electũ esse à Deo: quiescere in suavissimo illius pectore vsq; ab annis æternitatis: habitum esse pro filio Dei adoptivo tunc, cum filius eius naturalis genitus est in splendoribus Sanctorum, qui præsentes aderant in divino illius intellectu.

*Punctum 2dum.* Expende felicitatem cuiusvis prædestinati: beata terra quam calcat, beatus panis quo vescitur, beata omnia, quæ attrectat. Expende item quomodo revereri, amare, honorare vnumquemq; proximum debemus: quia tenemur piè credere vnum quemq; esse prædestinatum. Expende insuper debere nos pro hoc beneficio iuges gratiarum actiones

nes fundere, & in spiritu exultare iuxta verba Salvatoris: *Gaudete quoniã nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius? qui prædestinavit nos in adoptioné filiorum per Iesum Christũ.

*Affectus.*

*S. August. in Soliqu.*

*Verum quidem est Domine, quod quæ & qualia scripta sint de me in libro tuo, in secreto consistorij tui, ego ignoro, vnde & valde timeo; consideratio tamen multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevant mentem meam, & præcedentia signa misericordiæ tuæ quæ me antequam nascerer prævenerunt, & nunc specialiter in me effulserunt: de futuris benignitatis tuæ melioribus & perfectioribus muneribus, quæ amicis tuis reservas, spem meam admonent, vt in te lætetur Deus meus lætitia Sanctâ & vivâ, qua semper lætificas iuventutem meam.* O quando veniam Domine & apparebo ante faciem tuam!

*Punctum 3tium.* Arbor bona Virgo Maria: per quam fructum eius Iesum Christum in cælo possidebimus. Et radicavi in populo honorificato: & in parte Dei mei hæreditas illius. Eccl: 24. Populus in quo radicem figit devotio erga MARIAM hæreditabit partem Dei. S. Mechtildis

vidit

vidit aliquando B. V. Mariam in ſimilitudine arboris pulcherrimæ, ſuper omnẽ terram extenſæ, perlucidæ inſtar ſpeculi: folia habebat aurea ſuaviſſimum ſonum reddentia: & in eius ſummitate flos deliciosiſſimus erat qui totum orbem contegebat ac odore mirifico recreatur. Requieſce ſub hac arbore per devotionem, & floris eius odore & decore frueris in æternum.

---

# MEDITATIONES
## Pro Via Purgativa.

USq; adeò excelſa & ſublimis eſt mentalis orationis exercitatio, vt principalis eius doctor ductorq; alius non ſit quàm divinus ipſe Spiritus, cuius inſpiratione SS. Patres & didicerunt eam & eiuſdem vtiliter exercendæ multa magni momenti præcepta nobis relinquerunt. Quibus vt accommodatam & ſuo digeſtam ordine materiam iuvenes viriq; Religioſi, imò quiq; Chriſtianæ perfectionis ſtudioſi habeant, ea ſubſequentibus meditationibus ſuggeretur. Materia Meditationum viæ Purgativæ eſt finis ad quem conditi ſumus,

item peccata, vitia, passiones, tentationes, impedimenta perfectionis, quatuor novissima, aliaq; ad compunctionem animum excitantia; de singulis conformiter ad cursum Evangeliorum dabuntur meditationes non incipientibus duntaxat, sed & proficientibus, imô perfectis etiam proficuæ.

# MEDITATIONES
## De fine hominis.
## PRO DOMINICA VIII. post Pent:
### *Homo villicus DEI.*

Lucæ 16. PUnctum 1mum. *Diffamatus est villicus quasi dißipaßet bona Domini sui.* Dominus noster, Deus est: nos villici eius. Villicus nihil habet nisi quæ Domini sunt: & nos nihil habemus, nisi quæ Dei sunt; bona animi, bona corporis, bona fortunæ, bona gratiæ credidit nobis. Villicus tenetur custodire bona Domini sui, & dare rationem villicationis suæ: & nos non abuti, sed vti licitè & honestè debemus donis divinis; dabimusq; rationem quæ & qualiter bona Dei administraverimus? Quando hæc ratio exigetur, quid dicam, aut quid respondebo?

*Punctum 2dum. Redde rationem villicationis tuæ.* Villici non expectant donec Domi-

Dominus faciat cum eis rationem: ſed ipſi ſecum quotidie faciunt calculum, an bona domini in integro ſint. Et tu quotidie conſcientiam tuam examina. Vide an gratiam Dei conſerves, an bona Dei benè diſpenſes. Recogita frequenter, ad quē finem factus ſis villicus Dei& tot bona divina acceperis.

Propoſitum recogitandi crebrò finē creationis tuæ. Teſſeræ per ſeptimanam ſæpè repetendæ.

*Notum fac mihi Domine finem meum, vt ſciam quid deſit mihi.*

*Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

*Ibi ſit cor meum, vbi tu es theſaurus meus deſiderabilis & incomprehenſibilis, multumq; amabilis.* S. Auguſt. in medit.

## PRO FERIA II.

### *De opere creationis hominis.*

*Ante creationem mūdi præter Deum nihil fuit.*

P*Unctum imum.* Conſidera priuſquàm mundus creatus eſſet, vbi & quid tunc fuerit hæc mundi machina, quòd nimirum merum nihil fuerit. Conſidera deinde, quòd Deus ſufficiēns ſibi ipſi, & infinitè ex ſe ipſo beatus, neq; egens ullâ creaturâ, ex mera bonitate ſua produxerit cælum & terram: atq; omnia quæ in eis ſunt. Conſidera item quòd Deus hoc universum pro-

*Non ex indigentia vlla sed ex mera bonitate creavit mundum Deus in habitaculum hominis.*

pter hominem condiderit, eiusq; pedibus & dominio, omnia quæ in mundo sunt subiecerit. O mira Dei bonitas & liberalitas! o stultitia & ingratitudo nostra, dum bona á Deo accepta in offensam eius convertimus!

*Ex vno homine tot homines, & tã diversos propagavit.*

*Punctum 2dum.* Recogita quòd Deus ex uno homine totum genus humanũ propagaverit, & mundum vniversum hominibus tam varijs in genere, in phisi in moribus, in proportionibus, in virtutibus in loquela, in incessu & huiusmodi repleverit. O admirabilis Dei potentia! Recogita deinde, quòd Deus ter optimus maximus suprema maiestas, infinita magnificentia &c. ex nihilo abyssi ex vilissima materia, ex limo ac sordibus, & corporeum simul & rationalem te fecit; vt corpore simul & intellectu constans, actus atq; officia vtriusq; partis posses exercere. Age gratias divinæ bonitati: agnosce vilitatem & dignitatem conditionis tuæ: vilitatem ex parte corporis, dignitatem ex parte animæ. Propter vilitatem corporis, cave ne te extollas! propter dignitatem animæ. cave ne te ad turpia deijcias.

*Etiam te ipsum.*

*In homine & vilitas, & dignitas.*

## PRO FERIA III.

### *De fine ad quem homo creatus.*

P*Unctum 1mum.* Expende 1mo. finem hic

hîc dici illum, cuius gratiâ aliquid fit; *& quo perficiuntur homines vt plenè sint, non quo consumuntur vt non sint.* Expende 2do. omnino debere esse aliquem finem vltimum vitæ humanæ: non enim potest dari processus in infinitum in finibus. Expende 3tio. finem vltimum seu beatitudinem hominis non consistere in divitijs, non in honoribus, non in fama, non in potestate, non voluptate, non aliquo corporis aut animæ bono, non demum in aliquo bono creato. Ista enim omnia deserviunt tantùm ad finem vltimum consequendum, imò quandoq; nos â fine vltimo abducunt. Cur ergo per multa vagaris homũcio quærendo bona animæ & corporis tui. Ama vnum bonum in quo sunt omnia bona & sufficit. Aug: in Manu: c. 24.

*S. August.*

*Finis noster vltimus in quo nõ cõsistat?*

*Punctum 2dum.* Expende quòd solus Deus sit vltimus finis noster. Vltimus namq; finis noster ille est, qui totaliter & perfectè quietat appetitum nostrum. Nullum autem bonum creatum, sed solus Deus potest implere & quietare voluntatem nostram: quia solus Deus est omne & vniversale bonum. Vnde Psalmista de Deo: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Cor humanum in his caducis & transitorijs in quibus eius affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet, quoniam

*In quo cõsistit?*

tantæ eſt dignitatis vt nullum bonum præter ſummum bonũ ei ſufficere poſſit. Aug: in manu: c. 25. Perpende item quòd omnia quæcunq; volumus & agimus, propter hũc vltimum finem velle & agere debeamus. Examina te, an omnia quæ faciebas, cogitabas, loquebaris, ad Deum eiusq; gloriam referebas? Dole quod multa propter fines alios feceris, dixeris, cogitaveris.

## PRO FERIA IV.

### *De fine ad quem cætera creaturæ conditæ ſunt.*

PUnctum imum. Conſidera Deum creaſſe cætera omnia, vt tibi ad finem tuum vltimum adipiſcendum adiumento ſint, omnia inquam, & quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt, & ſpiritualia & corporalia. cuncta enim quæ in cœlo & terra ſunt neceſſitatibus vitæ noſtræ ſuccurrunt, ſimulq; nos provocant ad cognitionem & amorem Dei. Verè cœli & terra clamant vt amem te Domine! Conſidera item ſpecialiter, quòd divina bonitas dedit nobis manus, quæ organa organorum vocantur, & rationem quæ eſt infinitarum conceptionum: vt rationis magiſterio & manuum labore omnia neceſſaria nobis parare queamus. Quare id? *vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua*

Pan-

*Punctum 2dum.* Ex creaturarum propter te conditarum conſpectu: Diſce 1mo. quàm munificum ſe & liberalem Deus in te monſtraverit, dum in tuum vſum tantam admirabilium creaturarum varietatem creavit: quæ tibi ſervit, non ſolùm ad vitæ conſervationem, ſed & ad voluptatem viſûs, auditûs aliorumq; ſenſuum. Diſce 2do. quàm exactè una quæq; creatura ex Dei præſcripto, fini ſuo, in quem eſt condita inſiſtat, tibiq; ancilletur; cùm contra tu finis tui oblitus, eiſdem creaturis ad offenſionem Dei abutaris. Quàm meritò earum vſus tibi avferretur!

*Ex creaturis diſcenda.*

*1mo. quàm munificus Deus erga nos.*

*2do. quomodo creaturæ irrationales ea faciunt ad quæ creatæ sũt*

*Punctum 3tium.* Diſce 3tio. non aliter creaturis uti, niſi inquantum tibi auxilio eſſe poſſunt ad finem tuum conſequendũ: & ideo ſi tibi magis conducũt aſpera quàm iucunda, illa elige: vt ægritudinem, paupertatem, contemptum, poſtpoſitiones tui jeiunia. Diſce 4to. vetitis creaturis, locis & temporibus nunquam vti; cùm fini tuo ultimo directè adverſentur. Diſce 5to. indifferens eſſe ad illa omnia quæ libertati tuæ ſubiacẽt; paratuſq; ſemper eſſe ad ea potiùs amplectenda qvæ divinæ voluntati placent, quàm quæ ſenſualitati & voluntati tuæ arrident. Teſſera vt ſupra.

*3tio. vt creaturis legitimè vtaris, eligasq; conducentiores ſaluti tuæ.*

*4to. vt vetitis abſtineas.*

*5to. vt ſis indifferens in adiaphoris.*

## PRO FERIA V.

### *De fine creationis nostræ duplici.*

*Etiam collectio universorũ mundi bonorũ non potest satiare appetitũ hominis.*

PUnctũ 1mũ. Finis propter quẽ cõditi sumus, duplex: alius ultim9 alius non vltimus. Vltimus, Deus est: hic enim est ultima beatitudo rationalis creaturæ: quia hic solus potest satiare potentias rationales, intellectum & voluntatem, quæ desiderant obiecta vniversalia. Considera hîc 1mo. quòd nulla voluptas, dignitas, felicitas creata, imò nequidem collectio omnium mundanorum bonorum satiare potest voluntatem hominis: quia nulla eiusmodi collectio est omne bonum, sed adhuc plura & plura in infinitum bona extra eam dari possunt. Considera 2do. exempla eorum qui in hoc mundo in affluentia bonorum & honorũ videbantur felicissimi & erant miserrimi: vt Alexander Magnus, vt Aman, vt Salomon, qui cuncta quæ sub sole sunt vanitatem & afflictionem spiritûs vocavit.

*Punctum 2dum.* Finis noster non vltimus seu intermedius est servire Deo. Servitus autem Dei consistit in executione mandatorum eius. Percurre mandata Dei, & vide, an cuncta adamussim servaveris. Postea considera 4. ad observantiam mandatorum Dei nos moventia quæ juxta S. Bona-

Bonaven: de præceptis divinis, sunt: authoritas mandantis, vtilitas observantiæ mandatorum, periculum transgressionis, irreprehensibilitas mandatorum. Discute singula: Deus mandat. Observantiæ præmium (Sap. 3.) longitudo dierũ & anni vitæ (æternæ) & pax. Transgressorum vindex Deus: Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. Mandatorum honestas innumerabilis quia sancta, vera, justificata in semetipsa &c. Affectus competentes cum Tessera elice.

## PRO FERIA IV.

### *De varÿs medÿs ad finem nostrum.*

PUnctum 1mum. Creavit me Deus ad hoc, vt mihi bonitatem suam æternaliter communicet: in quem finem ordinavit, & ordinat omnia illa, quæ mihi in rebus naturæ & gratiæ concessit & concedit bona. Quòd vivo, quòd baptisatus, quòd eruditus fidei & morum dogmatibus, quòd artibus instructus, quòd in tali statu, in tali officio positus, quòd istâ vel illâ tribulatione visitatus sum, non alius finis est, quàm vt Deo meo in æternum fruar, eiusq; gloriam participem. omnia hæc media sunt, viæ sunt per quas benignissimus Dominus ducit me ad æternam beatitudinem.

*Punctum 2dum.* O si me super omnia recolligerem, quæ vel facio vel quibus vtor, vel quibus fungor, vel quæ intueor quòd ista sint æternæ felicitatis arrhæ, & quòd omnia hæc data & ordinata mihi sunt à Deo, vt cum ipso in æternum regnem: quos actus amoris, gratitudinis, jubili spiritualis exercerem! Etiam hæc meditatio mea, etiam hoc suspirium meum ad hoc mihi datum, vt me ad te ducat Deus meus finis meus, beatitudo mea. centrum meum. Sit ergo nomen tuum in sæcula benedictum. Actus eiaoulatorius ex die Dominico crebrò fiat.

## PRO DIE SABBATI.

### *De fine ingressûs in Religionem.*

*Finis religiosorum.*

PUnctum 1mum. Finis omnium hominum est exequi mandata Dei. At finis religiosorum est exequi etiam consilia & inspirationes Dei, habereq; voluntatem conformem cum voluntate divina. Ratio est: quia Religiosi debent esse perfectiores servi Dei, quàm cæteri homines. debẽt ergo non solum mandata Dei, sed & consilia, & nutus seu inspirationes facere. Nam perfectior servus ille est, qui omnes nutus Domini sui observat, quàm ille qui expressum mandatum expectat.

*Quis servus perfectior?*

*Punctum 2dum.* Considera quæ sint consilia

silia Evangelica: quæ excellentia & necessitas observationis ipsorum, tum ratione voti, tum ratione conducentiæ ad observantiam mandatorū. Cōsidera 2do. Quis sit nutus seu inspiratio Dei? Ad discernendas inspirationes Dei â diabolicis hanc regulam habe: *Quoties concurrunt opera voluntaria & obligatoria hæc debet eligi, illa relinqui. Inter obligatoria autē primū locū habent præcepta Dei. secundum præcepta superiorum. tertium ea quæ pertinent ad statum & Officium tuum. Inter voluntaria debent eligi privata & in quibus proprium commodum non spectatur: interdum tamen publica si nihil obstet, possunt esse magis meritoria quàm privata.*

*Regula discernendi inspirationes Dei á suggestionibus diabolicis ex Duce peccatorū Lucovici Granatensis.*

*Punctum 3tium.* Expende 1mo. conformitatem voluntatis humanæ cum divina esse vltimum & præcipuum religiosæ perperfectionis gradum. Expende 2do. ad eum per hos gradus perveniri: nimirum per calcata vitia & peccata, per mortificatas passiones & potentias, per virtutes acquisitas. Redi in te ipsum & examina te qualiter servaveris consilia Evangelica, an ad nutus divinos promptus fueris, & voluntatē tuā habueris conformē cū divina.

*Ad confirmitatem voluntatis nostræ cū divina quibus pervenitur.*

# MEDITATIONES.

## De miserijs vitæ humanæ.

## PRO DOMINICA IX. post Pent:

Præludium 1mum. Statue ante oculos tuos hominem mendicum, vlcerosum, varijs infirmitatibus subditum.

Præludium 2dum. Pete gratiam vt ex consideratione miseriarum vitæ præsentis, contemptũ tui, & constantem amorem Dei concipias.

Lucæ 19.

PUnctum 1mum. *Flevit Dominus supr Hierusalem:* fleres & tu super te, si cognosceres te ipsum & miserias tuas. Quid enim est homo? Homo si spectes corpus, est saccus stercorum, vas sterquilinij, concha putredinis, vermium esca, morborum seminarium: si spectes animam, defectibilis & labilis in quodvis peccatum, ignorantijs multjs obnoxius, instabilis & inconstans, ac passionum vicissitudine velut mare continuo fervens: si spectes quatuor eius humores, sangvineum, cholericum, melancholicum, & phlegmaticũ hi sunt velut quatuor funeris nostri portitores, & quotidie nos ad mortem trahunt: si spectes necessitates, hæ planè infiinitæ sunt: necessitas edendi, bibendi, dormiendi, necessitas vestium, medicinarum, vehiculorum &c. *Initiũ necessariæ rei vitæ hominũ, aqua, ignis, & fer-*

*& ferrũ, sal, lac, & panis similaginis, & mel, & botrus vuæ, & oleũ & vestimentũ. Eccl: 39.* deniq; homo vanitati similis factus. Humiliatio & contemptus sui.

*Punctum 2dum. Uæ mihi Domine, parce, mihi Domine. ego cadaver putridum, esca vermium, vas fætidum, cibus ignium ait* S. Aug: in soli : c. 2. Cadaver putridum sum: quid enim in me nisi putredo omnis. cadaver sum, qui vitam meam Deum meum toties amisi : cadaver sum, qui tot morbis scateo : non est autem *vivere sed valere vita.* vermibus nunc corrodor, quid post mortẽ? Eheu quàm fæteo, canis ego fætidus, mortuus, putridus, quàm fæteo in corpore & in anima. Quid tandem de me fiet? cibus nunc sum ignium concupiscentiæ, futurus cibus ignium infernalium nisi finaliter pænitentiam egero. O Jesv qui non vidisti vllam corruptionem! o plasmator mi restaura me : respice opus manuum tuarum. *Et nunc Domine Pater es tu, nos vero lutum : & fictor noster tu, & opera manuum tuarum nos omnes. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniqitatis nostræ.* *Isaiæ. 64.*

Propositum quavis die carnem aliqua ratione mortificandi somno, gulæ, sensibus placita subtrahendo. Tessera per hebdomadam vsurpanda aliqua ex sequentibus.

*Putredini dixi: Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus.*

*Domine quid est homo quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum.*

*Domine mi noverim me noverim te, nec aliquid cupiã nisi te: quis enim sum ego quis tu?*

## PRO FERIA II.

### *De miseria nativitatis & brevitatis vitæ humanæ.*

*S. Thomas 1. 2. q. 83. ar. 1.*

PUnctũ 1mũ. Meditare 1mo. concipi hominem in peccato orginali quod *per virtutem activam seminis cum natura humana traducitur in prolem.* Quivis proinde homo in conceptu suo est mancipium diaboli & hæres æternæ damnationis. Medi- ditare 2do. Hominem nasci cum summo dolore matris, nasci autem nudum, inermem, invalidum, fœtentem. Meditare 3tio. Cuiusvis hominis eundem esse modum cõceptionis & nativitatis. Quanta libet ergo dignitate refulgeas, non te debes alijs anteferre: quia similter vt alij conceptus natusq; es. Vnus est introitus omnibus ad vitam: & similis exitus. Sapien: 7.

*Infãtes sumus & senes videmur.*

*Punctum 2dum.* De brevitate vitæ humanæ. Considera 1mo. raro ad annum 70. aut 80. vitam humanam pervenire: ex qua si adhuc tempus infantiæ & pueritiæ & somni detraxeris, multò brevior erit. Considera 2do. quàm breve sit hoc spatium si cum æternitate conferatur. Considera 3tio. æternam sapientiam voluisse vitam

nostram

noſtram temporalem eſſe brevem, vt hâc contemptâ ad æternam aſpiremus. His cō-conſideratis excita te ad contemptum tui ipſius & vitæ præſentis. Deteſtare ſuperbiam memor illius diſtichi:

*Unde ſuperbit homo cuius conceptio culpa.*
*Naſci pæna, labor vita, neceſſe mori.*

Propoſitum & teſſera vt in diei Dominicæ meditatione.

## PRO FERIA III.

### *De miſeria incertitudinis & fragilitatis vitæ humanæ.*

*Tempus & modus obitûs noſtri incertus.*

PUnctum 1mum. De incertitudine vitæ humanæ. Conſidera 1mo. brevitatem vitæ noſtræ, forte tolerabiliorem futuram fuiſſe, ſi certi eſſimus nos v.g. 50. vel 60. annis victuros: at negata eſt nobis certitudo iſta: neſcimus diem & horam exitûs noſtri. Incertum eſt quo tempore, an in pueritia, vel adoleſcentia, vel ſenectute: an hyeme vel æſtate: an domi vel peregrè: an mane vel veſpere ſumus morituri. Item incertum, quomodo? an ſubitò, an morbo an ſubmerſione, an globo, an gladio vitam finiemus? Conſidera 2do. Deum voluiſſe nobis incertum eſſe exitum vitæ, ne pænitentiam differamus, ne graviora crimina præteritis adijciamus, & ne in bonis operibus tepeſcamus, ſed ſemper vigilantes,

*Cur incertus terminus vitæ noſtræ?*

ſem-

ſemper ferventes in timore & tremore ſalutem noſtram operemur.

*Punctum 2dum. De fragilitate vitæ humanæ. Fragilitatis & brevitatis vitæ humanæ Symbola: Somnus, bulla, vitrū, glacies, flos, fabula, fænum. Vmbra, cinis, pūctū, vox, ſonus, aura, nihil.* Cōſidera 1mo. vitā humanam non tantùm brevem & incertam eſſe ſed etiam fragilem: & quidem ratione corporis fragilis eſt. nàm peſtilens odor, aſperior àèr, ſol ferventior ſæpè vitam non ſolum pueris ſed etiam viris eripiunt. Item ratione animæ, quæ etiam levibus tentationibus ſæpè ſuccumbit: propter quod peccata in mundo tot tantaq; ſunt; & ſtultorum id eſt peccatorum infinitus numerus. Fragilitas avtem hæc & facilitas ad peccandum procedit ex peccato primi parentis, per quod natura noſtra corrupta, eſt ad malum facta proclivis. Conſidera 2do quod quanquā ex nobis fragiles ſumus, per Chriſti gratiam ſeu auxilium omnia poſſimus & declinare mala, & facere bona. Contemne te ipſum: in ſolo Deo ſpem tuam colloca. Propone infirmitates tuas recognoſcere & in illis ſolis gloriari. Ora vt inhabitet in te virtus Chriſti.

*Verè non habet omnis caro unde glorietur in conſpectu Dei.*

*Etſi ex nobis fragiles tamen in Chriſto ſumꝰ fortes.*

## PRO FERIA IV.

### *De miſeria inconſtantiæ & fallaciæ vitæ humanæ.*

*Pun-*

*Punctum imum. De inconstantia vitæ humanæ & rerum mūdanarum.* Considera 1mo. vitam humanam illam quoq; habere miseriam, quod mutabilis sit, & nunquam diu in eodem statu permaneat. Homo enim nunc sanus est, mox æger: nunc lætus, mox tristis: nunc timidus, mox audax: nunc vult, nunc non vult: nunc ridet, nunc flet: vno verbo tot sunt mutationes quot occurunt circumstantiæ hominem alterare valentes. Considera 2do. quanta mutatio eveniat etiam in rebus maximis, vt in regnis, in imperijs: quomodo de gente in gentem transferantur. Monarchia huius mundi migravit à Chaldæis seu Babylonijs ad Persas: ab his ad Macedonas: ab his ad Romanos. *Sic Deus transfert regna atq; constituit* Daniel. 2. vbi quatuor principalia imperia somnium sunt, & pulveri rapto assimilantur. Quod si imperia sic mutantur quid de minoribus dominijs & familijs? quid item de privatis hominum personis dicendum. *O si posemus in talem ascendere speculam, de qua vniversam terram cerneremus: iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori: alios affluere delitiis, alios mendicare: & non*

*Zachar: 6 Ezech. 1. Oseæ 6. Apoc: 6 regna cōparantur rotis, curribus, nubibus, equis currentibus, voci alarum, percutientium alterā ad alteram &c.*

*Hier: In Epit Nepotiani.*

*Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines qui nunc vivunt in brevi spatio defuturos.* O verè nihil durabile in hoc mundo! Sola charitas nunquam excidit, hæc semper vivit in pectore, & vtinam vivat.

*Punctum 2dum. De fallacia bonorum mundanorum.* Considera 1mo. hanc miseriam longe peiorem esse superioribus. Nam quēadmodum iuxta vulgare dictum: *Sanctitas ficta, est duplex iniquitas*: sic ficta apparensq; felicitas duplex est miseria. Vnde enim verò tam longa Dei nobis obrepit oblivio, vnde amor honorum, divitiarum, voluptatum, unde nulla mortis reminiscentia, nisi quia falsò putamus vitam nostram fore diuturnam; fallaciterq; credimus divitias, voluptates, honores, esse vera & stabilia bona. Considera 2do. falsam esse felicitatem in rebus creatis ex eo ipso, quia postquam eas nacti sumus, confestim nos afflictionibus periculis, curis, invidijs, laboribus & mærore gravant. Sic officia ac dignitates videntur res esse speciosæ, cum sint curis & laboribus plenissimæ. Protestare quod ad cuncta bona mundi si tibi affluant nolis cor apponere: sed ad solum Deum, qui est bonum, verum, supremum, incommutabile.

PRO-

## PRO FERIA V.

*De multitudine miseriarũ huius vitæ.*

*Miseriæ omnibus cõmunes.*

PUnctum 1mum. Considera 1mo. Etiamsi vita nostra sit brevis cum omnibus suis solatijs: revera tamen longa est propter frequentes & multas miserias: propter timores, dolores, mærores, ægritudines, labores. Quantas molestias sustinet homo, vt panem lucretur. Aviculæ & bestiæ sinè sudore necessaria sibi parant: solus homo noctes diesq; sudare debet. Considera 2do. calamitatem hominum ex casibus varijs morborum, bellorum, pestilentiarum, inundationum, furtorum, infortuniorum, propter quæ homó vitam incipit à fletu Propheta calamitatis suæ vt eum vocat S. Aug: de civitate Dei. Bernar: de cõsideratione lib: 2. *Homo*, inquit, *natus de muliere, & ob hoc cum reatu. brevi vivens tempore, ideoq; cum metu. repletur multis miserijs, & propterea cum fletu. & verè multis quia corporis & animæ simul.* Flere incipit infans in vigilia, ridere in somno, ad indicãdũ, miserias mũdi, veras esse miserias: sed gaudia falsa & quasi in somno cõtingentia.

*Laborum.*

*Casuum.*

*Punctum 2dum.* Præter hæc omnia singularum ætatum percurre miserias. Considera 1mo. quid aliud est infans nisi bestiola rationis expers in specie humana: quid iuvenis nisi eqvus indomitus? quid

*Ætatum singularũ.*

senectus nisi morborum officina. Considera 2do. singulorum statuum ærumnas & quòd nullus suâ sorte sit contentus, sed ad altiora cum animi inquietudine aspiret. Homines mundani sunt sicut infirmus qui ex vno latere voluit & revoluit se in aliud, sperans maiorem quietem quam non invenit. Considera 3tio. Deum tot amaritudinibus miscuisse vitam nostram, vt ab eius amore nos avocaret, & ad vitam æternam omnium miseriarum expertèm alliceret. Aspiratio ad vitam cælestem. Propositum cum tessera vt supra.

*Statuum.*

*Cur amara dulcibꝰ mixta in hoc mūdo.*

## PRO FERIA VI.

### *Quòd semper miser & miserabilis homo.*

*Punctum 1mum.* Attende quid fuisti ante ortum, quid nunc es, quid post mortem eris? profectò erat tempus quando non eras: postea de vili materia factus es & menstruali sangvine in vtero materno nutritus: deinde miserijs huius vitæ & peccatis expositus es: postmodum vermis & cibus vermium futurus es in tumulo. Quid igitur misellc superbis homo? *Post hominem vermis, post vermem fætor, & horror. Sic in non hominē vertitur omnis homo.*

*Quid eras? quid es? quid eris?*

*D. Berna: in medit.*

*Punctum 2dum. Humiliatio* ergo *tua in medio tui.* Vides certè ex his quæ dicta sunt vberem materiam & causam humiliationis ac contemptûs tui ipsius in te ma-

*Quilibet homo est sibi humi-*

nere. Speculum hominis est alter homo. Siquis alius est leprosus, morbidus, vndequaquè contemptibilis; talis etiam tu es, & omnibus miserijs ac defectibus sive physicis, sive moralibus, quos in alio horres tu ipse obnoxius es. Disce ergo *obtemperare o pulvis! disce te humiliare terra & limus, & sub pedibus omnium incurvare.* Contemptus tui: amor & reverentia ad alios: odium peccati & illecebrarum corporis. Propositum & tessera vt supra.

*liationis causa.*

*Alter homo est itẽ causa humiliationis nostræ*

*Thomas à Kempis.*

## PRO DIE SABBATI.

### *Quo in respectu homo apud Deum.*

PUnctum 1mum. *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Considera quòd licet homo tantæ sit vilitatis, Deus verò infinitæ maiestatis ac excellentiæ; tamen eum Deus magnificat: cuius verbi energiâ indicatur, hominem apud Deum in insigni quadam æstimatione haberi. An non magnificat seu magnifacit nos Deus, dum nos tam miseros ex natura, gratiâ sua donat: dum vsui nostro & dominio mundum subijcit: dum pretiũ sanguinis vnigeniti sui nobis applicat: dũ sedes nobis in cælis parat. *Non se desperet humana fragilitas: vnigeniti sãgvinẽ cõsideret, & in pretio suo cõspiciat quàm magna est quæ tanti valet.* Gregor: Moral: lib: 27. c. 8.

*Deus Magnificat hominem.*

*Punctum 2dum.* Considera quod non

*Apponit erga eum cor suum.* tantùm magnificet hominem Deus, at etiam cor suum apponat ad eum, quæ verba ostendunt intensum quẽdam & tenerrimũ amorem Dei ad hominem. vt mater tenerum affectum suum monstrat erga filium cum ipsum pectori apprimit: sic & Deus teneritudinem suæ dilectionis monstrat tali loquendi modo. An non apponit cor suum ad hominem Deus, quando eum continuò portat in brachijs providentiæ suæ specialis: quando eum amicissimè invitat ad mensam Angelicam corpore & sanguine suo reficiendũ, modo suavissimo: quando vsq; ad consummationem sæculi cum eo mansurum se promittit: quando tam dulcibus verbis de nobis loquitur. Hieremiæ 3. *Si filius mihi honorabilis Effraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius; idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius.*

*Causa amoris Dei erga hominem.* *Punctum 3tium.* Considera quare Deus hominem tantopere amat & æstimat? *honorat* scilicet *imaginem & similitudinem suam in nobis.* ait S. August. *In Solilo.* Si Deus nos honorat, cur nos non honoremus proximum? cur nobis ipsis per peccatum & mores inhonestos probrum ac ignominiam faciamus? Amor Dei: amor & proximi: fuga peccati & occasionis peccandi. Propositũ & Tessera vt supra.

MEDI-

# MEDITATIONES
## De gravitate peccati.

### PRO DOMINICA X. post Pent.
### *De gravitate peccati ex natura eiusdem.*

Præludium 1mum. Constitue te veluti reum innumerabilium peccatorum catenis vinctum, timentem ac trementem coram Christo in throno instar Iudicis sedente, & contra peccata pertonante.

Præludium 2dum. Pete gratiam agnoscendi detestandi & cavendi peccata.

PUnctum 1mum. *Publicanus nolebat in Cælum oculos levare, sed continuò dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori.* Unde tanta compunctio Publicani? ex eo quia recogitabat peccati malitiam, recogitabat quoq; se peccatorem esse, & sic indignum se cæli aspectu iudicabat. Ut & tu cum Publicano compungaris, atq; decætero peccata caveas: Expende 1mo. quid sit peccatum! est enim dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei. Expende 2do. quantum malum sit peccatum: est impudens à Deo fuga, & ad creaturam cum summa divinitatis despicientiâ adhæsio. Est iactura divinæ gratiæ & amici-

*Lucæ 18.*

 tiæ

tiæ. Eſt morbus cui nihil medebitur, niſi ſangvis Chriſti. Confuſio naturæ, quæ hominem cælo natum iumentis inſipientibus comparat. Mors quâ ſolus Deus te excitare poteſt. Proditio quâ mentis noſtræ munitio perfidè traditur diabolo. Sacrilega profanatio templi Dei. Furtum quo te ipſum Deo cui totus devinctus es, impiè ſubtrahis, & diabolo mancipas. Adulterium quo anima in baptiſmo iuratam Deo fidem violat, & ſeſe periura proſtituit vaniſſimis creaturis. Eſt noxa talis, quam nec Angeli nec hominis intelligentia comprehendit. Eſt demum crucifixio filij Dei & eiuſdem irriſio. His expenſis elice actum contritionis, & proteſtare cũ Eleaſaro coram Angelis omnibuſq; creaturis, quòd malis præmitti in infernum quàm prævaricari legem Dei.

*Deſcriptiones peccati mortalis.*

*Ex deſerto Aſcetico P. Meiſſeder.*

*Punctum 2dum.* Expende in omni peccato includi ſuperbiam, ingratitudinem, ſtultitiam. Superbia includitur, quia peccator erigit ſe contra Deum: contemnit præcepta divina: dorſum quodammodo obvertit Deo iuxta illud Hier: 2. *Verterunt ad me dorſa ſua & non facies ſuas*: & ſicut Synagoga rebellis Deo protervè dicebat: *non ſerviam*: ita & anima peccatrix hoc idem opere ipſo dicit. Includitur ingratitudo. Peccator enim pro beneficio

*In omni peccato ſuperbia ingratitudo, ſtultitia.*

crea-

creationis, conservationis, redemptionis, sanctificationis, & alijs incessabilibus beneficijs gravissimam iniuriam Deo reponit, dum ipsum vltrò deserit, & præcepta eius sanctissima violat. Unde S. Paulinus ait: *Quid tam superbum imò quid tam ingratum videri potest: quam adversus eius vivere voluntatem, a quo ipsum vivere acceperis: quam illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, vt causas habeat remunerandi. Neq; enim obseqvij nostri indiget Deus, sed nos indigemus eius imperio.* Includitur stultitia: Mandata enim Dei sunt desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & favum, hoc est super omnes divitias & voluptates mundi appetibiliora: quanta ergo dementia, illa cum præmijs æternis contemnere? Benignissime Domine omnia conclusisti sub peccato vt omnium miserearis: miserere ergo mei. Averte faciem tuam à peccatis meis, ad me autem eam converte. Drachma tua sum: erue me de stercore, absterge sordes meas. Ovis tua sum: erravi; accipe me in humeros. Filius tuus sum: peccavi in cælum & coram te, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Si iniquitates observaveris quis sustinebit? Astra enim ipsa non sunt munda in cõspectu tuo. Propositum: actum contritionis sæpiùs de

*Ad Celantiam.*

die & nocte eliciendi. Tessera alterutra vel vtraq; frequentanda.

*Deus propitius esto mihi peccatori.*

*O mi Iesu qui vescebar vescorq; ad mensam tuam voluptuosè, fac ne amplexer stercora.*

## PRO FERIA II.

### *De grauitate peccati ex parte maculæ.*

*Macula peccati.*

PUnctum 1mum. Ex fructibus malis, mala arbor cognoscitur. Fructus seu effectus peccati est quòd fœdissimè maculet animam. Macula autem peccati est defectus nitoris in anima, ob recessum à lumine naturali & diuino, ex adhæsione ad res creatas. Maculæ huius enormitatem expende ex his: 1mo. Nemo cum ea cælum intrabit. *Nil enim coinquinatum illuc intrabit. Et solus ille requiescet in monte sancto Dei, qui ingreditur sinè macula, & operatur iustitiam.* 2do. tanta est eius turpitudo, vt Deus non possit quidquam producere tam fœdum sicut est ipsa. 3tio. quia maculam hanc solus Sanguis IESU Christi Domini nostri eluere potest: qui solus emundat nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs. 4to. quia David tantopere ingemiscit & petit se mundari ab ipsa. Et non contentus flumine lachrymarum, in quo per singulas noctes stra-

*Quàm deformis.*

tum

tum suum natare faciebat, amplius & amplius se à Deo lavari postulat. Etiam tu cum lachrymis ora, suspira, geme vt te abluat Iesus Christus in sanguine suo, vt omnes peccati sordes ex te abstergat. Propone peccati fœditatem fugere, & insuper alios ab ea revocare.

*Punctum 2dum.* Expende è contra pulchritudinem quâ privatur anima per maculam peccati. Tum quia ei nulla inter res corporeas par esse potest pulchritudo: tum quia solus Christus novit eandem & tanti eam facit, quòd paratus erat etiam pro vna anima pœnas omnes mortemq; pati, nec semel tantùm, sed multis & innumeris vicibus quemadmodum revelavit B. Baptistæ Veronæ: tum quia lumen rationis, & multo magis lumen Spiritûs S. à quo vtroq; lumine anima nitorem & pulchritudinem suam desumit inæstimabile & incomprehensibile est. Quàm pulcher hic mundus, dum à sole sereno refulget! sed o quàm pulchrior anima dum à lumine rationis & à lumine Spiritus S. irradiatur. Tum quia anima carens peccati maculâ vocatur à Spiritu S. in sacris Scripturis pulchra, formosa, decora, immaculata, candidior nive, nitidior lacte, alijsq; præconijs venustas eius describitur: è contra in peccato existens vocatur pol-

*Pulchritudo animæ.*

*Teretius in Idiota.*

ſuta, turpis, maculata, in iniquitate in ſanguine iacens in tenebris, in nocte, in ignominia, & nuditate conſtituta.

*Colloquiũ ſeu Affectus.*

Quid feci Domine, quid feci cum peccavi? animam meam, imò tuam quia à te conditam, à te tanta pulchritudine ornatam fædavi ſpurciſſimé? verumtamen Tu promiſiſti: *Si fuerint peccata veſtra ſicut phæniceum, velut nix dealbabuntur.* Igitur lava me Domine, vt ſuper nivem dealber. Tu iuſſiſti: *Lavamini mundi eſtite* ſed quomodo ego me lavare poſſum? ſi lavero me nitro, ſi herbam borith multiplicavero, ſi aquam maris in fletus exhauſero: nihil proficio. In ſolo lavacro pretioſi ſanguinis tui me abluere valeo. Miſerere ergo mei, qui vnica ſtillâ ſanguinis tui totum mundum purificare potes? emunda me ab operibus mortuis, nimirum peccatis, ad ſerviendum tibi Deo viventi cum Patre & Spiritu S, in ſæcula ſæculorũ.

## PRO FERIA III.

### *De gravitate peccati ex parte pænarum.*

*Triplex peccati pæna.*

PUnctum imum. Reatus ad pænam eſt etiam effectus peccati. Pænæ autem triplices ob peccatũ incurruntur: aliæ à ſe ipſo, aliæ ab homine, aliæ à Deo. Quia enim qui peccat, inſurgit contra rationem,

nem, contra legem humanam, contra legem divinam, cum deberet esse subiectus & rationi, & legi humanæ, & legi Divinæ; ideo & à ratione & ab homine, & à Deo deprimitur. Sicut etenim in rebus naturalibus, ita & in humanis hoc fit, vt contra quod aliquis insurgit, ab eo detrimentum patiatur. Imprimis ergo pœnæ peccati quas peccator patitur à se ipso, sunt: Remorsus conscientiæ. de hoc Augustinus: *Omnis inordinatus animus, ipsi sibi est pœna.* & Bernardus *Infernus animæ est rea conscientia.* Item horror novissimorum, mortis, iudicij, inferni: Obcæcatio: facilior in peccata graviora aut similia prolapsio, obduratio, desperatio. Pœnæ ab alio homine ob peccatum incurruntur, quas iustitia humana decernit, vti sunt: censuræ Ecclesiasticæ, degradationes, privationes officiorum, carceres, virgæ, secures, rotæ, rogus, & innumera alia supplicia. O quàm verum est illud Apostoli ad Rom: *Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum.*

*Peccator punitur & a se ipso, & à iustitiá humana, & a iustitiâ diviná.*

*Punctum 2dum.* Pœnæ quæ à Deo vltore violatæ legis suæ inferuntur, sunt in duplici classe: aliæ quæ in hac vita, aliæ quæ in altera irrogantur. In hac vita sunt: ablatio ab homine gratiæ sanctificantis, & consequenter filiationis ac hæreditatis di-

vinæ: ſubtractio actualium auxiliorum, & paternæ providentiæ ac protectionis ſpecialis: permiſſio graviorum peccatorum: morborum, infortuniorum, mortiſq; immiſſio. In altera vita ſunt: pœna damni quæ conſiſtit in privatione viſionis divinæ, omniumq; gaudiorum cæleſtium: pœnæ ſensûs, ſeu cruciatuum quibus & anima & corpus torquebuntur. O immenſam peccati gravitatem! o quanta ſtultitia, credere hæc & peccare! O Domine Deus! Pater miſericordiarum, longanimis & multùm miſericors: tu per Prophetam tuum dixiſti: *Convertimini & redite ab iniquitatibus veſtris & non erunt vobis in tormentum impietates.* Ecce Dñe convertor ad te: deteſtor abominandas iniquitates meas; non ſint itaq; mihi in tormentum, non ſecundùm iniquitates meas, ſed ſecundùm miſerationes tuas infinitas fac mecum.

## PRO FERIA VI.

### *De gravitate peccati ex parte ſupplicij Angelorum, protoplaſtorum & aliorum hominum.*

PUnctum 1mum. Meditare quàm rigidè Deus peccatum caſtigaverit in Lucifero & ſocijs eius Angelis, qui licet omnibus naturæ & gratiæ donis in ſua

creatione ornati essent, tamen ob vnam, superbam cogitationem sinè spe veniæ deturbati sunt de cælo ad teterrimum sempiternæ gehennæ carcerem. *O quam horrendum est incidere in manus Dei viventis!* Meditare item quàm severè divina iustitia in protoparentibus nostris peccatum mulctavit. Hi enim ob transgressionẽ præcepti Divini eiecti sunt ex paradiso: ærumnis, laboribus, morbis, mortalitati, erroribus, concupiscentijs, peccatis expositi & addicti cum tota sua posteritate. Reddit Dominus hominibus secundum actus suos & opera Adæ, & secundùm præsumptionem illius. Eccl: 35.

*Punctum 2dum.* Recole quàm graviter præterea varijs sæculis varia peccata Deus punivit. Nam tempore legis naturæ totum mundum perdidit diluvio, Sodomam & Gomorrham igne & sulphure concremavit: tempore legis scriptæ Dathan & Abiron murmurantes terræ hiatu perdidit, Saul inobedientem regno privavit. Davidem bellis & pestilentiâ punivit: tempore legis novæ in mendacium Ananiæ & Saphiræ morte subitaneâ animadvertit. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminiũ impios. Eccl: 39.

O pec-

O peccatum quantæ malitiæ es, si talibus supplicijs in tempore, & gravioribus in æternitate plecteris? Tessera. Propositum vt in meditatione diei Dominicæ immediatè præcedentis.

## PRO FERIA V.

### *De gravitate peccati ex parte vilitatis humanæ, & Maiestatis Divinæ; & de gravitate eiusdem ex parte causæ impulsivæ.*

PUnctum 1mum. Expende 1mo. quid sit Deus? quantum ad naturam ineffabilis, summus, infinitus, immensus, sapientissius, potentissimus, optimus, maximus. Quantum ad tripersonalitatem incomprehensibilis: A quo omnia, per quem omnia, in quo omnia sunt. Expende 2do. quàm indignum sit ab homuncione vilissimo tantam maiestatem contemni & offendi! Cogita quàm grande piaculum esset, si vnus calo iacens in sterquilinij fimo regem, personam tam excellentem invaderet, colaphisaret, vulneraret; omnes tantum facinus horrerent. Quid verò est rex respectu Dei? Peccatum eò gravius est, quo plures tangit. Et ideo peccatum in personā publicam puta regem vel principem, vel quemcunq; alium qui in se

*Peccatum quò plures tangit, eò gravius.*

totam

totam multitudinem repræsentat, gravius est, quam peccatum in personam privatam. Quantæ ergo malitiæ & gravitatis est peccatum quodvis, ex eo quod sit offensa Dei: tangit enim omnes creaturas; quia iniuria Creatoris, est iniuria & læsio creaturarum: vnde etiam in iudicio omnes creaturæ armabuntur in vltionem offensæ divinæ adversùs peccatorem. Hîc recogita quomodo Angeli quomodo Sancti, quomodo dæmones, elementa aliæq; creaturæ armabuntur ad faciendam vindictam in nationibus & quibusvis hominibus perversis. Concipe odium peccati: propone illud cum occasionibus suis vitare.

*Læsio Dei est læsio omniũ creaturarũ.*

*Punctum 2dum.* Considera inde quoq; cognosci fæditatem & indignitatem peccati, quia propter levem causam quandoq; perpetratur: crescit enim procul dubio iniuriæ magnitudo, si levi de causa irrogetur: Expende igitur quam ob causam Deum tuum offendisti? propter modicam & fædam carnis voluptatem: proproter honoris auram; propter vile vnius alteriusvè nummi lucellum: propter exiguum propriæ voluntatis gustulum: ac deniq; propter res abiectissimas instar fumi prætereuntes, quæ in Dei comparatione ita sunt ac si non essent. O laborem vesanum! o insanam

com-

commutationem? derelinquere Deum pro desiderijs bonorum caducorum. Anima mea si fatuum tibi videtur factum Esau, qui primogenita sua pro lentis edulio vendidit: multò magis fatuè agis, cùm cælum propter huius vitæ commoda vendis. Expende item lucrum peccati. 1mum lucrum est quia gratiam Dei, quæ dicitur semen æternæ gloriæ amisisti. 2dum. quia reatum æternarum pænarum incurristi. 3tium quia remorsum conscientiæ contraxisti. 4tum. quia famam apud homines perdidisti. Agnosce, dole, emenda. Propositum & tessera ex die Dominico immediato.

*Quadruplex lucrũ peccati.*

## PRO FERIA VI.

### *De gravitate peccati ex parte Christi pro ipsis passi.*

PUnctum 1mum. Considera tantam esse gravitatem peccatorum nostrorũ, vt necesse fuerit Christum Dominum pati & mori ad satisfaciendũ iustitiæ Divinæ pro ipsis. Ille enim propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod offensus æquè vel magis diligit, quàm oderit offensam. Nulla porrò pura creatura poterat Deo offenso tale quid præstare pro peccatis hominum. Christus autem ex charitate & obedientia patiendo, maius Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret re-

*S. Tho: 3. p. q. 48. art: 2.*

com-

compensatio totius offensæ ab humano genere Deo illatæ. 1mo. quidem propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur. 2do. propter dignitatem vitæ quam pro satisfactione ponebat, quæ vita Dei & hominis fuit. 3tio. propter generalitatem passionis & magnitudinē doloris assumpti. Age gratias. Christus exoluit quæ tu in primo parente rapuisti. Totum ergo te illi in servitutem dedica. Offer æterno Patri in satisfactionem pro tuis peccatis charitatem & obedientiam eius. offer vitam ipsius omnesq; dolores & mortem ipsam.

*Christi satisfactio superat offensam totius generis humani.*

Punctum 2dum. *Quam gravis sit peccati & quam dura conditio, prodit remedij magnitudo.* Considera quot quantasq; filius Dei incarnatus in pueritia incommoditates sustinuerit: quos quantosq; in adolescentia & juventute labores ac iniurias tolerarit: quot quantosq; cruciatus tempore passionis in anima & corpore omnibusq; potentijs membris & sensibus passus sit ad expianda omnium nostrum peccata, & tua quidem in particulari, quæ assiduè oculis eius obversabantur. Si innocentissimus ille Agnus enormia tormenta passus pro alienis peccatis: quid tibi pro tuis faciendum? Considera item quòd Christus propter peccata nostra ab instanti

*S. Aug. ser. in Epiph. 30.*

*Nicolaus Lyranus in colloquio peccatoris & crucifixi.*

conceptionis suæ ne quidem ad momentum absq; acerbissimo Martyrio fuerit, quod præter suam futuram passionem, Matrisq; compassionem, causabant omnium electorum suorum prævisa martyria quæ plenissimè vt & illi, imò acrius & intensius patiebatur in inferioribus animæ viribus; quia plus amavit vnumquemq; electum quàm ipse se amare posset. Vere iniquitates nostræ congregaverũt super Christum flagella & ipse ignoravit crimen omne. nostris tamen flagitijs repletus fuit. Elice actum contritionis & ora: *Quærens me sedisti lassus redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Adde propositum & tesseram ex die Dominico.

*Iesus Christus non fuit vna hora absq; passione quo ad vixit. Tho. à Kemp.*

## PRO DIE SABBATI.

### *De peccato veniali.*

Punctum primum. Peccatum veniale est dictum factum vel concupitum præter legem Dei. Dicitur *præter legem Dei non contra.* Nam non est contra finem legis, nimirum charitatem, sed duntaxat contra debitum modum rationis à lege intentum, quia vel prævenit deliberationem vt fit in venialibus ex imperfectione actûs: vel materiã ad finẽ suum non refert actu vt fit in venialibus ex genere suo. Differt ergo à mortali quia hoc simpliciter & perfectè con-

*Habitualis tamen ordinatio fit ad Deũ in veniali.*

contra legem Dei est: veniale verò tantùm secundùm quid, scilicet secundùm imperfectum quia indeliberatum motum aut secundùm imperfectam materiam, qualis est, mendacium jocosum, risus superfluus, verbum otiosum. *Delicta quis intelligit.* A proprijs & alienis, ab occultis & manifestis, à mortalibus & venialibus parce servo tuo.

*bus: quia charitas quam veniale non excludit habitualiter ordinat ad Deum.*

*Punctum 2dum.* Cavendum esse summopere veniale disce ex authoritatibus, S. August: tract: in Ioann: 12. ait: Peccata minima si negliguntur, occidunt. intellige, dispositive. Idem in lib de pænit. *Peccata venialia si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant vt à cælestis sponsi amplexibus nos separent.* privando scilicet nos cælestibus consolationibus vel ad mortale inducendo. Quare iuxta eundem *timenda ruina multitudinis si non magnitudinis.* Hieron: Non considerandum inquit quod sint parva sed quod magnus sit Deus cui displicent S. Greg: scribit periculosiùs aliquando esse veniale quàm mortale eò quod hoc facile notetur, illud non item. Minutissima sunt grana arenæ, & tamen si multa mittantur in navem, mergitur. S. Thomas: *Augmentata dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum potest crescere libido peccandi*

*quod ille qui peccat, finem suum constituat in peccato veniali.* Quare mens Deo dicata sic caveat minora vitia vt maiora? Quid enim refert perire ab vno vrso vel à multis culicibus.

*Punctum 3tium.* Quàm grande sit malum ideòq; summè cavendum, omne etiam minimum peccatum disce item ex rationibus. 1mo. quia est malum culpæ quod excedit omnia mala pænæ. vnde præstaret millies mori imò totum orbem perire quàm deliberatè venialiter peccare. 2do. quia disponit ad mortale sicut morbus ad mortem. *Qui enim consvescit in minoribus voluntatem suam debito ordini non subijcere, disponitur ad hoc vt etiam voluntatem suam non subijciat ordini ad ipsum vltimum finem.* Ordo autem ad vltimum finem est charitas. Qui spernit modica paulatim decidet. 3tio. quia gravissimis in purgatorio expiatur pænis. Theodorici Traiectensis Episcopi servus ad vitam redux dixit: Si ex omnibus mundi lignis vnus ignis fieret, mallem in eo vsq; ad iudicij diem ardere quàm per spatium horæ illo igne id est purgatorij vri. Ex gravitate pænæ intellige gravitatem culpæ venialis & eam omni studio cave.

*S. Tho: 12. q. 88. ar: 3.*

*Eccl: 18.*

MEDI

# MEDITATIONES
## De peccatis Capitalibus.
## PRO DOMINICA XI post Pent.
### *De Cenodoxia.*

*Marci 7.*

PUnctum 1mum. Curaturus Dominus surdum & mutum duxit eum de turba seorsum, & postquam curavit eum præcepit discipulis ne cui dicerent. quare id vt discamus fugere inanem gloriam. Considera 1mo quid sit inanis gloria? est enim vitiosus seu in ordinatus appetitus manifestationis excellentiæ propriæ. Considera 2do. omnem illam esse vanam gloriam quam ex rebus caducis ab hominibus captamus non referendo ipsam ad gloriam Dei vel vtilitatem proximi.

*Filiæ inanis gloriæ.*

*Punctum 2dum.* Expende cenodoxiæ, hoc est inanis gloriæ malitiam: quia omnia bona opera reddit infructuosa & privat merito: quia item est peccatum capitale; habet enim filias inobedientiam, iactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, & novitatum præsumptionem. Ex filialibus agnosce matrē: & si detestaris filias, detestare & matrem. Propositum conveniens eliciatur. Tesseræ pro tota septimana.

*Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

Eccles. 10. *Via peccantium complanata lapidibus: & in fine illorum, tenebræ & inferi & pœnæ.*

## PRO FERIA II.
### *De Avaritia.*

Punctum 1mum. *Adducunt ei surdum.* Quis surdus iste nisi avarus? hic enim surdus est ad preces pauperum. Considera 1mo. quid sit avaritia? est inordinatus appetitus habendi. Considera 2do. cum sit capitale vitium quas habeat filias? filiæ eius sunt: proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obduratio. Expende singularum malitiam & disces quàm sit res detestabilis avaritia.

*Filiæ Avaritiæ.*

*Punctum 2dum.* Expende malitiam avaritiæ: 1mo. quia tantas nequitias parturit. 2do. ab Apostolo comparatur idololatriæ, seu servituti idolorum. 3tio. quia avari plerumq; morte pessimâ moriuntur. Hic exempla de Iuda, de Anania & Saphira, de divite Evangelico, de proprietariis Religiosis percurre. Certè misericordes felici fato moriuntur: ergo avari, infelici. Detestare avaritiam: propone, si religiosus es, abhinc omnia in manus superioris consignare.

## PRO FERIA III.
### *De Luxuria.*

Pun-

PUnctum 1mum. *Apprehendens eum de turba seorsum.* Peccatum luxuriæ in turba incurritur, extra turbã seorsum sanatur. Egredimini de ea (de Babylone, de turba) populus meus: ne fortè mollescat cor vestrum. Ier: 51. Considera 1mo. luxuriam esse appetitum inordinatum delectationum venerearum. Considera 2do. esse peccatum capitale, & habere filias has: cæcitatem mentis, inconsideratione͂, præcipitantiam, inconstantiam, amorem sui, odium Dei, amorem præsentis sæculi, horrorem futuri. Quanta mala ex luxuria!

*Punctum 2dum.* Expende malitiam & fæditatem luxuriæ. Nam non solùm animam sed & corpus & famam hominis commaculat: deinde hominem bestijs assimilat: item facile ad consvetudinem peccandi, & demum ad desperationem inducit. Expende 2do. luxuriam curari & caveri non nisi per fugam: ait enim Apostolus: *Fugite fornicationem*: fuge ergo & tu: fuge non tantum opus, sed & cogitationem. Ito seorsum ex turba cum salvatore, vt te per dona Spiritus sui sanctificet. Propositum fugiendi occasiones & conversationes sæculi.

## PRO FERIA IV.

### *De Gula.*

Punctum 1mum. *Tetigit linguam eius.* Tangendo sanavit lingvam muti, *vt ostenderet* (ait Chrysostomus in Matth:) *carnem suam salutiferam virtutem habere.* Non solum muti, sed & gulosi cuiuslib et lingua & guttur indiget à Christo tangi, ne cibo & potu nimio delectetur. Considera 1mo. gulam esse inordinatum edendi & bibendi appetitum. Considera 2do. vitium hoc esse capitale & habere filias: ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium & hebetudinem mentis circa intelligentiam. Examina singula.

*Filiæ Gulæ.*

*Punctum 2dum.* Expende malitiam gulæ: disponit enim hominem ad luxuriam: privat vsu rationis per ebrietatem: ex hominibus facit porcos Epicureos: morbos varios generat: & ante tempus mortem adducit. Detestare ebrietatem. ora & propone sobrietatem ac frugalitatem.

## PRO FERIA V.

### *De Ira.*

Punctum 1mum. *Venit per sidonem ad mare Galileæ.* Per mare cor hominis significatur. *Cor impiorum quasi mare fervens.* hoc frequenter commovetur & agitatur iræ vitio velut vento validissimo: non quiescet nisi IESUS ad illud veniat.

Consi-

Considera 1mo. iram esse appetitum vindictæ: est autem ira vitiosa si fiat contra moderamen rationis. Habet filias: Rixam, tumorem mentis, contumeliam, clamorē, indignationem, & blasphemiam. Considera 2do. malitiam iræ, facit enim hominem sui impotem: facit item stultum: qui à passim in scripturis iracundus vocatur stultus: facit quasi ebrium, ira enim est ebrietas animi: inducit hominem ad homicidium & blasphemiam, quæ sunt gravissima peccata.

*Media frænādi irā.*

*Punctum 2dum.* Expende media frænandæ iræ. 1mum est frequenter & ferventer orare virtutem mansuetudinis. 2dum est sincera dilectio proximi. Non irascimur facilè ei quem diligimus. 3tium humiliter de se sentire, & dignum se reputare quacunq; læsione. 4tum recogitare quòd à Deo non ab homine veniat tibi hoc vel illud flagellum. 5tum recogitare quòd iustè hanc vel illam iniuriam patiaris. Ora Dominum IESUM vt ad cor tuum velut ad mare veniat: & silebunt omnes fluctus eius.

## PRO FERIA VI.

### *De Invidia.*

PUnctum 1mum. *Bene omnia fecit.* Vox hæc fuit discipulorum & devotæ plebis non invidorum Pharisæorum. Hi enim

(quod invidis omnibus proprium est) opera Christi optima non solum non laudabant, sed abscondebant, extenuabant, traducebant. Considera 1mo. invidiam, esse tristitiam de bonis proximi. Considera 2do. eam vitium esse capitale & habere filias: Odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, afflictionem in prosperis.

*Filiæ invidiæ.*

*Punctum 2dum.* Expende malitiam invidiæ: quia contrariatur charitati proximi, sine qua nemo potest salvari: quia item est vitium merè diabolicum, & per illud similes diabolo efficimur: quia insuper summè torquet etiam ipsum invidum. Actus convenientes eliciantur vt detestatio invidiæ, & omnium eius filiarum: amor proximi. tristitia in adversis eius.

## PRO DIE SABBATI.

### *De acedia.*

*PUnctum 1mum. Solutum est vinculum linguæ eius.* Acediosus omnis, mutus est ad laudes divinas; loqvetur verba salutaria & pia, si tangatur virtute Christi. Considera 1mo. acediam esse tristitiam de bono spirituali. Capitale peccatum est. habet filias: Malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, evagationem mentis circa illicita.

cita. Considera 2do. gravitatem acediæ: quia inprimis contrariatur charitati divinæ; cuius est gaudere de bonis Dei: quia deinde producit pessima vitia quæ filiæ eius vocantur: quia insuper omnis acediosus propter suam pigritiam est nauseabilis & putrescit non solùm in spiritu sed & in carne.

*Punctum 2dum.* Expende media resistendi acediæ: 1mum. est merces æternæ gloriæ. 2dum. exempla Christi, Sanctorum, & fratrum tibi conviventium. 3tium. temporalis gloria apud homines quam appetere propter vlteriorem finem, nempe Dei gloriam, & hominum vtilitatem est honestum & licitum. Affectus convenientes elice, & novumfervorem propone assumere.

# MEDITATIONES.

## De effectibus seu potius defectibus ex peccato provenientibus.

## PRO DOMINICA XII. post Pent.

### *De quatuor plagis animæ.*

PUnctum 1mum. *Homo quidam descendens ab Hierusalem in Iericho*, id est, (vt exponit Beda) *in defectum peccati, incidit in latrones, qui eum exspoliaverunt, & plagis impositis abierunt semivivo relicto La-* Lucæ 10.

ꝭo. Latrones sunt peccata tum originalia tum personalia; hæc exspoliaverunt & vulneraverunt hominem, scilicet *exspoliaverunt in gratuitis & vulneraverunt in naturalibus*. Latrones sunt etiam diaboli. Quoties hi traxerunt te & non sensisti, vulneraverunt & non doluisti. Vita Hiericho, locum suspectum, locum latrocinij & sanguinum.

*Punctum 2dum.* Plagæ per peccata homini impositæ sunt duplices: aliæ ex parte animæ: nimirum infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia, quatuor plagæ quatuor potentijs animæ inflictæ. Rationem vulneravit ignorantia, voluntatem malitia, irascibilem quæ debet ordinari ad ardua infirmitas, concupiscibilem concupiscentia. Vulneratio autem ista nihil aliud est, quàm privatio proprij ordinis in viribus animæ. concupiscibilis enim debet subijci irascibili, irascibilis voluntati, voluntas rationi, ratio Deo. Aliæ plagæ homini impositæ per peccatum sunt ex parte corporis: & istæ sunt omnes defectus & miseriæ corporales, vt mors, morbi, fames, sitis, &c. Vide quanta mala in animam & corpus hominis inducit peccatum. Propositum alienas miserias & defectus sublevandi. Tessera pro tota septimana eligatur ex his.

Deus

*Deus meus misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia: reseca à me erga proximos duritiam.*

*Domine Iesu fac ne vnquam claudam viscera mea à necessitatem patiente fratre.*

S. Aug: in med: c. 2.

*O gaudium cordis mei, & lætitia spiritus mei, diligam te toto corde meo, toto animo meo, totis medullis & visceribus meis, quia tu prior dilexisti me: diligam & proximum meum sicut me ipsum, quia tu sic iussisti. S.* August: in Soliloq:

## PRO FERIA II.

### *De operibus misericordiæ.*

Opera misericordiæ spiritualia.

PUnctum 1mum. Defectus seu plagæ animæ impositæ (de quibus in meditatione priori) sublevantur per opera misericordiæ spiritualia quæ sunt septem: *Docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos & graves & pro omnibus orare.* Examina te an dicta opera beneficentiæ exercueris; si ita, age gratias Deo: si secus, dole & emenda.

Corporalia.

*Punctum 2dum.* Defectus seu plagæ corporales proximi sublevantur à nobis per opera misericordiæ corporalia, quæ sunt itidem septem: *Pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem,*

*visita-*

*visitare infirmum, redimere captivum & sepelire mortuum.* Examina te an videns his defectibus aut horum aliquo vulneratum proximum præterijsti, sicut Sacerdos vel Levita? an verò misericordiâ motus es ad instar Samaritani? Si misericordem te fuisse invenis, Deo age gratias, qui omnia bona operatur in nobis; si durum, dole & emenda. Propositum & tessera vt heri.

## PRO FERIA III.

### *De motivis miserendi.*

P*Unctum vnicum.* Considera 1mo. defectus & miserias alienas esse tuas: quia earum principia & causæ in te quoq; sunt: & si nunc non pateris defectus quos in alio vides, brevi forsitan patieris. Considera 2do. Christum esurire in esurientibus, sitire in sitientibus, nudum esse in nudis, hospitem in hospitibus. Considera 3tio. dona quæ tibi divinitus dantur, sunt quidem tua quantum ad proprietatem (sive proprietas sit in particulari sive in communi) sed quantum ad vsum, sunt etiam aliorum, qui ex eo quod tibi in bonis tuis superfluit sustentandi & fovendi sunt. Unde S. Basilius dicit: *Si fateris bona temporalia tibi divinitus provenisse, an iniustus est Deus, inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, ille verò mendicat,*

*nisi vt tu bonæ dispensationis merita conseqvaris, ille verò patientiæ bravijs decoretur. Est panis famelici quem tu tenes: nudi tunica quam in conclavi conservas: discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum quod possides humatum: quo circa tot iniuriaris, quot dare valens es.* Considera 4to. quia misericordi homini affulgebit misericordia Dei in hora mortis iuxta illud: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Considera 5to. Christum misericordes singularibus encomijs in iudicio extremo honoraturum, duros durissimè fulminaturum. Affectus convenientes elice, cum proposito & tessera vt supra.

*In serm: ad divites avaros, super illud Lucæ 12. destruam horrea mea.*

## PRO FERIA IV.

### *De impedimentis miserendi.*

PUnctum imum. Sacerdos viso saucio pertransivit: similiter & levita. quare? quia vel omnes vel aliquem ex obicibus miserendi habuerant. 1mus. est avaritia: avari enim obdurati sunt contra misericordiam; quia obduratio contra misericordiam est filia avaritiæ. Epulo avarus erat, ideoq; noluit misereri Lasari. [2]dus est superbia: superbus namq; despicit quemvis; & facilius indignatur, quàm aliquid pauperi dignatur dare. 3tius. est

*Immisericordia in Ecclesiasticis.*

amor sui ipsius. Unde Apostolus 2. ad Timoth: 2. homines amantes seipsos vocat duros & sine benignitate.

*Punctum 2dum.* Sacerdos tantum & Levita commemoratur absq; misericordia præterijsse. Considera 1mo. inter Ecclesiasticos potissimum regnare avaritiam, quæ non sinit quidquam boni indigentibus præstare; regnare item prodigalitatem, dum bona Ecclesiastica in canes, in luxus in consangvineos prodigè effunduntur. Considera 2do. obligationem eorum. Sunt enim dispensatores bonorum Ecclesiæ; ad dispensatorē autem pertinet vt fidelis inveniatur, & fideliter dispenset illis quorum sunt bona. D. Bernardus: *Patrimonia pauperum sunt facultates Ecclesiarum: & sacrilega illis crudelitate surripitur, quid quid sibi ministri & dispensatores, non vtiq; Domini & possessores, vltra victum accipiunt aut vestitum.*

*Unde?*

*Qua conscientia?*

Punctum 3tium. Considera *damnationem eorundem*: dicitur enim Matth: 24. *Quod si dixerit malus servus in corde suo: Moram faciet Dominus meus venire;* quod pertinet ad divini iudicij contemptum; *& cæperit percutere conservos suos.* quod pertinet ad superbiam; *manducet autem & bibat cum ebriosis,* quod pertinet ad luxuriam; *veniet D*

*Qua damnatione?*

*Matt: 12. & 24.*

*et Dominus servi illius in qua die non sperat & dividet eum*, scilicet à societate bonorum, *& partem eius ponet cum hypocritis*, scilicet in inferno. quod totum exponit S. Thomas de Ecclesiasticis. Detestare avaritiam, superbiam, & amorem tui ipsius. Si bona Ecclesiæ tenes, si superior es, disce fidelis esse dispensator.

*Malũ servum dividet Dñus hoc est animã eius separabit à corpore: ponetq; in inferno inter infideles & hypocritas. 22. q. 185. art. 7.*

## PRO FERIA V.

### *De correctione fraterna.*

PUnctum vnicum. *Alligavit vulnera eius infundens oleum & vinum*; vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. iuxta D. Gregorium lib. 8. Mora: Considera 1mo. correctionem fraternam delinquentis esse remedium quoddam adversus peccatum alicuius; remedium autem hoc debere esse temperatum ex lenitate & severitate, vt neq; multâ asperitate exulceretur proximus, neq; multâ benignitate solvatur. Considera 2do. correctionem esse actum charitatis, & ex charitate debere procedere. imò. correctio fraterna est maior actus charitatis, quàm curatio corporalis infirmitatis vel subventio inopiæ alienæ. Considera 3tio correctionem fraternã esse de præcepto. Præcepit enim Salvator: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te*

*& ipsum solum.* & S. Aug: de verbis Domini ait: *Si neglexeris corripere, peior factus es quam qui peccavit.* Porro præceptum correctionis non ad solos Prælatos, sed ad omnes prorsus homines pertinet, inquantum correctio tendit specialiter ad emendationem fratris per simplicem admonitionem non per coactionem. *Unicuiq; enim mandavit Dominus de proximo suo.* Examina te an & qualiter peccantem corripueris: an verò potius eum iuveris in murmurando, in detrahendo, in calumniando. Propositum cum affectibus convenientibus fiat. Tessera vt supra.

*Præceptũ correctionis per coactionem ad solos Prælatos pertinet: præceptũ correptionis per admonitionẽ simplicem pertinet ad quosvis fideles.*

## PRO FERIA VI.

### *De Samaritani misericordia: & de secreta atq; in debitis circumstantijs danda admonitione.*

P*Unctum imum. Samaritanus misericordia motus.* Samaritanus interpretatur custos. Christus custos noster. Custos solet arbores & loca alta conscendere vt videat & prævideat insidias: Ecce custos noster in alto, in arbore crucis vt à nobis avertat insidias! *Viso sauciato misericordia motus.* O misericordia! vt vulnera nostra curaret ipse vulneratus est & attritus propter scelera nostra. Ut nos semianimes vivificaret, ipse mortuus est. Vinum

& ole-

& oleum sacrati sanguinis sui infudit nostris plagis: & sic nos sanavit reduxitq; ad Ecclesiam & communionem fideliũ: commendavit stabularijs spiritualibus vt nostri curam haberent & duobus nummis veteris ac novi testamenti sustentarent ac corroborarent infirmos.

*Punctum 2dum. Alligavit vulnera eius.* hoc est, abscondit: *Secreta enim admonitio studet correctioni, parcit pudori.* Sic debemus conscientiam fratris emendare, vt servemus famam. Hæc enim necessaria est tum ipsi peccanti, nam præ timore infamiæ, multi à peccato retrahuntur. Unde Hier: dicit: *Corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem vel verecundiam amiserit permaneat in peccato.* tum illis etiam cum quibus vivit peccans. Nam infamato vno, alij infamantur. Vide qualis fueris erga famam fratris tui.

*Necessitas famæ & quoad nosipsos, & quo ad communitatem in qua vivimus.*

*Punctum 3tium.* Correctio fraterna non quolibet loco nec tempore quolibet fieri debet. Quia actus virtutum fieri debent observatis debitis circumstantijs, vt videlicet fiant vbi debent, quando debent, & secundùm quod debent. Vnde quia correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, tunc & illo loco adhibenda est, vbi speratur fratris emenda-

tio secutura. Si autem probabiliter æstimatur quod peccator admonitionem non accipiet, sed ad peiora labetur, ab huiûs modi correptióne supersedendum est. Examina te an oportunum tempus & locum quærebas emendationi fraternæ, an verò publicè quovis loco & tempore confundebas fratrem? an ex benevolentia admonebas vel ex indignatione?

## PRO DIE SABBATI.

### *De dilectione proximi.*

PUnctum unum. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quis proximus noster? respendet S. Hieron: in epistolam ad Roman: *Omnis homo proximus esse censendus est.* Quid autem causæ vt diligas proximum sicut teipsum? quia convenit tecum in naturali Dei imagine, & in gloriæ æternæ capacitate. Ex eadem ratione etiam inimici nostri diligendi sunt. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In hoc verbo vt ait Apostolus, instauratur omne mandatum, hoc est vt interpretatur D. Hieron: *Recapitulatur omnis justitia in dilectione proximi: & injustitia nascitur dum plus cæteris nos amamus. Qui enim sicut se diligit proximum, non solum illi malum non facit sed etiam bonum facit, quia & circa se utrumq; cupit impendi.*

*Punctum 2dum.* Quomodo debemus diligere proximum. 1mo. debet esse sancta dilectio proximi, vt scilicet diligamus proximum propter Deum, sicut & nos ipsos debemus propter Deum diligere. 2do debet esse justa vt non condescendamus proximo in aliquo malo, cui solum in bonis favendum est. 3tio. debet esse vera. vt diligamus proximum non propter nostram utilitatem vel delectationem, sed duntaxat quod velimus illi bonum sicut nobis ipsis volumus. Nam cum quis diligit alterum propter suam vtilitatem vel delectationem non verè ipsum sed potius se diligit. Examina te an & qualiter dilexeris proximum Propositum & Tessera vt supra.

*Dilectio proximi qualis esse debet?*

---

# MEDITATIONES

## In ordine ad pænitentiam.

## PRO DMINICA XIII. post Pente.

### *De lepra peccati.*

P*Unctum 1mum. Occurrerunt ei decem viri leprosi. Spiritualiter per decem leprosos intelligitur vniversitas peccatorum contra Decalogum.* ait S. Bonav. Considera 1mo. Peccatum seu transgressionem præcepti divini lepram esse: quia inficit ani-

*Lucæ 17.*

*Super Luc.*

mam hominis; quia abominabilem & fætidum reddit hominem non solum coram Deo sed etiam coram hominibus ipsis; quia item hominem segregat & longè ponit à Deo, & communionis precum Ecclesiæ facit exortem. Considera 2do. quomodo curetur hæc lepra? curatur enim per gratiam IESU Christi, dum in amara compunctione ad ipsum clamamus, & nos Sacerdotibus in confessione Sacramentali ostendimus.

*Punctum 2dum.* Considera 1mo. qualem te gerere debeas in pænitentia? debes enim à longe stare per humilitatem tanquam indignus Dei & hominum consortio: debes deinde levare vocem cordis ad Christum per contritionem: tandem cum fiducia debes petere animæ sanitatem. Considera 2do. qualem te gerere obligeris post acceptam à peccatis absolutionem: oportet vt ferventes & crebras gratias agas; vt summo studio cures non relabi, ne tanquam ingratus Christi indignationem incurras. Et ego leprosus sum. IESU præceptor miserere mei. Præcipe lepræ & discedet à me. O quoties mundasti me! sis in æternum benedictus. Nunquam, nunquam discedam à te. Propositum: Contemptus mei ipsius. Tessera per septimanam replicanda:

*Multi sunt & magni languores mei Domine, multi & magni sunt. sed amplior medicina est tua.* S. Aug: in Conf. lib: 1. in fine.

*O lux cæcorum & virtus infirmorum Domine Deus meus attende animam meam, & audi clamantem de profundo.* Idem lib: 11.

*Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine non ne tu quis solus es.*

## PRO FERIA II.

### *De Decalogo.*

PUnctum imum. *Qui contra decalogum peccant non amando Deum nec proximum, sub denario numero ad Deum clamant.* Considera 1mo. Decalogum fundari in illis duobus primis & vniversalibus præceptis legis naturæ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum.* Considera 2do. omnia præcepta Decalogi ad iustitiam pertinere. Nam prima tria præcepta sunt de actibus religionis quæ est potissima pars justitiæ. 4tum est actibus pietatis, quæ est secunda iustitiæ pars. Alia verò 6. de actibus iustitiæ communiter & propriè dictæ, quæ indifferenter omnibus suum debitum reddit. In tribus primis præceptis præcipitur recta ordinatio ad Deum: in 4to ad parentes: in sex alijs, ad proximum. Ex quibus duo vltima sunt de actibus internis; quatuor verò priora sunt de actibus externis.

*Glossa super Lucā.*

*Præcepta decalogi ad iustitiam pertinent.*

Da mihi Domine intellectum & scrutabor legem tuam & custodiam illam in toto corde meo.

*Punctum 2dum.* Considera quæ vitia præceptis divinis damnantur & prohibentur. 1mo præcepto damnatur superstitio, eiusq; species omnes: vt idololatria, divinationes, observationes. Omnes enim superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus vel tacito vel expresso: & ideo omnes intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me.* 2do. præcepto error nefandarum hæresum (vt ait S. Aug:) vel irreligiositas, circa assumptionem divini nominis. 3tio. amor huius sæculi. 4to. impietas. 5to. luxuria operis. 6to. crudelitas. 7mo. rapacitas. 8vo. falsitas. 9no. cogitatio adulterina. 10mo. cupiditas. Rimare conscientiam tuam ne forte vitiorum istorum aliquod lateat in ea: si ita dole & cura extirpare: si secus, age Deo gratias & omni custodia serva cor tuum.

*De decem chordis.*

## PRO FERIA VI.

### *Pecccata ob ingratitudinem revivifcunt.*

PUnctum 1mum. *Et novem vbi sunt?* Expende quanta sit paucitas gratorum, quanta multitudo ingratorum pro bene-

beneficio iustificationis. nam plurimi non agunt gratias pro remissione peccati, & quod gravius, redeunt ad peccatum, quod maximæ ingratitudinis est. Per omne namq; peccatum redditur homo ingratus Deo qui peccata remisit. Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

*Quatuor genera peccatorū ingratitudinis, reviviscentiam præteritorū operāta.*

*Punctum 2dum.* Expende quatuor esse peccatorum genera per quæ ob ingratitudinem alia reviviscunt. 1mum est odium fraternum. servus enim cui Dominus omne debitum demiserat, traditus est tortoribus & iussus de integro solvere, propterea quod ingratus præstiti sibi beneficij, fratrem suum tyrannicè tractasset, repetendo ad eodem debitum. 2dum est apostasia à fide. 3tium contemptus confessionis. 4tum. dolor de pænitentia acta. Vide ne aliquo modo lepra peccatorum tuorum ad te redeat. Fuge odium fraternum: ne Deus, rigidus fiat exactor à te etiam eorum quæ tibi dimisit. Gratiarum actio pro toties tibi dimissis peccatis: detestatio omnis peccati: dilectio fraterna: odium & contemptus tui ipsius. Tessera sumatur ex die Dominico.

# PRO FERIA IV.

## *De Confessione.*

*Confessionis obstacula quatuor.*

PUnctum 1mum. *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Quanti sunt qui lepram Sacerdoti ostendere non eunt turpitudinem suam celantes. Considera impedimenta Confessionis quæ sunt: 1mo verecundia. 2do. perversa consvetudo & inolitum aliquod vitium; quod deserere mors quædam videtur. 3tiò. potentia dæmonis, qui cum habeat imperium quoddam in peccatorem, facile eum retrahit à confessione. 4to. perturbatio potentiarum animæ in peccatore. Nam per peccatum intellectus obscuratur, voluntas debilitatur, appetitus ad malum inclinatur: Sic difficultas oritur ad Confessionem faciendam. Vide ne impingas in aliquem obicem!

*Inductiva ad Confessionem.*

*Punctum 3tium.* Expende quanta stultitia erubescere confiteri peccatum homini quod toti mundo in iudicio Dei palam fiet. Vulnera & corruptiones corporis non erubescimus medicis ostendere: corruptiones animæ Sacerdotibus ostendere cur verecundamur? Expende item illud scripturæ: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur*, scilicet ad vitam æternam. *Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Propositum exactæ

*Proverb: 28.*

con-

confeſſionis. Teſſera ex die Dominicæ.

## PRO FERIA V.

### *De reſuſcitato Laſaro.*

*Sacramẽti pænitẽtiæ typus in Laſaro.*

PUnctum 1mum. Sacramenti pænitentiæ maior ad huc in Laſaro reſuſcitato quàm in antelatis leproſis adumbratio. Languebat Laſarus; ex languore mortuus, dumq; dies alter & tertius à morte tranſiſſet fætebat. Et tu ex languore ſeu tepore ſpiritûs in mortem peccati venies; quod ſi in hac diutius hæſeris, fætebis & coram Deo per malam conſcientiam & coram hominibus per malam famam. Mala conſcientiâ & mala famâ quid olidius?

*Punctum 2dum.* Prodijt Laſarus ligatus manus & pedes. *Solvite eum.* ait Chriſtus, *& ſinite abire.* Ligaturæ iſtæ ſunt vincula peccatorum & pravorum habituum, quibus ligantur manus ne bene operentur, ligantur pedes, hoc eſt, affectus ne bene velint. In morte namq; peccati nemo quidquam bene & meritoriè operari valet, ſed ne velle quidem. Hæc tamen vincula iuſſu Chriſti, accedente Sacerdotum abſolutione diſrumpuntur. O IESU mi dirupiſti toties vincula mea! tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: fac ne illis amplius implicer!

*Punctum 3tium.* Manducavit Laſarus redivivus cum IESU. Totum id nobis

ſcum ſpiritualiter agitur, quidquid cum Laſaro actum. Langvemus, dum tepidi ad proximam ſpiritualem mortē diſponimur: morimur, cum in peccatum labimur: fætemus dum pravæ conſuetudinis & malæ famæ tetro odore malè olemus: reſuſcitamur, dum ad vocem Chriſti, hoc eſt, ad ejus excitantem gratiam à peccato per contritionem erigimur: ſolvimur, dum Sacramentali confeſſione & abſolutione, à vinculis cenſurarum & peccatorum abſolvimur: menſæ cum Chriſto accumbimus, dum Sacroſanctam Eucharistiam percipimus. O ſi eo fructu quo Laſarus! O JESU mi ita conforter cibo hoc cæleſti, ne vnquam in languorem ſpiritûs incidam. Teſſera vt ſupra.

## PRO FERIA VI.

### *De filio prodigo ad contritionem excitandam.*

PUnctum imum. *Filius prodigus acceptâ à Patre ſubſtantiæ portione abijt in regionem longinquam.* Refer hoc ad te & expende beneficia, quæ à Domino Deó tuo accepiſti. 1mo. à Patre æterno quod te ex nihilo ad imaginem ſuam vt cum illo poſt mortem regnares creavit; quód omnes creaturas etiam Angelos ſanctos in miniſterium tuum deputavit: quod hac-

tenus paternam curam circa te quasi solus in mundo esses gessit. Percurre hic annos, loca, itinera, habitationes, occupationes, studia, officia; & recole, quo pacto tibi semper tum corporis tum animæ necessaria suppeditavit. 2do. à filio Dei quòd pro te ab æterna damnatione redimendo de cælis descenderit, tot ærumnas in pueritia, in iuventute pertulerit, tot fatigationes & iniurias in virili ætate susceperit, tantum lachrymarum, sudoris, sanguinis effuderit, & demum tam acerbā crucis mortem subierit. 3tio à spiritu S. quod te ex tot millibus hominum, qui ob fidei defectum damnantur elegerit, & in gremio Ecclesiæ nasci voluerit, quòd tot illustrationibus & impulsionibus ad seriam vitæ emendationem excitarit; insuper ad statum Religiosum, statum perfectiorem & securiorem è tot periculis sæculi evocarit, tamq; benigné ad maiorem perfectionem quotidiè animet, exstimulet, adiuvet. Quid est quod vltra facere debuit animæ tuæ & non fecit? Laus. Gratiarum actio.

*Punctum 2dum. Filius prodigus acceptam à Patre substantiam petulanter & luxuriose absumpsit.* Refer hoc ad te, & expende malitiam & ingratitudinem tuam, quia immemor tot acceptorum beneficiorum

toties

toties Deum tuum offendiſti. 1mo, perſonam Dei Patris, abutendo creaturis eius, finem vltimum ſpernendo, pro paterna prouidentia rarò ac negligenter gratias agendo. his expenſis dic: Pater peccavi in cælum & coràm te, peccavi contra beneficia tua: doleo, doleo quod te Deum meum offenderim. 2do. perſonam Filij Dei frigidè eum amando imitari nolendo, lachrymas, ærumnas, ſudores eius vilipendendo, imò peccatis tuis rurſus crucifigendo, ſanguinemq; eius conculcando. His expenſis erubeſce de tepiditate tua, incuſa induratum cor tuum, quod ex paſſione Christi non emolliatur, & elice actum contritionis. 3tio. perſonam Spiritus S. præcludendo illi cordis tui ianuam ſacraſq; eius inſpirationes toties abijciendo. His ſimiliter ponderatis excita in te compunctionem. O Sponſe amabiliſſimè quàm infidelis fui erga te, qui ſic me dilexiſti. En corde contrito revertor ad te: ne proijcias me à facie tua. doleo. da quod iubes, & iube quod vis.

*Punctum 3tium. Pater videns à longe revertentem, miſericordia motus recepit in gratiam, amplexatus eſt, veſtimentis ornari iuſsit.* Expende hoc & refer ad Deum Patrem noſtrum optimum, qui te & alios peccatores cum adhuc longè ſunt, intu-

etur: & misericordiâ motus auxilio suo præventos benignè amplectitur delictorumq; oblitus, in gratiam denuo recipit. In colloquio prostratus humillimè coram illo, admirare tantam bonitatem illius in te indignissimum: interroga quid in te viderit tantæ benignitatis provocativum: gratias age: propone & protestare quòd nolis ab eo amplius separari.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

## PRO DIE SABBATI.

### *De pænitentiæ fructibus ex parabola de arbore fici.*

*Mundus terra sterilis.*

P*Unctum imum. Arborem fici quidam habebat plantatam in vinea sua.* Considera 1mo. quod cum esses arbor infructuosa, & quoad omnia frutex inutilis, æternus Pater familias oculos in te coniecit, atq; ex sterili terra, id est ex sæculo nequam, in quo tanquam arbor mala fortè deputandus eras æternis inferni ignibus, transtulit te infinita sua gratiâ in vineam Sacræ Paulinorum Religionis eo fine vt bonos fructus faceres. Considera 2do. quòd ex parte Dei sic te transferentis nihil defuerit, quò fructus bonos proferres: quia vinea in qua te posuit, vinea sancta est, sanctis legibus munita, quotidiano psalmorum cantu iucunda, varijs

*Religio vinea.*

morti-

mortificationibus consita, oratione mentali & vocali pinguis, frequenti Sacramentorum vsu fæcunda, & alijs sacris exercitijs abundans ita vt arbores possit producere altissimas, pulcherimas, fertilissimas: insuper in eo cæli aspectu posita, vt nulli in ea existenti Deus optimus desit, quin ipsam suæ gratiæ influxu continuo irriget. Accedit assidua cultura superiorum, & cura tum animi tum corporis. Quantos ergo fructus fecisse te hactenus, tot annis par fuit.

*Punctum 2dum. Et venit quærens fructum in illa & non invenit.* Considera 1mo. an revera post tot annos aliquem profectum & fructum in vinea sacræ Religionis feceris: quod vt facilius assequaris, reflecte oculos in anteactam vitam tuam, commemora loca & conventus in quibus fuisti, personas cum quibus vixisti, officia quæ gessisti, occupationes quas habuisti. Considera 2do. te non solùm Deo & Religioni infructuosum fuisse, sed & damnosum & iniuriosum tot negligentijs & imperfectionibus, quas in observatione Regulæ & constitutionum in choro, in dormitorio, in refectorio, in oratione & in iniunctis tibi officijs commisisti. Considera 3tio. damna quæ ex tuis imperfectionibus orta sunt. Nam Deum privasti

gloriâ,

gloriâ, sanctos lætitiâ, auxilijs mundum, domesticos exemplo, religionem ornamento, superiores gaudio, teipsum meritorum thesauro; sed & Deum ipsum offendisti, sæculares & fratres scandalisasti, religioni labem aspersisti, superiores mærore complevisti, vitam ipsam inter varios conscientiæ remorsus traduxisti. Cõtritio. Dolor. Propositum.

Punctum 3tium. *Dixit itaq; ad vineæ cultorem: succide illam, vt quid etiam terrã occupat.* Considera 1mo. quàm multis tepidis Religiosis ita acciderit, qui cum viderẽtur arbores vel vites ob talenta speciosæ, subitò Deo succidente prostrati sunt & ex viventium numero exclusi, ne frustra vineam sacram occuparent, & temporalia bona à pijs fundatoribus ad Dei gloriam & vtilitatem proximi promovendam data, ad suam damnationem consumerent. Considera 2do. quòd & quoties hanc sententiam contra te ferri merveris; attamen Deus longanimis & multum misericors adhuc sustinet & expectat emendationem tuam, ac serium ferventemq; in perfectione profectum. Novit nimirum mutare sententiam si tu noveris mutare delictum. Gratias age, dole, propone. Colloquium institue ad S. Paulum Primum Eremitam vineæ huius

*Ambro: in Luc: c. 1.*

Cultorem, rogando vt pro te intercedat, dicatq; Domino: *Dimitte me etiam hoc anno, & fodiam circa eam, quatenus dignos pœnitentiæ proferat fructus*, ad quod te *paratum offeres*. Deinde converte te ad Christum cum supplici oratione, vt propitius sit tibi: cui offeres firmum propositum veræ & solidæ emendationis.

---

# MEDITATIONES.

## De præcipuo impedimento Christianæ perfectionis, quod est solicitudo circa temporalia.

### PRO DOMINICA XIV. post Pent
*De duplici servitute.*

*Mammon est nomen dæmonis tẽtantis de divitijs malè acquirẽdis et ideo nomẽ eius derivatur ad divitias significandas & dicitur Mã-*

PUnctum imum. *Non potestis Deo servire & mãmonæ.* Avaritia seu appetitus habendi contraponitur Deo: vnde Apostolus eam vocat idolum, seu idolorum servitutem. Considera 1mo, Quid sit servire Deo? est enim facere mandata eius; quæ sint autem mandata Dei, decalogus ostendit. Servire autem Mammonæ est facere mandata eius. Considera 2do. mandata Dei esse contraria mandatis mammonæ. Nam Deus præcipit: Non habebis Deos alienos coram me. Diem Sabbathi sanctifices. Non furtum facies.

Non

Non concupisces rem proximi tui. At appetitus habendi contraria his præcipit. Nã iubet peccuniam habere pro idolo: jvbet violare dies sanctos & in solicitudine nimia vivere: jubet furari, concupiscere. Da mihi Domine diligere mandata tua super aurum & topazion: & omnem viam iniquam odio habere.

*mona vel Mãmõn. Lir. p. 5. col. 117.*

*Mandata Dei cõtraria mandatis mãmonæ.*

*Punctum 2dum. Non potestis Deo servire & mammonæ.* id est non tantùm difficile est sed plane impossibile simul & Deo servire & mammonæ. Considera quæ servitus præstantior? servitus Dei facit tranquillitatem conscientiæ: servitus mammonæ facit inquietudinẽ & cõtinuâ curâ pungit & lacerat mentem hominis. Servitus Dei facit securitatem: servitus mammonæ timorem. Servitus Dei mancipat Deo: servitus altera mancipat diabolo; illa ad coronas cælestes, hæc ad supplicia gehennæ ducit. Elige quæ placeat. propone nimias sæculi curas abijcere; & superfluam circa temporalia solicitudinem, vt toto studio regnum cæleste & justitiam eius quæras.

*Effectus servitutis Dei cõtrarij effectibus servitutis mãmonæ.*

Tesseram ex sequentibus aliquam integrâ septimana frequentius rumina.

*Magister svavissime da mihi virtã multa non occupari, sed unum solum necessarium, hoc est Regnum Dei & iustitiam eius quærere.*

*Bonum mihi diligere Iesū: nil vltra quærere.*
*Dulcis Christe bone Iesu dissolve me oro á vinculis, quibus constrictus teneor, vt relinquens omnia ista tibi serviam, tibi soli inhæream, tibi soli intendam.* S. *Augustinus.*

## PRO FERIA II.

### *Quæ solicitudo illicita, & quæ motiva ipsam fugiendi?*

*Solicitudo quid?*

PUnctum 1mum. *Nolite soliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Considera 1mo. solicitudinem ex vi nominis esse quandam solertiam citam ad prosequendum ea quæ sunt agenda. Considera 2do. solicitudinem circa res temporales fieri illicitam. 1mo. si temporalia tanquam finem quæramus. 2do. si immoderato studio eadem procuremus. 3tio. si aliquis timeat ne facienti quod debet necessaria deficiant. Domine maior est solicitudo tua pro me quàm omnis cura quàm ego gerere possum pro me. Iacto ergo super te curam meam.

*redditur illicita tripliciter.*

*lib. 3. c. 17 à Kemp.*

*Qui dedit animā & corpꝰ quomodo non dabit victū & vestimentū?*

*Punctum 2dum.* Expende motiva in Evangelio posita, quæ nos impellunt ad cavendam solicitudinem temporaliū. 1mū. est quia maiora bona quàm sint cibus, potus, vestimentum & his similia, data

homini

homini à Deo præter suam solicitudinē scilicet corpus & anima. 2dum. est quia Deus animalibus & plantis præter laborem ipsorū subvenit sufficientissimè iuxta propotionem naturæ suæ: quanto magis homini subveniet. 3tium quia Gentiliū est qui divinam ignorant providentiam, circa temporalia solicitari non fidelium,

*Volatilia cæli & lilia agri nō laborāt & tamen illa pascuntur hæc vestiuntur à Deo. Gentilium est solicitari de tēporalibus.*

Gratias age Christo Domino pro doctrina salutari. dole de nimia cura hactenus habita. propone primùm Regnum Dei & iustitiam quærere, & nihil de cultu divino in gratiam temporalium omittere aut differre.

## PRO FERIA III.

### *Duplicia sunt temporalia necessaria: & quam stulta ac nociva solicitudo circa ea.*

PUnctū 1mū. Res circa quas solicitantur homines, duplices sunt: aliæ naturales, aliæ artificiales. Priores sūt: cibus, potus, vestimenta, vehicula, habitacula, & similia quibus homini subvenitur ad defectus naturales tollendos. Artificiales sunt, peccuniæ quas industria humana adinvenit ad facilitatem commutationis, vt sint quasi mensura rerum venalium, seu vt sint quasi fideiussor habendi pro eo quodcunq; homo volverit.

*Arist. 5. Ethic.*

*Ecce cibus potus vestis ac cætera vtensilia ad corporis sustentaculum pertinentia ferventi spiritu; sunt onerosa.* Da Domine fomenta hæc tẽperatè quærere ijsq; tẽperatè vti, nõ nimio desiderio implicari.

Thom: à Kẽp. l. 3. c. 27.

*Punctum 2dum.* Considera 1mo. stultum esse solicitari nimiè circa vtriusq; generis necessaria. Qvid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Stultum est solicitari nimiè de victu amictu & similibus necessarijs, cum providentiæ divinæ munus sit hæc nobis penes nostram moder tam curam subministrare. multomagis stultum solicitari de pecunijs habendis aut coacervandis, cum hæc nõ sustentent nec juvent naturam humanam secũdùm se, sed tantum necessaria vsibus nostris per eas comparentur. Considera 2do. nocivam esse & animæ & corpori solicitudinem superfluam: animæ; quia hæc retrahitur à studio supernorum: corpori, quia cum solicitudo sit quædam *inquieta attentio ad aliquid acquirendum vel faciendum,* tabefacit hominem, curis extenvat, cogitationibus in diversa rapit, insomnem reddit.

## PRO FERIA IV.

### *De causis solicitudinis.*

*PUnctum 1mum. Quanto magis vos mo-* *ditiæ*

*dicæ fidei.* Diffidentia & timor defe-ctûs, ſunt duo fontes ſolicitudinis. Ibi eſt maior ſolicitudo circa temporalia, ubi minor fiducia in Dei providentia: ſimi-liter vbi eſt timor maior ne aliquid deſit ibi intervenit maior ſolicitudo. Diffiden-tia opponitur fiduciæ, timor ſecuritati. *Fiducia eſt robur ſpei proveniens ex aliqua conſideratione quæ facit vehementem opini-onem de bono aſſequendo. Securitas eſt qui-es a perturbatione timoris.* Conſidera 1mo. quantum malum ſit diffidentia in Deo; opponitur enim fidei & ſpei, ſicut fiducia includit in ſe fidem & ſpem; fiducia nãq; eſt, *cum aliquis ſpem concipit ex hoc quod credit verbis alicuius auxilium promittentis.* Conſidera 2do. ideo nos diffidere, quia non conſideramus promiſſionem Dei, quæ certè facit vehementiſſimam perſvaſionẽ de obtinendis illis quæ promiſſa ſunt; vel quia non firmiter credimus promiſſioni Divinæ; propter quod nimiè ſoliciti cir-ca temporalia, vocãtur â Chriſto modi-cæ fidei. *Habe ergò fiduciam in Domino ex toto corde tuo & ne innitaris prudentiæ tuæ.* (quæ ſcilicet jubet ſolicitari circa tempo-ralia & varios modos ad illa acquirenda monſtrat) Prover. 3.

*Duo fõtes ſolicitudi-nis, diffidẽtia & ti-mor defe-ctûs.*

*Fiducia quid? ſecu-ritas.*

*Fiducia & fidẽ & ſpẽ includit.*

*Punctum 2dum. Timor facit homines con-ſiliativos* inquantum ſcilicet curam habent

*Ariſt:*

vt possint evadere ea quæ timent. Nimius ergo timor nimiam causat curam seu solicitudinem. Considera 1mo. timorem ex diffidentia procedere, securitatem ex fiducia. Considera 2do. timorem hunc vocari humanũ vel mundanum, esseq; illicitum, quia per eum â Deo recedimus. Considera 3tio. eiusmodi timidos increpari â Christo. *Quid timidi estis modicæ fidei.* & â Psalte: *Trepidaverunt timore vbi non erat timor.* Actus fidei, spei, fiduciæ in divina providentia: gratiarum actio pro eadem, & quòd nos securos, & absq; solicitudine voluerit esse.

## PRO FERIA V.
### *Bonitas Christi & duritia ac vanitas nostra.*

PUnctum 1mum. *Nolite soliciti esse quid edatis.* Quàm bonus Israel Deus! non vult nos anxiari & solicitari de cibo potuq; atq;: alijs necessarijs: non vult affligi ante tempus, sufficit, inquiens, dici malitia sua: evidentibus argumentis & exemplis certificat nos de sua providentia & sufficientissima rerum temporalium subministratione. Quis tam bonus pater! quæ mater tam tenerè diligens filios! Parum id bonitati Dei vt nos pasceret escis naturalibus: etiam *declinavit ad nos vt vesce-*

*Et declina vi ad eũ vt vesceretur Oseæ 11.*

*vt vesceremur.* hoc est, quemadmodum exponit S. Hieron: dedit nobis esum corporis sui ipse cibus & conuiua. O Nutritius noster, o Pastor noster Christe IESV quid faciam tibi, quid faciam pro miserationibus tuis. Ego merui furorem iræ tuæ; & tu me portas in brachijs tuis: tu exaltas iugum afflictionum & curarum mearum ne premat me: insuper declinasti de cælo vt vescereris mecum & ego tecum. Sis benedictus in secula. vtinam in medio mei semper habites o sancte sanctorum.

*Punctum 2dum.* Inter tantas bonitatis divinæ erga nos divitias duritia & vanitas nostra non vult intelligere, vt bene agat. Impletur in nobis illud Oseæ 11. nescierunt, hoc est scire noluerunt quòd ego curarem eos. Nam nihil proficiente amabilissima Christi exhortatione, curis seculi neglecto Deo & cælo implicamur, & vanissimè circa temporalia conturbatur. In imagine pertransit homo sed & frustra conturbatur. Quare? thesaurizat & ignorat cui? In imagine pertransimus quia ad instar umbræ quæ est imago corporis, vel adinstar imaginis in somno apparentis. In imagine pertransimus, quia in mundo qui est imago in qua cognosci-biliter videri potest Deus. In imagine

*Quomodo in imagine pertrāsit homo?*

pertransimus quia imaginem Dei portamus, & tamen vanè conturbamur congregantes cùm nesciamus cui, an nobis an nostris, an furi an prædoni &c.

*Punctum 3tium.* Filij hominum usquequo gravi corde vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Vanitas est perituras divitias quærere & in illis spectare. Mendacium sunt phantasmata quæ in capite nobis formamus de divitijs, honoribusq., voluptatibus. Gravitat res omnis extra centrum suum si autem vniatur centro, non. Centrum cordis humani, Deus. Si Deo non vnitur o quàm grave & anxium est. vanitate & mendacio nunquid impleri potest! Beatum dixerunt (mundani) populum cui hæc sunt oves boves promptuaria plena aurum argentum filij & filiæ & his similia: beatus populus cuius Dominus Deus eius.

## PRO FERIA VI.

### *Vnus Dominus: & ingratitudo mundi erga ipsum.*

*Anima nostra aut a rege legitimo regitur aut a Tyrãno vastatur.*

PUnctum 1mũ. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Duo domini sunt Cristus & diabolus, ille verè, hic falso & arroganter. His ambobus nemo potest simul servire. imo, quia unus est altissimus

mus creator omnipotens & Rex potens & metuendus nimis sedens super thronũ & dominans Deus Eccl: 1. Si ergo alium nobis assumimus Dominum, eo ipso á priore cum injuria & contemptu ipsius recedimus. Duo domini absoluti & independentes qualis est Deus & qualis diabolus vult esse, nequeunt respectu vnius esse: cũ vterq; plenum dominium & plenum servitium sibi vendicet. 2do. quia Christus & diabolus sunt sibi in omnibus contrarij vt lux & tenebræ vt arca & Dagon veritas & mendacium, vita & perditio. Quæ autem conventio lucis ad tenebras &c. Christus exinanivit semetipsum formam servi accipiens; diabolus formam Dei rapere voluit. 3tio quia natura cordis totiusq; hominis est quod non possit dividi. Moritur si dividitur.

*S. Aug: de Iosepho & filijs Israel multiplicatis.*

*Punctum 2dum.* Diabolus per concupiscentiam subivgavit sibi hominem concitando ipsam adversus præceptum Dei. Hinc est quod diabolus & appetitus habent dominium subordinatum in hominem ita vt vnus alteri se accõmodet, dæmon appetitui, appetitus dæmoni: dumq; homo vni eorum servit, vtriq; servit. Expende quanta injuria Dei sit dum nos diabolo, spreto Deo & appetitui nostro spretà lege Dei subijcimus contra illud: Do-

minum

minum Deum tuum adorabis & illi soli servies, & contra illud: Subter te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.

*Punctum 3tium.* In tantum successu temporis crevit injuria Dei & malitia nostri appetitus, ut mundus Christum verum Deum post varias persecutiones crucifixerit, illum, qui amore hominis homo factus: qui animam & corpus dedit nobis: ad animam sustentandam dedit cibum & potum, ad corpus operiendum pelles pannos & telas: propter nos volatilia creavit pascitq; propter nos lilia herbasq; & arbores innumeras produxit, demum seipsum & sua omnia tradidit nobis. Quid verò mundus? liliorum vestitorem denudavit: svavitatis fontem amaricavit: authorem vitæ interfecit. Tu ipse quoties peccando, Christum crucifixisti? Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?

## PRO DIE SABBATI.

### *Mala solicitudinis: & exempla eiusdem fugienda.*

PUnctum 1mum. Expende quantum sit impedimentum salutis æternæ solicitudo temporalium ex eo imprimis, quia eam disertè & fortiter ab ea dehortatur Christus Dominus. deinde quia suffocat sementem verbi divini in nobis, adeoq;

facit, vt anima nostra vt pote non habens cibum suum spiritualem moriatur. 3tio. quia deprimit animam nostram, & gravat ad terrena, vt se liberè non possit ad cælestia erigere. 4to. quia est quædam animi ebrietas & facit hominem oblivisci salutis æternæ, & eorum quæ ducunt ad salutem. Vnde Christus Dominus solicitudinem temporalium componit cum ebrietate & crapula. *Attendite inquit, ne corda vestra graventur in crapula & ebrietate & curis secularibus.*

*Punctum 2dum.* Percurre exempla quæ te moveant ad fugiendam superfluam solicitudinem. Maria optimam partem elegit scilicet assidere pedibus Iesu per contemplationem & continuum regni cælestis studium. David *fiducialiter* inquit *agam & non timebo*; ne quid desit mihi ex rebus temporalibus. Idem ait: *Iunior fui etenim senui & non vidi iustum derelictum nec semen eius quærens panem.* S. Paulus Primus Eremita non erat solicitus vnde tractaret Antonium. S. Caietanus soli divinæ providentiæ semper inhæsit, quæ sibi nunquam defuit. Nec tibi vnquam deerit. Age Deo gratias. erubesce de tua diffidentia, de tua proprietate, de tuis superfluis, propone maiorem fidem & spem in divina providentia habere. Tessera vt supra.

# MEDITATIONES

## De Morte.

## PRO DOMINICA XV. post Pent.

### *Quare Christus occurrit defuncto.*

### *Præludia Historica.*

*Lucæ 7.*

PUnctum imum. *Ecce defunctus efferebatur.* Occurrit Christus defuncto qui extra portam civitatis efferebatur: quia Christus non vult vt extra memoriam nostram, quæ est porta quædam animæ, mors exportetur, sed vt potius in memoria nostra maneat. Considera 1mo. Quid sit mors? est enim privatio vitæ. Considera 2do. necessitatem memoriæ mortis. Nam imprimis retrahit à peccando. *Memorare novissima & in æternum non peccabis.* Deinde conservat hominem in statu gratiæ. *Cinis sustentat ignem: memoria vero cineris in quem convertendus es conservat gratiam* ait Didacus. Insuper ad contemptum rerum temporalium ducit. *Facile contemnit omnia qui se quotidie cogitat moriturum* ait S. Hieron.

*Memoria, porta animæ.*

*Memoria mortis retrahit á peccando, conservat in gratia, contemptũ mundi generat.*

*Punctum 2dum.* Cogita maiorem non esse angustiam in morte quàm eorum qui ex improviso nec parati moriuntur. *Beatus servus quem cum venerit Dominus eius & pulsaverit ianuam, invenerit vigilantem.*

ergo

Ergo miser & infelix ille quem imparatum & inopinantem mor adoritur. Ecce iam pulsas Domine Iesu per ægritudines varias corpus meum: ego verò pessulis pravarum consvetudinum & vitiorum firmavi ianuam cordis mei; heu quàm piget me aperire tibi! Miserere: da vt paratum sit semper cor meum in adventum tuum: da vt cunctis diebus quibus nunc milito expectem immutationem meã. Ex tesseris vel omnes, vel quæ placuerit per septimanam vsurpa.

*Domine Iesu libera me in illa hora quando circumdabunt me dolores mortis & pericula inferni invenient me.*

*Benignissime Domine remitte mihi vt refrigerer priusquã abeam: & amplius non ero. Maria Mater gratiæ: dulcis parens clementiæ: Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe.*

## PRO FERIA II.

*De proprietatibus mortis: vbi etiam cautelæ dãtur pro bona morte.*

PUnctũ imũ. Prima proprietas mortis quòd sit certissimè futura. Ex quo disce continuam mortis habere memoriam & serpentem imitari: qui ne audiat vocem incantantis obturat aures suas terrâ & cauda. Incantator noster Diabolus

*Mors certa.*

lus

lus est. promittit longam vitam, honores, affluentiam in bonis. suadet contemptum Dei & mandatorum eius: sed nos obstruere debemus aures terrâ recogitando quod terra sumus & in terram revertemur; caudâ seu finè vitæ, recogitando quòd certissimè moriemur omnia prorsus hîc relicturi, & sola merita atq; demerita accepturi nobiscum. Disce item omnes mortes quas vides vel audis esse admonitiones de morte nostra seriùs aut citius ventura.

*Incerta quoad tēpus, locū, modum.*

*Punctum 2dum.* Altera proprietas mortis est, quod sit incerta quo ad diem locum & modum. Ex quo disce vigilandum tibi semper esse & in fide ac charitate divina bonisq; operibus ferventer persistendum imitandasq; formicas, quæ licet sint populus infirmus, congregant in messe cibum sibi. *Dum tempus habemus operemur bonum.* ad Galat. 6. Veniet hyems mortis in qua laborare non poterimus: veniet nox in qua nemo potest operari; tunc sero & infructuosè dolebimus quòd in tempore merendi, in tempore lucrandæ gratiæ & gloriæ stertebamus aut inutiliter dies horasq; impendebamus. Ergo emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pænitētiæ, & invenire non possimus.

Pun-

*Punctum 3tium.* Tertia proprietas mortis est quod semel tantùm subeunda sit. Ex quo disce quàm gravis sit error malæ mortis, qui per totam æternitatẽ corrigi non possit. In quem ne impingas imitare lepusculum, qui collocat in petra cubile suum: & piscem marinum qui tempore tempestatis ad hæret petræ nec se vllo modo sinit ab ea avelli. Mare est sæculum præsens continuis tentationibus velut fluctibus fervens. Christo ergo, qui petra est, ita adhæreamus vt nos nihil ab ipso separare possit; & tunc nihil nobis mors ipsa nocebit. Felices nos! *si hæc animalcula invalida, sapientibus tamen sapientiora* fuerimus imitati. Dole de peccatis & negligentijs: propone ferventiùs operari salutem nullasq; meriti occasiones prætermittere: propone item ex morte aliorum visa vel audita excitare te ad pænitentiam: ad contemptum mundi: ad amorem Dei cui omnia vivunt.

*Semel tãtum subeunda.*

*Lepus & polypus imitandi.*

*Prov: 30.*

## PRO FERIA III.

### *De morte malorum.*

PUnctum 1mum. Considera quantum cruciatum perversus homo sit habiturus in morte ratione præteritarum rerum. 1mo. ratione peccatorum; quia tunc plurima memoriæ occurrent, etiam ea quæ

*Peccator in morte angustiabitur ex præteritis*

*præsentibus & futuris rebus.*

quæ oblitus fuit, & quæ pro levibus aut nullis habuit. 2do. ratione temporis & merendi occasionum; quia tunc desiderabit vel vnicum diem ex multis inaniter consumptis, & non dabitur illi: tunc videbit & planget temporis iacturam sed serò: videbit & dolebit quod Sacramenta non frequentarit, quod pietatis exercitia, orationē, contentiones, ieiunia, mortificationes neglexerit. Cum dixerint pax & securitas tunc repentinus malis superveniet interitus sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Non simus ex ijs quos dies illa sicut fur comprehendit. Simus filij lucis & diei non noctis & tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri sed vigilemus & sobrij simus 1. ad Tess: 5.

*Punctum 2dum.* Considera quantam item afflictionem malus sit habiturus ex præsentibus nimirum ex separatione sui à voluptatibus, à divitijs, & ab amicis: & vel maximè ex separatione animæ à corpore. Meditare demum quantam afflictionem sit habiturus ex futuris, nimirum ex reddenda ratione de verbo, cogitatione & opere: ex dæmonum occursu: ex patentis inferni hiatu. Hinc timor ingens & sudor lethalis proveniet. Augebit timorem vafricies cacodæmonis, qui omnes vires

res suas exeret ad hoc vt in desperationem inducat animam, scelera & divinæ iustitiæ rigorem exaggerando; propter quod in hoc puncto etiam sanctissimi nonnunquam concuti solent vti patet in S. Hilarione. O JESU Fili Dei per tuam agoniam pelle à me timores & dolores mortis. Domine Dñe virtus salutis meæ, obumbra super caput meum in die belli.

## PRO FERIA IV.

### *De morte iustorum.*

P*Unctum 1mum*. Considera mortem licet malis vt dictum est sit horrenda, pijs tamen non esse formidabilem: imprimis ratione præteritarum rerum, puta peccati, temporis, occasionum; tum quia si quæ habuerunt peccata, per pænitentiam emendarunt; tum quia tempus vtiliter expendere studuerunt; tum quia occasiones merendi non neglexerunt, atq; idcirco confidendo in divina misericordia tantam sentient pacem ac consolationem vt omni metu depulso initium quoddam beatitudinis videantur sibi degustare. Sic Paula moriebatur omnia pacata & tranquilla habens. Sic Ambrosius, non timeo inquiens, mortem quia bonum Dominum habemus. Sic Martinus spectra inferni securè pellens. Moriatur Domine anima

mea morte iustorum! In pace in idipſum dormiam & requieſcam. O in pace o in idipſum! Tu es idipſum valdè qui non mutaris & in te requies obliviſcens laborum. Aug: Conf: l. 9. c. 4.

*Punctum 2dum.* Conſidera quomodo bonus Chriſtianus ratione præſentium, hoc eſt, ratione omnium rerum caducarum, nullam afflictionem ſit habiturus in morte, qui eas contempſit in vita: ſed nec ex parte rerum futurarum affligetur propter firmam ſpem & fiduciam in miſericordia Dei, in meritis IESU Chriſti & in Sanctorum patrocinijs. Accedet ad tranquilitatem animi, teſtimonium bonæ conſcientiæ. Conſolabuntur ſe timorati illo Apoſtolico: *Hæc eſt gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quoniam in ſanctitate & ſinceritate & gratia Dei converſati ſumus in mundo.* 2. Cori: 1.

## PRO FERIA V.

### *De morte per circumſtantias loci, temporis, occaſionis & modi.*

PUnctum 1mum. Conſidera 1mo locum mortis incertum eſſe. Incertum enim an domi, an foris, an in monaſterio, an extra: an in lecto nec ne: an inter bonos nec ne morieris? Quando vnus miles alterum evocat ad duellum non deſignando

locum & tempus ad conflictum, semper & vbivis armatus vterq; ac paratus certamini incedit. Mors nos evocat ad vltimum & periculosum cunflictum: locum & tempus non assignavit; vbivis & semper parati esse debemus. Considera 2do tempus quoq; summè incertum esse, quando, quo mense, quo die; an hodie an cras, an hoc anno morieris? Repete memoria exempla (quæ quilibet plurima habere potest obvia) multorum qui cum minimè rentur, extincti sunt. Et memento dum te cubitum ponis contra repentinam mortem imprimere crucem fronti dicendo: JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM: quod factitabat S. Edmundus ab ipso IESU edoctus.

*Punctum 2dum.* Considera 1mo occasiones causasq; mortis innumeras esse, & quidem tam intra te quam extra te. Intra te sunt humores quatuor continuò secum pugnantes. Item passiones ex ijsdem humoribus ortum ducentes. Item morbi varij. Extra te sunt odor pestilens, tegula desuper cadens, casus inopinàtus &c. Considera 2do. modum mortis. Morieris aut potius moribundus iacebis hoc modo: Caput grave sensibus destitutum attollere non poteris, oculi stupebunt, frons sudabit, vultus nigrescet, frigebunt

manus, pulſus arteriarum ceſſabit, cor nimium palpitabit, guttur phlegmate opplebitur, pedes tumeſcent: deniq; miſeram vnam ex te ipſo ſpectantibus exhibebis cataſtrophen. Hæc quantum ad corpus: quantum ad animam timebis propter peccata tua Deum iudicem, ſententiam eius, inferni pericula. Verè tunc dicere poteris: *Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni invenerunt me.*

Affectus convenientes eliciantur cum teſſera.

## PRO FERIA VI.

### *De triplici morte.*

Apoc: 2.

PUnctum imum. *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* Mors eſt triplex: prima ſeparatio à vita gratiæ; & hæc in ſcripturis propriè vocatur mors: ſecunda eſt ſeparatio à vita naturæ; & hæc vocatur dormitio vel ſomnus: tertia eſt ſeparatio à vita gloriæ. Qui ergo vicerit mundum, carnem, diabolum, non lædetur à morte ſecunda; quia hæc ei nihil nocebit. Etiam vulnera IESU Chriſti non ſinunt lædi à morte. O IESU protege me in vltima hora radijs vulnerum tuorum. Aperi mihi latus tuum. O ſi audiam vocem illam, quam audivit tuus Avertanus: *Veni dilecta anima intra hoc apertum latus.* Quam dul-

cis,

cis & ſecura mors mihi erit!

*Punctum 2dum. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* O felices Iuſti quos geſtant manus divinæ! Non tantum non affliget, ſed ne quidem tanget ipſos mortis tortura. O IESU in manibus tuis apertis & perforatis abſconde me à facie accipitris infernalis. ibi tutus quieſcam! Tantus labor tuus Domine IESU non ſit in me caſſus!

## PRO DIE SABBATI.

### *Quare ſemper parati eſſe ad mortem debemus.*

PUnctum 1mum. Expende, ſemper nos debere paratos eſſe ad mortem. 1mo. quia ita vult & præcipit Chriſtus Dominus dum ait: *Eſtote parati, quia qua horâ non putatis veniet filius hominis.* 2do quia diſpoſitio bona ad mortem aut rariſſimè aut nunquam ſub tempus mortis evenire ſolet in ijs qui ad horam obitus differunt pænitentiam. Fatuis Virginibus dum ſe primò parant in adventu ſponſi, clauditur ianua regni cæleſtis. Et frequentiſſimè fit, quód antequam Sacerdos confeſſionem excepturus veniat, ægrotus exſpiret.

*Punctum 2dum* Conſidera item ideo te veniſſe ad Religionem, vt ſemper ad mortem paratus ſis. Conſidera demum tales

& in tali statu fermè semper inveniri homines moribundos, quales & in quali statu ordinarie vivebant. *Si pecus esse non times, vel saltem mori sicut pecus time* ait S. August. Ora Beatissimam Matrem vt assistat tibi in hora mortis? Ora item & crebro suspira secutus exemplum Hugonis à S. Victore, vt vltimus cibus tuus sit Sanctissima Eucharistia: vltima cogitatio tua sit passio Christi: vltimum verbum tuum sit dulcissimum nomen IESU.

*De convenientia decē praeceptorum.*

---

# MEDITATIONES

## De vitio Superbiæ.

## PRO DOMINICA XVI. post Pent.

### *Quid & quotuplex Superbia?*

P*Unctum 1mum. Et ecce hydropicus ante illum.* Quis iste hydropicus nisi superbus? Sicut enim hydropicus tumet corpore, ita superbus tumet animo. Considera 1mo. quid sit superbia? est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ vnde superbus nominatur ex hoc, quod per voluntatem tendit supra id quod est. Considera 2do. quotuplex est superbia? est enim duplex: prima carnalis per quam extollitur homo de bonis carnalibus: altera spiritualis per quam extollitur de

bonis

bonis ſpiritualibus, & hæc periculoſior quia occultior. Quid eſt omnis caro in conſpectu tuo. Nunquid gloriabitur lutum contra formantem ſe Iſaiæ 29.

*Punctum 2dum.* Expende ſpecies ſuperbiæ quæ ſunt quatuor: prima, cum quis bonum aliquod habere ſe à ſemetipſo æſtimat: ſecunda, cum quis bonum aliquod credit quidem deſuper ſibi datum, ſed pro ſuis meritis, illud ſe accepiſſe putat: tertia cum quis iactat ſe habere quod non habet: quarta cum quis deſpectis cæteris ſingulariter appetit videri habere quod habet. Diſcute conſcientiam tuam ne forte aliqua ſpecies ſuperbiæ hæreat in animo tuo. Ora ne veniat tibi pes, hoc eſt affectus ſuperbiæ. propone omnem fugere ſuperbiam & aliquam ex ſubiectis teſſeram frequenter per ſeptimanam adhibe.

*Superbiæ ſpecies ex S. Gregor: l: 23. Moral: c. 7.*

*Domine non exaltetur cor meum, neq; oculi mei ſint elati.*

*Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

*Redemptor mi expelle a me ſpiritum ſuperbiæ, & concede propitius theſaurum humilitatis tuæ.* S. Auguſt: c. 1. medit.

## PRO FERIA II.

### *De signis & gradibus superbiæ: ac humilitatis.*

*S. Bernardus tract: de gradibus humilitatis.*

P*Unctum 1mum.* Signa & gradus superbiæ sunt duodecim: Curiositas mentis levitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consvetudo. Fac supra te reflexionem, ne forte hi gradus reperiantur in te aut omnes aut aliqui.

*S. Basilius in regula.*

*Punctum 2dum.* E contra gradus humilitatis sunt etiam duodecim: corde & corpore semper humilitatem præferre defixis in terram aspectibus: pauca verba & rationabilia loqui non clamorosa voce: non esse facilem ad risum. His tribus gradibus humilitatis opponuntur 1mi tres gradus superbiæ. Curiosus enim non figit in terram aspectum, sed inordinate circumspicit. levis mente superbe se habet in verbo. ineptè lætus, facilè ridet. Taciturnitas vsq; ad interrogationem: cui opponitur iactantia. tenere quod communis regula monasterij tenet: cui gradui opponitur singularitas, per quam vult aliquis sanctior aut maior apparere.

*Punctum 3tium* Reliqui gradus humilitatis sunt: Credere & pronuntiare se

omni-

omnibus viliorem: cui gradui opponitur arrogantia per quam se homo alijs præfert. invtilem se ad omnia & indignum reputare, & confiteri: cui gradui opponitur præsumptio, per quam aliquis reputat se sufficientem ad maiora. Confessio peccatorum: cui opponitur defensio eorundem. patientia in duris & asperis: cui simulata confessio opponitur, dum nimirum quis pœnam subire detrectat pro peccatis quæ simulatè confitetur. Obedientia: cui opponitur rebellio. Abnegatio propriæ voluntatis: cui opponitur libertas. timor Dei: cui opponitur peccandi consuetudo. Examina te an gradus humilitatis maneant in te. Ora. propone. tesseram adhibe.

## PRO FERIA III.

### *De gravitate peccati superbiæ.*

*Superbiæ gravitas ex directa aversione à Deo.*

PUnctum imum. Considera in superbia maximam esse gravitatem ex parte aversionis à bono incommutabili hoc est à Deo. Nam in alijs peccatis homo avertitur à Deo, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium alicuius boni creati: iam verò superbiendo, ideo solùm avertitur à Deo; quia ipsi & regulæ eius non vult subijci. Considera & inde gravitatem

*Ex eo quod Deus*

*illi resiste-re dicitur.* tem superbiæ, quia nulli alteri peccato dicitur Deus resistere. O qui humilia respicis & alta à longe cognoscis, superbiam omnem longe fac à me.

*Ex eo quia in remedium eius peccata carnalia à Deo permittũtur.* *Punctum 2dum.* Gravitas superbiæ & inde patet, quia Deus superbos permittit ruere in peccata carnalia, quatenus sic cadentes à maiori malo superbiæ resipiscant & sanentur, sicut medicus in remedium maioris morbi permittit ægrotum labi in minorem infirmitatem. *Ex eo quia est initium omnis peccati.* Item gravitas superbiæ inde liquet, quia superbia initium est omnis peccati. Nam & diabolus & primi parentes per eam lapsi sunt. *Ex eo quia est signũ reprobationis.* Item quia vt ait D. Gregorius: *Evidentissimum reproborum signum superbia est.* Quare *superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas.* *Tobiæ 4.*

## PRO FERIA IV.

### *Mala ex superbia.*

*Lucæ 14. Superbus alijs exosus.* P*Unctum 1mum. Omnis qui se exaltat humiliabitur.* Humiliari capitur hîc in malam partem pro deprimi, vilificari & multis malis affici. Considera quæ mala homini contingant ex superbia. 1mo. superbus despicitur ab alijs, & odio habetur, & maledicitur. *Nam initium omnis peccati superbia est: & qui tenuerit illam adimplebitur maledictis.* *Stultus.* 2do. reputatur stul-

tus.

tus. Si enim *vbi humilitas ibi ſapientia* igitur è converſo vbi ſuperbia ibi ſtultitia. 3tio. ſemper eſt inquietus & anxius ſicut humilis eſt quietus. 4to. eſt rixoſus & iracundus. Nam *inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* 5to. diabolo ſimilis efficitur. ſicut etenim diabolus noluit alijs ſimilis eſſe, ſed ſoli altiſſimo; ita ſuperbus *non ſum inquit ſicut cæteri hominum.* 6to. in proximo periculo peccandi conſtituitur. Proverb. 17. *Quia altam facit domum ſuam quærit ruinam.* & Prov: 16. *Ante ruinam exaltatur ſpiritus*; vt ſignum ſit proximi lapſus ſuperbia præcedens. Deteſtare ſuperbiam. propone cavere.

*inquietus.*

*Rixoſus & iracundus*

*Diabolo ſimilis.*

*proximus ad peccandum.*

*Punctum 2dum.* Climacus mala ſuperbiæ in hac deſcriptione includit: *Eſt Dei abnegatio, inventio dæmonum, aſpernatio hominum, condemnationis mater, ſterilitatis augmentum, laudum progenies, divini adiutorij expulſio, ſtuporis precurſor, lapſuum miniſtra, caſus materia, iracundiæ fons, ſimulationis ianua, firmamentum dæmonum, delictorum cuſtos, duritiæ & crudelitatis artifex, compaſsionis & miſericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei adverſatrix.* Diſcute diligenter & videbis ſingula hæc quadrare ſuperbiæ.

## PRO FERIA V.

### *Mensa Christi superbiam excludit.*

*Lucæ 14.* P*Unctum imum. Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* Nuptias celebrat Christus cum animabus nostris, quoties ad altare sancta mysteria sumpturi accedimus. Si quando certè tunc necessaria humilitas. Quis enim quid & cui & quem ob finem tunc cõiungit. Filius Dei se nobis coniungit vt vnum fiamus cũ ipso sicut ipse vnum est cum Patre suo.

*Punctum 2dum.* Considera ex parte Christi quanta humilitas in hoc Sacramento, quia se Maiestatemq; suam sub minutis speciebus posuit & occuluit: quia se omnibus etiam malis tradit sumendum, tractandum, manducandum: quia se per vicos, plateas, & casulas pauperes portari permittit. O Maiestas Dei tantopere humiliata!

## PRO FERIA VI.

### *Media refrænandæ superbiæ.*

P*Unctum imum.* Perpende quo nam pacto motus superbi reprimi possunt? Reprimuntur Imo. consideratione propriæ infirmitatis secundum illud: Eccles: 10. *quid superbis terra & cinis?* 2do consideratione magnitudinis divinæ. secundum Iob 15. *Quid tumet contra Deum spiritus*

*tuus*

*tuus*? 3tio. consideratione imperfectionis honorũ dequibus superbit homo; secundũ illud Isaiæ 64. *Quasi pannus menstruatæ, nostræ*. Da Domine non altũ sapere sed timere.

*Punctum 2dum*. Motus superbiæ reprimuntur item consideratione exemplorum humilitatis, præcipuè vero Christi Domini, qui cum esset Rex gloriæ, tamen humiliavit semetipsum vsq; ad mortem. Hîc percurre actus humilitatis Christi Domini sub tempus passionis eiusdem. Pete virtutem humilitatis: propone omni studio ipsam colere.

## PRO DIE SABBATI.

### *De ambitione.*

PUnctum 1mum. *Dicebat autem & parabolam ad invitatos intendens quomodo primos accubitus eligerent*. Lucæ 14. Cupidi erant honoris hi invitati: ambitionem eorum Christus sua exhortatione damnavit. Quid est autem ambitio: nihil aliud nisi vitiosus honoris appetitus. Considera quòd honorem præstamus alteri in testimonium excellentiæ ipsius: illud autem secundùm quod homo excellit, non habet à seipso sed à Deo. Unde Apostolus: Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris? atq; idcirco ex omni eo in quo quis præcellit, hono-

*Ex talẽtis nostris soli Deo honor? & proximo vtilitas.*

honorem non sibi arrogare debet sed in Deum refundere. Considera item bonum vel bona per quæ quis supereminet inter alios, non ideo dari à Deo vt homo placeat sibi seq; supra cæteros efferat, sed vt alijs prosit & ex talentis sibi creditis juvet & tutetur proximos. *Consideremus igitur quæ accepimus atq; in eorum erogatione vigilemus.*

*S. Gregor: hom: 9.*

*Punctum 2dum.* Appetitus honoris ex triplici capite fit inordinatus. 1mo. Si aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet. 2do. Si cupit honorem non referendo ipsum in Deum. 3tio. si in ipso honore quiescit non referens ipsum ad vtilitatem aliorum. Introspice teipsum & disce alijs iuxta monitum evangelij dare locum. Fuge honorem. *Quam multis honor, occasio exitij fuit.* S. Aug: ser: 13. in Matth. Si in honore es, solius Dei gloriam & proximorum vtilitatem propone curare. Adijce orationem: *Domine Pater & Deus vitæ meæ ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculorum ne dederis mihi: & omne honoris desiderium pravum averte à me.*

*Libido honoris vnde vitiosa*

# MEDITATIONES

## De extremo Iudicio.

*Eccl: 23.*

## PRO DOMINICA XVII. post Pen.

*De ex-*

## *De iudiciaria potestate Christi Domini.*

Præludium 1mum. Imaginare Christum Dominum in throno iudiciario sedentem.

Præludium 2dum. Pete vt timore iudiciorium suorum configat carnes tuas.

PUnctum 1mum. *Sede à dextris meis.* Dominus ad emendandum errorem Pharisæorum circa Christum, vtitur textu Davidico: *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.* Dextera Patris significat *gloriam divinitatis* secundùm Damascenū. *beatitudinem Patris* secundùm Augustinum & *iudiciariam potestatem* secundùm eundem. Nomine sessionis intelliguntur duo: quies & regia seu iudiciaria potestas. Secundùm vtramq; intelligentiam convenit Christo sedere ad dexteram Patris: quia & manet seu quiescit æternaliter in beatitudine Patris tanquam æqualis ipsi; & habet ab eo iudiciariam potestatem. Expende quod soli Christo non Angelo, nec homini vlli competat sedere ad dexteram Patris. Nam solus est in æqualitate Patris secundùm divinitatem: & solus est in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris creaturis secundùm humanitatem. Unde ad Hebr: 1. dicitur: *Ad quem enim Angelorum aliquando dixit:*

*Matt: 21.*

*Dextera Patris quid?*

*sede à dextris meis: id est vt exponit* Glossa, *mihi secundùm divinitatem æqualis: vel in meis potioribus bonis.*

*Cur & quot nominibus convenit Christo iudiciaria potestas?*

*Punctum 2dum.* Considera 1mo. Christo Domino tanquam filio Dei iudiciariam potestatem propriè attribui, quia ad iudicium formandum requiritur sapientia; ipse autem est sapientia genita, & veritas à Patre procedens; atq; ipsum perfectè repræsentans. Considera 2do. Christo vt homini convenire iudiciariam potestatem, ex eo quia est caput totius Ecclesiæ; & quia Deus pedibus eius omnia subiecit. Considera 3tio. quòd quanquam iudiciaria potestas debebatur Christo, & ratione divinæ personæ & ob dignitatem capitis; tamen ex merito etiam eam obtinuit, vt nimirum secundùm Dei iustitiam iudex esset qui pro Dei iustitia pugnavit & vicit, & iniustè iudicatùs est. *Sedebit iudex* ait S. August: *qui stetit sub iudice: damnabit verò reos. qui falsò factus est reus.* Vide qualem iudicem habiturus sis: pete misericordiam: cave nunc iram eius incurrere. propone fugere omne peccatum: & clementiam Christi pro die iudicij, sub tempus missæ deprecare. Tesseram quampiam ex subiectis per septimanam frequentabis.

*Iustæ iudex vltionis, donum fac remissionis ante diem rationis.*

Non

Non intres in judicio cum servo tuo quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Væ mihi misero cum venerit dies iudicij & aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicentur de me: *Ecce homo & opera eius?* S. August.

## PRO FERIA II.

### *De necessitate & causis universalis judicij.*

PUnctum 1mum. Necessitas iudicij vniversalis exinde ponderanda quod de nulla re antequam consummata sit in se & in suis adiunctis, possit perfectum formari iudicium. Homo autem licet consummetur secundum se per mortem vivit tamen & remanet in aliquo sui, nimirum vel in memoria & existimatione quam de ipso aliquando contra veritatem retinent homines, vel in filijs qui sunt aliquid Patris & quorum multi mali sunt ex bonis parentibus, & è contra: vel in effectibus suis, vt in hæreticis vivit hucusq; deceptio facta per hæresiarchas; & in vniversis fidelibus manet fructus prædicationis Apostolorum: vel in honore aut ignominia corporis: vel in rebus temporalibus in quibus affectum suum vivens defixerat. Antequam ergo hæc omnia finem suum ha-

beant, quem non habebunt donec tempo-ris huius cursus durat, perfectum & manifestum de homine dari nequit judicium. Necessarium proinde est vniversale iudiciũ in fine mundi. *Aspice in me & miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum.*

*Punctum 2dum.* Ultra causam vniversalis iudicij superius expressam, sequentes assignantur. 1ma est: vt sententia in particulari judicio lata confirmetur. 2da. vt gloria humanitatis Christi IESU non solũ bonis in cælo sed & impijs in terra vbi eius ignominia fuit publica, innotescat iuxta illud psalmi 96ti. in quo adventus Christi ad iudicium describitur: *Viderunt omnes populi gloriam eius.* vbi præteritum pro futuro ponitur & iuxta illud Apoc: 1. *Ecce veniet cum nubibus. Et videbit eum omnis populus & qui eum pupugerunt.* O Deus cuius misericordia superexaltat judicium: & qui paratus es salvare per clementiam quos non salvas per iustitiam: miserere mei, salva me. Videam te illa die propitiũ non offensum: videant hi oculi mei regem gloriæ in decore suo!

*Punctum 3tium.* Tertia vniversalis iudicij causa, vt toti vniverso palàm fiat iustitia Christi: & cognoscatur Dominus iustitiam faciens qui nunc ignoratur misericordiam volens. *Et revelabitur quasi* [Ioel. 2.]

*aqua iudicium: & iustitia quasi torrens fortis.* Sicut aqua si labatur in pronum quæ prius texerat nudat: sic iudicium Dei nudabit omnia hominum opera, & cogitata apparebitq; iustitia eius omnibus & ei tanquam torrenti forti nemo obsistet. Cur enim Christus retinuit cicatrices quinq; vulnerum suorum? potissima ratio est vt eas præsentet in vniversali iudicio quò omnibus pateat quàm misericorditer salventur qui salvantur, & quàm iustè damnentur qui damnantur! vnde secundùm August: sic allocuturus est reprobos: *Ecce hominem quem crucifixistis: videtis vulnera quæ inflixistis: agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam per vos & propter vos apertum est nec tamen intrare voluistis.* O Bone IESU exaudi me: intra vulnera tua abscon- de me: nec permittas me separari à te.

*Hieron.*

*Lib: 2. de Symb. c. 8.*

## PRO FERIA III.

### *De processu iudicij vniversalis.*

PUnctum 1mum. Considera quomodo ad vocem Archangeli omnes mortui in ictu oculi resurgent & ad iudicium comparebunt. Animæ damnatorum ascendent ex inferno & accipient corpora patibilia fætida & horrenda; animæ verò beatorum descendent de cælo & accipient corpora impatibilia splendentia & glo-

*Mortuorũ resurrectio.*

riosa. O quantum sibi mutuò gratulabuntur beati. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini quia venit: quoniam venit iudicare terram, intellige ligna rationalia ob gratiam Dei vitalia & viridia. E contra damnati: vnusquisq; ad proximum suum stupebit: quasi parturiens dolebunt. Congregabuntur autem iudicandi in vallem Iosaphat. *Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Iosaphat & disceptabo cum eis ibi.* Ioelis 2. Sicut enim Christus operatus est salutem in medio terræ ita in medio eiusdem (in quo iacet vallis hæc cum vicina Hierusalem) congruum est vt iudiciũ finale faciat.

*Isaiæ.*

*Iosaphat idẽ quod iudicium.*

*Punctum 2dum.* Considera iudicis ipsius adventum. Veniet è cælo in corpore glorificato splendidissimo, in maiestate & virtute magna, in comitatu cælestis exercitûs, cum *senibus populi & principibus eius*, vt ait Isaias. Veniet præcedente cum vexillo sanctæ Crucis quod iustis erit iucundum & amabile, horribile impijs; sicut & aspectus, ipse Christi blandus erit probis, terribilis reprobis cuius figura fuit cælum Israeliticis serenum, Ægyptijs tempestuosũm: veniet & sedebit in throno magno candido in lucidissima nube. Assessores habebit Beatissimam Matrem, Apostolos & Apostolicos viros qui omnia pro-

*Iudicis adventus.*

*Isaiæ. 3.*

pter Christum reliquerunt. O quantus tunc erit religiosorum honor qui in hoc mundo abiecti vixerunt!

*Punctum 3tium.* Discute judicij processum. 1mo Angeli exibunt & separabunt malos de medio iustorum, statuentes oves à dextris, & hædos à sinistris. 2do. libri aperientur, hoc est manifestabuntur conscientiæ tam bonorum quàm malorum in totius vniversi præsentia. 3tio. probi laudabuntur, reprobi obiurgabuntur à Christo Domino cum exprobratione beneficiorum ipsis collatorum. Quæ tunc mens probis, quæ reprobis? 4to. sententia decretalis proferetur primùm de bonis postea de malis vt inteligamus propensiorem esse Deum ad præmia reddenda, quàm supplicia. Sententiam illicò sequetur executio. O IESU benignissime miserere mei dum tempus est miserendi; ne damnes in tempore iudicandi.

*Iudicij processus.*

## PRO FERIA IV.

### *De verbis quæ Christus proferet.*

PUnctum 1mum. Sermo Christi ad electos hic erit: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paravi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Sitivi & dedistis mihi bibere. Nudus eram & cooperuistis me. Hospes eram & collegistis me.*

*Infirmus & in carcere & visitastis me.* E contra ad reprobos: *Ite maledicti in ignem æternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Considera 1mo. quia Dominus noster IESUS Christus esurit in nobis cibum illum de quo ipse: *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei.* Esurit ergo vt divinam faciamus voluntatem, in cuius executione tota iustitia & sanctificatio nostra consistit. Esurit item cibum corporalem in pauperibus quibus per esculenta tenemur, si possumus, subvenire.

*Christus esurit.*

*Sitit.*

Considera 2do. quia sitit salutem nostram: sitit nobis applicari merita passionis mortisq; suæ per nostram cooperationem. Illa enim vox *sitio* in cruce prolata, significavit vehemens Christi desiderium quo cupiebat mortem suam omnibus nobis cedere in vitam æternam. O quæ nostra ingratitudo? quæ malitia in hac siti Christum non reficere! quæ nostra in die judicij erubescentia, quod Christo sitienti poculum amoris non porrexerimus: imò verò fel & amaritudinem offensarum illi propinaverimus. Sitit item Christus in quovis paupere corporalem potum & pro frigidæ haustu regnum cælorũ pollicetur.

Da Domine in minimis tui tibi ipsi cibum & potum spiritualem ac materialem ministrare.

Pun-

*Punctum 2dum*. Nudus Christus est cō-paratìvè ad malos qui non sunt vestiti indumento gratiæ justificantis. Cum in alios morum vitæq; probitatem exemplo & exhortatione superinducimus, Christū ipsum vestimus. Si grave pro alijs huiusmodi indumentum non curare, quid erit veste innocentiæ & stolâ justitiæ verbo aut exemplo pravo alios exuere? Certè tales in judicio velut spoliatores & denudatores ipsius Christi judicabuntur. Materialiter nudus Dominus noster in nudis qui non habent vestem quâ membra tegant & frigus arceant. Hospes Christus qui stat toties pulsatq; ad ianuam cordis nostri per inspirationes suas, & reijcimus eum aut mox eijcimus admissum, dum post pænitentiam relabimur in peccatum. Etiam corporaliter Christus hospitem agit in ijs qui tecto egent; quibus si duri sumus, Christo duri sumus. Infirmus Christus atq; incarceratus in infirmis fidelibus & peccatoribus: quos si non solamur verbo salutis, si non instrvimus in spiritu lenitatis, si non corripimus secrete, judicij reatum incurrimus. Est insuper corporaliter infirmus & incarceratus Christus in membris suis infirmantibus atq; incarceratis. Visita, solare vt laudem à Christo judice & mercedem æternam reportes.

*Nudus*

*Hospes*

*Infirmus & incarceratus*

*Electorum exultatio.*

*Punctum 3tium.* Considera quomodo affligentur damnati videntes tenerrimam benevolentiam Christi ad electos audientesq; encomia eorum in theatro cæli, in facie totius mundi recitata ab ipso. *Uenite benedicti &c. Esurivi enim &c.* O quis tunc dolor quæ confusio quis metus in reprobris! Videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur dicentq; intra se: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* omnesq; lamentationes Sapientiæ 5. descriptas incipient in iudicio, continuabunt per æternitatem in inferno.

*Reproborũ lamentationes.*

*Vtilitas operum misericordiæ.*

Considera deinde quàm sit vtile & necessarium opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia exercere; siquidem nihil aliud in tribunali vltimo laudaturus & præmiaturus Christus nisi eorum cultum, nihil aliud exprobratus ac puniturus nisi eorum neglectum. *Ne avertas itaq; faciem tuam ab egeno. Esto pupillis misericors vt pater & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altißimi & miserebitur tui magis quàm mater Eccl: 4.*

PRO

## PRO FERIA V.
### De judicandis.

PUnctum 1mum. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Mat: 22. Quatuor erunt ordines judicandorum. Proborũ duplex, alius iudicabit cum Domino, alius iudicabitur à Domino. Perfecti iudicabunt, imperfecti iudicabuntur. Reproborum item duplex: qui intra ecclesiam sunt, hoc est fideles, iudicabuntur & damnabuntur: qui verò extra ecclesiam absq; iudicio damnabuntur. Licet autem non omnes ex his iudicabuntur iudicio disceptationis: *Qui enim non credit iam iudicatus est* Ioan: 3. &: Qui audit verbum meum, ait Dominus, & credit ei qui misit me, in judicium non venit sed transiet à morte ad vitam Ioan: 5. omnes tamen iudicabuntur iudicio retributionis: quia vnusquisq; recipiet provt gessit in corpore sive bonum sive malum. *Ne perdas cum impijs Deus animam meam.*

*Iudicium duplex: disceptationis & retributionis.*

*Punctum 2dum.* Etiam inimicorũ Christi quadruplex partitio. 1mi. sunt Judæi qui perpetuo nomen Christi blasphemant: & super quos tanquam hæredes sceleris patrum suorum perpetuò sanguis Christi durat. 2di. sunt infideles omnes vt Atheistæ, Pagani, & quicunq; baptismum

non

non suscipiunt, nec credunt in nomine vnigeniti Filij Dei. Tertij Hæretici & Schismatici qui vestem Christi Ecclesiam videlicet perversis dogmatibus lacerant. 4ti. mali Christiani qui Christum in cordibus suis rursum peccatis crucifigunt. Hi omnes in judicio extremo erunt scabellum pedum Christi tuncq; implebitur illud: *Calcavi eos in furore meo.* Isai: 23. Esto nunc scabellum pedum Christi, membrorum Christi. humilia te omnibus propter Christum: & tunc honorificabit te coram Angelis suis.

*Qualiter se habebũt inimici Christi in judicio.*

*Punctum 3tium.* Quomodo se habebunt inimici Christi in judicio? 1mo. nudi stabunt cum timore & tremore vt audiant vocem judicij qui ad vocem præcepti & consilij obturaverunt aures suas. Timebunt faciem irati Iudicis Dei Hominis dicentq; montibus, cadite super nos & collibus operite nos. 2do. excusare se conabuntur: Domine quando te vidimus & non ministravimus tibi, sed Christo mõstrante justos & reponente in pauperibus suam personam aut honorificatam aut contemptam esse, iustis etiam contra eos in constantia stantibus, oppilabunt os suum 3tio. planctu magno flebunt & lamentabuntur. *Non odio peccati plangent sed odio justi judicij Dei qui tunc in zelo magno*

*nescit*

nescit parcere sontibus. 4to. ignis ante Judicem præcedens inflammabit in circuitu inimicos eius, ignis confusionis, ignis furoris Domini, ignis mundi ardentis, ignis demum gehennæ. Reconciliare nunc Christo Domino & usq; in finem vitæ custodi præcepta eius ne inter inimicos ipsius, æternaliter colloceris.

*Pannon: in Apocal:*

## PRO FERIA VI.

*Quam tremendum judicium vltimũ.*

*Punctum unum Et non poterant ei respondere verbum* Matt: 22. Obmutuerunt Judæi ad interrogationem Domini: quis verò non obmutescet in judicio unquaq; terribili? Terribile erit ratione magnitudinis iræ Dei ad quam totus aspectus, tota maiestas erit composita. *A facie eius contremiscet terra, sol & luna obtenebrabuntur & stellæ retrahent splendorem suum.* Si Daniel, si Joannes maiestatem & aspectum terribilem Angelorum sustinere non valuerunt, quomodo nos Dei sustinebimus? Merito Job dicebat: Oculi tui in me (scilicet irati) & non subsistam. Terribile erit ratione obiurgationis. Obiurgatio Petri ita perculit Ananiam & Saphiram vt subito morerentur: quid faciet objurgatio Christi? vox Domini quãtumvis mansveti Judæos in horto prostravit: quid faciet iracundi? Si miti sciscitan-

*Judicium vltimum terribile ratione magnitudinis iræ Dei.*

*Ioel. 2.*

*ratione obiurgationis.*

tanti non poterant respondere verbum pharisæi: irato & judicanti num valebimus respondere? O lignum aridum & inutile æternis dignū ignibus, quid respondebis in die illa cùm à te exigetur usq; ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum?

*S. Ansel: in medit:*

*ratione sententiæ quæ fulminare cælum & terra tremet.*

*Punctum 2dum.* Terribile item judicium vltimum ratione sententiæ de qua illud Ioelis 3tio. *Dominus de Sion rugiet & de Ierusalem dabit vocem suam & movebuntur cæli & terra.* Si horror ingens invadit hominem quando contra ipsum fertur ab homine iudice sententia mortis & supplicij temporalis: quid fiet quādo Deus Iudex sententiam mortis æternæ & suppliciorum gehennalium pronuntiabit! Talem ergo habeamus cogitationē juxta consilium Ammonis Eremitæ qualem malefici incarcerati qui non nisi de judice, de decreto, de pænis quas metuunt, aut de modo evasionis, cogitant: sic & nos de judicio extremo & sententia eius cogitemus quovsq; in carcere corporis tenemur, & dum tempus habemus, operemur bonum.

*ratione circumstātiarum.*

*Punctum 3tium.* Terribile demum erit ratione circumstantiarum quia ignis in conspectu judicis exardescet, & in circu-

tu eius tempestas valida: quia cælum & terra, aqua sol & luna, dies & noctes & totus mundus stabit adversum nos, in testimonium peccatorum nostrorum vt ait S. Chrysostomus super Mathæum: quia hinc erunt accusantia peccata inde terrens justitia: subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex intus urens conscientia, foris ardens mundus vt meditatur S. Anselmus. Vbi tunc latebo? vbi apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ingredere in petram Christum per devotionem & abscondere in fossa humo (lateris eius) á facie timoris Domini & á gloria maiestatis eius* monet Isai: cap: 2do. Ibi me nunc abscondam: & tunc securus ero.

## PRO DIE SABBATI

### *Christus etiam Angelorum Iudex.*

P*Unctum 1mum.* Christus non solùm hominum Iudex sed & Angelorum in cuius rei signum dicitur Apoc: 7. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni*: per thronum autem iudicium seu potestas iudiciariá significatur. Et verò si inferiora pulchro ordine reguntur à Deo per superiora: necesse est omnia regi & iudicari per animam Christi quæ est supra omnem creaturam. Expende quod Christus Do-

*Vnde Christo Domino judiciaria potestas supra Angelos.*

minus vt homo habet judicandi potestatem supra Angelos propter tria. 1mo. propter propinquitatem naturæ assumptæ ad Deum: Non enim Angelos sed semen Abrahæ apprehendit. 2do. propter humilitatem passionis per quam meruit exaltari supra Angelos vt dicitur ad Phil: 2. 3tio. propter dignitatem capitis supra homines circa quos & boni & mali Angeli coperantur, mali nocendo, boni salubriter ministrando. si ergo judicabit homines, judicabit quoq; Angelos hominibus seu benè seu malè ministrantes. O Administratorij spiritus ita ministrate nobis vt nos hæreditatem salutis, vos autem augmentum gloriæ capiatis.

*Punctum 2dum.* Recole subesse bonos Angelos iudicio Christi quantum ad accidentalia præmia. quæ sunt gaudia de salute hominum: subesse quoq; dæmones quantum ad accidentales pænas quibus torquentur vel hic vel in inferno. Subsunt etiam Angeli judicio Christi quantum ad præmium essentiale quod est beatitudo æterna, & quantum ad pænam essentialem quæ est damnatio æterna. Sed hoc iudicium factum est per Christum in quantum est Verbum Dei ab initio mundi. Time Deum offendere. Si enim Virtutes cælorum id est Angeli coram eo

commo-

commovebũtur, quid tu miser humuncio? Conmmenda te Angelis custodibus & propone sancte te coram ipsis gerere vt & tibi & illis gaudia cælestia adaugeas. Aspira & ad Reginã Angelorum: *Inflammatus & accensus per te Virgo sim defensus in die judicij.*

---

# MEDITATIONES

## De Judicio particulari.

## PRO DOMINICA XVIII. post Pen.

### *Arcana patebunt. remissio non dabitur.*

Præludium 1mum. Imaginare animam tuam corpore egressam mox statui coram tribunali divino astante Angelo bono & malo.

Præludium 2dum. Pete gratiam cognoscendi quia æquitas indicia Dei & nunquam à iustificationibus eius declinandi.

PUnctũ 1mum. *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum.* Matt: 9. In iudicio particulari non solum IESUS sed & Angeli nec non homines simul iudicandi videbũt cogitationes tuas. Ait enim Augu: epist: 6. *Cum venerit Dominus, & illuminaverit abscondita tenebrarum & manifestaverit cogitationes cordis: tunc nihil latebit proxi-*

*mum in proximo nec erit quod quisq; suis aperiat & abscondat alienis.* Tunc patebit quid, quoties, quibus in circumstantijs peccasti. Expende quis stupor quis rubor erit de occultis nunc criminibus coram Deo & Angelis eius verecundari? Quid facietis aut quomodo abscondetis peccata vestra coram Deo & Angelis eius? *Ecce Deus Iudex timete eum.* Esdreæ 4.

*Punctum 2dum. Remittuntur tibi peccata tua.* In iudicio amplius non erit gratia remissionis. Media nocte cùm sponsus noster & simul Iudex veniet, claudetur fatuis virginibus hoc est peccatoribus ianua seu introitus ad misericordiam, ad remissionem, ad gratiam. Nunc ergo remissionem quære: nunc surge è peccato: tolle lectum pravæ consuetudinis & vade in domum cordis tui: munda eam scopis pænitentiæ, corona virtutibus. Propone neminem temere iudicare vt iudex iustus secundùm promissionem suam te non iudicet. Affectus convenientes elice.

*Punctum 3tium.* Si alia peccata non remittuntur in iudicio: quid de illis dicendum de quibus Christus ipse prædixit quod nec in præsenti nec in futuro seculo remittuntur: & vocantur blasphemiæ in Spiritum Sanctum. Et sunt sex: Desperatio, Præsumptio, Impænitentia, obstinatio,

*Peccata in Spiritum S.*

impu-

impugnatio agnitæ veritatis, invidentia fraternæ gratiæ. Sex enim requiruntur ad remiſſionem peccati: duo ex parte Dei remittentis, miſericordia condonans & iuſtitia obligans ad pænam: duo ex parte eius cui remittitur, ſcilicet dolere de præterito, cavere de futuro: duo ex parte ipſius formæ remiſſionis, fides & charitas. Deſperatio ſpem in miſericordia Dei, præſumptio timorem iuſtitiæ, impænitentia dolorem de peccato commiſſo, obſtinatio propoſitum non peccandi, impugnatio veritatis, fidem, invidentia creſcentis divinæ in hominibus gratiæ, charitatem per contemptum abijciunt. Atq; idcirco peccata hæc, irremiſſibilia: quia ex malitia & contemptu abijciunt id ſine quo remitti non poſſunt: ſicut morbus dicitur incurabilis eo quod tollat id ſine quo ſanari nequit puta vires & cibi ac medicinæ tolerantiam. Omnipotens tamen & miſericors Dominus etiam talia peccata aliquando quaſi per miraculum ſanat in præſenti vita.

*Patri appropriatur potẽtia: Filio ſapientia: Spiritui S. bonitas: ideoq; in Patrẽ peccatur cum ex infirmitate, in Filiũ cum ex ignorãtia, in Spiritũ S. cum ex malitia & contemptu peccatur.*

Miſerere Domine dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore iudicandi.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

## PRO FERIA II

### *Iudicium statim fit post mortem.*

PUnctum 1mum. Iudicium particulare ex nunc fit post mortem quia vnicuiq; homini mortuo absq; mora fit retributio præmiorum vel pænarum. Latro qua die expiravit, eadem accepit paradisum. Dives vt primum mortuus, sepultus est in inferno. Et Apostolus 2. Corinth: 5. ait: *Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum.* ac si diceret: postquam animæ nostræ per mortem peregrinantur hoc est separantur à corpore, illico præsentes sumus ad Dominum videmusq; faciem eius. & in Apoc: c. 5. dicitur, quod singulis sanctis datæ sunt stolæ singulæ. Quare singulæ cùm domestici Dei vestiti debeant esse duplicibus? quia nimirum Sancti primum in anima recipiunt gloriam. Erit, cùm & corpora nostra recipient suam stolam: quando videlicet resuscitabuntur ad vitam.

P*unctum* 2*dum*. Cur anima statim subit iudicium post mortem? Quia cum non sit ex se mutabilis nisi propter corpus, statim separata à corpore habet statum immutabilem: ideoq; accipit iudicium suum. sed corpus manet mutabilitati subie-

ctum

ctum vsq; ad finem temporis & ideò oportet quod tunc recipiat suum præmium, vel pænam. Expende hîc, judicium particulare brevi subeundum esse iuxta illud Apocal: 22. *Ecce venio cito & merces mea mecum est dare vnicuiq; secundum opera eius.* Merces mea mecum est id est digna retributio pro meritis atq; demeritis singulorum. O si ita dispositus sim vt possim cum Ioanne dicere: *Veni Domine Iesu.* O Alpha & Omega! primus & novissimus, principium & finis! O radix & genus David, o stella matutina veni Domine IESU & me lotum in sanguine tuo introduc in civitatem tuam.

## PRO FERIA III.
### *De examine & sententia judicij particularis.*

PUnctum imum. Anima defuncti post separationem sui à corpore instantaneè sistitur iudicio divino rebus omnibus visibilibus nudata & solis actionibus suis vestita. Expende judicij huius processum per accusatores, testes, probationem & examen. Accusatores erunt: Diabolus, Conscientia, Angelus Custos. Testes erunt creaturæ vt sunt sol, parietes, & alia in quorum præsentia peccavimus. Probatio evidens habebitur ex anteactæ

vitæ historia in corde hominis clarissimè descripta. Examen erit de omnibus malis commissis, bonis omissis, talentis suffossis aut in malum conversis, tempore inutiliter, aut quod gravius, in pessimis rebus consumpto. Examinabuntur cogitationes, intentiones desideria, verba & opera. Discutientur ipsæ etiam orationes, mortificationes, eleemosynæ & quæcunq; iustitiæ nostræ iuxta illud. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus?

*Punctum 2dum.* Iudex recensebit beneficia naturalia & gratuita quæ tibi præstitit vt creationem, conservationem, regenerationem per baptismum, vocationem ad religionem, initiationem per sacros Ordines, & alia quæcunq;. Exprobrabit coram Angelis & Sanctis ingratitudinem & mala opera tua dicendo: *Ecce homo & opera eius.* Ecce homo à me creatus, redemptus, iustificatus, tot donis ornatus, & opera eius qualia! Hæc & hæc fecisti & tacui. Existimasti inique quod ero tibi similis, scilicet iniqvus peccatorum tuorum fautor? Quid dices, quid facies quando te arguet & statuet contra faciem tuam Deus. Væ ergò mihi si peccata mea non deflevero. Væ mihi si me-

dia nocte non surrexero ad confitendum tibi. Væ mihi si dolum proximo fecero. Væ mihi si non locutus fuero veritatem? Ad radicem securis posita est. faciat fructum qui potest gratiæ: qui debet, pænitentiæ.

*S. Ambrosius super Lucam.*

*Punctum 3tium.* Procedetur deinde ad pronuntiationem sententiæ ex omni parte formidabilis. 1mo. ob constantiam iudicis. quia nullis precibus, lachrymis, intercessione vel excusatione à iusta sententia ferenda abduci poterit. 2do. ob magnitudinem rei. quia non agetur de pecunia agris vel aliqua re transitoria sed de summis bonis vel summis malis in omnem æternitatē duraturis. 3tio. ob immutabilitatem. quia sententia semel latata nullo modo retractari poterit. O quanta trepidatio miseram animā occupabit quando in eam iudex iustus irrevocabilē proclamabit sententiam: Discede à me in ignem æternum Diabolo & Angelis eius præparatum. E contra quanto exultabit gaudio quando audiet: Veni benedicta Patris mei: posside regnum tibi paratum à constitutione mundi.

*Commissa mea pavesco: & ante te erubesco dum veneris iudicare noli me condemnare.*

## PRO FERIA IV.

### *De rigore eiusdem & de modis evasionis.*

PUnctum imum. Expende quàm formidandum iudicium particulare ratione rigoris in examinandis & puniendis etiam minimis delictis. Sophon: 1. dicitur: *Scrutabor Hierusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Scrutari porro in lucernis est minima quæq; peccata indagare. Non enim lucerna adhibetur ad quærendum aliquid magnum sed ad minutum. Quodsi minima discutientur strictè, quomodo magna! *In Babylone quid tutum: si Hierusalem manet scrutinium.* Ob hunc rigorem S. Petrus dixit iustum vix salvandum. si iustus, inquit ille, vix salvabitur: impius & peccator vbi parebunt? & S. Augustinus: *Væ etiam laudabili vitæ si remota misericordiá discutias eam.* Hic introspice teipsum & scrutare peccata tua: ne Deus ea scrutetur.

*S. Bernardus.*

*Punctum 2dum.* Expende quid agere soleant rei ante iudicium. imo iudicis favorem aucupantur. Favebit tibi iudex Christus si nunc mandata eius custodias facietq; te transire à morte ad vitam iuxta promissum suum. Ioann: 5. Indulgebit

tibi

tibi si indulgentias stationibus & varijs devotionibus ac bonis operibus annexas atq; in formula indulgentiarum vltimate stabilita (quam si non habes, cura vt habeas); descriptas lucrari non negligas. Imò non iudicabit te si alterum temerè non iudices. 2do. patronos sibi quærunt: concilia & tu tibi Virginem Beatissimam S. Michaelem Archangelum, Sanctosq; tutelares. 3tio. conveniunt cum adversa parte. Adversarius tuus conscientia est ne te accuset in iudicio, convenias cum ea; convenies autem per pænitentiam, & per cautionem ne quid deinceps contra eam agas. O SS. Angeli custodes nostri defendite nos in prælio, vt non pereamus in tremēdo Dei iudicio. Tessera vt supra.

## PRO FERIA V.

*Balthasar rex dum convivatur iudicatur. Etiam tu in Eucharistico convivio iudicaris.*

P*Unctum 1mum.* In convivio contra Balthasar Regem scriptum est decretum: *Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum, & datum est Persis & Medis.* O quàm tremebat Balthasar dum vmbram tantum modo manûs divinæ spectaret: quid ego faciam,

aut quomodo subsistere potero, dum videbo vivam manum Dei scribere contra me amaritudines? Quid faciam aut qualis ero, quando in statera rigidissimi iudicij divini appendar minus, imò nihil habens? quid faciam quando audiam: *divisum est regnum tuum.* regnum scilicet animæ & corporis & traditum hoc vermibus, illud dæmonibus; vt super animam miseram regnent tyrannicè in perpetuum dæmones; super corpus regnent in sepulchro vermes, donec & istud tradatur torturis dæmonum.

*Quis indignè manducat Eucharistiã.*

*Punctum 2dum.* In convivio Eucharistico in quo tam frequenter epulor, forsitan scribit manus divina contra me rigidi iudicij sententiam. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*, hoc est, condemnationem. Porro indignè iuxta Glossam manducat & bibit, *qui in crimine est, vel irreverenter tractat.* Heu me quoties in crimine fui! quoties irreverenter hæc sancta tractavi! Iudex est qnem tenes, quem sumis: ille est qui & animam & corpus mittere potest in gehennam. Timor. præparatio ad sacram communionem vel celebrationẽ. Tessera.

PRO

## PRO FERIA VI.

### *Christus iudicatur, vt tu clementiam merearis.*

PUnctum 1mum. Christus Dominus varia subivit tribunalia, & demum damnationem, vt tu in tribunali eius damnationem effugias. Percurre hîc qualiter Christus tractatus in domo Annæ: qualiter iudicatus ac blasphemus & reus mortis proclamatus in domo Caiphæ: qualiter illusus apud Herodem: qualiter flagellatus, coronatus, damnatus in prætorio apud Pilatum. Quis igitur reatus esse ingratum?

Punctum 2dum. Expende quomodo sustinere poterit improperia & exprobrationes Christi misera anima: *Quid feci tibi, aut quid molestus fui responde mihi? Quid sunt plagæ istæ in medio manuum mearum,* his plagatus sum à te pro eo, quod me diligere debueras. Sanguis meus quem pro te fudi fiat tibi in damnationem. Placa Christum Crucifixum, vt in hora mortis in manus suas recipiat spiritum tuum. Precare ipsum vt per iudicium, quod coram tribunali Caiphæ & Pilati subivit in terris, sit tibi propitius: & non intret tecum in iudicium.

*Exprobratio Christi.*

## PRO DIE SABBATI.

### *Christus ad iudicium particulare sicut fur veniet.*

PUnctum 1mum. *Ego venio sicut fur: beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Apoc: 16. Christus dicitur venire quando novum aliquem effectum operatur in nobis. Veniet ergo ad nos quando separationem animæ nostræ à corpore operabitur. Considera. Adventum suum assimilat adventui furis: quia sicut fur inopinate venit; ita & ipse: sicut fur non venit nisi vt tollat res; ita Christus animam nostram tollere veniet: sicut fur pretiosa accipit, vilia & sordida proijcit & contemnit; ita Christus animam in qua erit thesaurus gratiæ suæ accipiet, vacuam & sordibus peccati fætentem relinquet. O MARIA quando filius tuus ad me iudicandum veniet, etiam tu accurre & meam advocatam age.

*Quare Christi adventus furis adventui assimilitur.*

Punctum 2dum. *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, &c.* Vestimenta interioris hominis sunt gratia sanctificans, & virtutes theologicæ ac morales: his destituta anima dicitur nuda. Considera quanta turpitudo & opprobrium hominis apparere nudum in corpore coram hominibus

bus præcipuè honoratis & probis. Considera deinde nuditatem animæ tanto esse deformiorem nuditate corporis, quanto anima nobilior est corpore. Quod itaq; opprobrium erit nudum & revelata interiori turpitudine apparere coram Deo, coram Angelis, coram Sanctis. Propone custodire gratiam iustificantem, & potius velle mori quam eam amittere. Ora Beatissimam Matrem vt tibi assistat in hora mortis, & meritis suis tuam protegat nuditatem. Tesseram ex die Dominico pro totius diei decursu accipe.

---

# MEDITATIONES.

## De Inferno.

## PRO DOMINICA XIX. post Pent.

### *Meditatio, de natura & igne Inferni.*

Præludium 1mum. Imaginare te spectare vasta aliqua incendia & animas igneis inclusas ergastulis miserabiliter lamentantes; væ, væ.

Præludium 2dum. Pete gratiam apprehendendi & mente revolvendi inferni pænas vt à peccatis te coerceant.

PUnctum 1mum. *Proijcite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor* Matt: 22.

*dor dentium*. Per tenebras exteriores intelligitur infernus, vbi nulla lucis vt internæ, ita & externæ erit communio. Considera quid sit infernus? est enim quidam carcer igne & innumerabilibus supplicijs refertus, quibus afficientur, quicunq; in mortali peccato moriuntur. Seu status in quo peccatores bonis omnibus privantur, patiuntur verò omnia mala. Percurre mente quæcunq; mala: omnia in inferno & quidem incomparabiliter acerbiora inveniuntur. O Deus æterne illumina me, vt pænas æternas inferni agnoscens, peccata vitem!

*Punctum 2dum*. Considera vim & ardorem ignis inferni in cuius comparatione teste S. Augustino noster ignis pictus esse videtur. Considera item differentiam eius ab igne nostro: quia hic corpora solùm vrit; ille animam & corpus cruciat: noster consumit omnia, tartareus cremat sed non concremat: noster ardet & lucet; tartareus ardet sed non lucet: noster crescit & deficit crescente vel deficiente pabulo: tartareus divinâ iustitia inextingvibiliter nutritur. Quanti & quàm acres dolores vri extremum digitum per quadrantem, quanto maiores vri manum integram, & quanto ad huc maiores vri totum brachium, quàm vero infandus cru-

ciatus

ciatus est vri totum corpus, licet ignis elementaris pictus in comparatione gehennæ vocetur? quale igitur erit tormentum gehennalibus totum hominem assari flammis?

*Punctum 3tium.* Considera item eiusdem ignis in scriptura expressam vehementiam. Ait enim Isaias: *Quis habitare poterit ex vobis cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis.* Ad nos directam credamus interrogationem. Et Matth. 13. ipse Christus ait *quod in consummatione sæculi malos homines mittent Angeli in caminum ignis: ubi erit fletus & stridor dentium.* vbi per fletum & stridorẽ dentium atrocitas ignis immensa significatur. Dolor de peccatis & alij affectus convenientes eliciantur.

Propositum seriò examen quotidianum instituendi. Tess ra per hebdomadam quâvis die frequentanda.

*Domine hic vre, hic seca, modo in æternum parcas.*

*Num damnabis æterne Rex Israel, canem vnum pulicem vnum?* S. Aug: in soliloqu.

*Preces meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benigne, ne perreni cremer igne.*

## PROEFRIA II.
### *De loco & tortoribus inferni.*

PUnctum 1mum. Considera incommodita-

ditatem loci infernalis, qui iuxta Sanctos Patres in medio ſinu terræ iacet. 1mo. quia eſt ſubterraneus, obſcurus, tenebroſus in quem nulla vnquam lux ſolis aut lunæ, aut ſtellarum ingreditur. 2do. quia eſt anguſtiſſimus in eoq; damnati ſicut ſalſæ halcces in orca vel in fornace lateres conſtringuntur. 3tio. quia horridus, & nullam prorſus amænitatem habens. 4to. quia perpetuis incendijs æſtuans & nihil admittens refrigerij. 5to. fætidiſſimus: damnatorum enim corpora intolerabiliter fætebunt. O quam mollẽ iudicares quemcunq; mundi huius carcerem, ſi loci illius benè perpenderes ſempiternum horrorem.

*Punctum 2dum.* Conſidera crudelitatem tortorum inferni, quorum primus erit dæmon, beſtia immanis, homini inimiciſſima. *Sunt Spiritus qui ad vindictam creati ſunt. & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua: & in tempore conſummationis effundent virtutem.* Eccleſ: 39. 2dus damnatus vnuſquiſq; alter adverſus alterum odio & maledictis furens. 3tius vermis conſcientiæ, qui infelicem damnatum horrendè laniabit. O anima mea inſignita Dei imagine, redempta Chriſti ſanguine, deſponſata fide, dotata Spiritu, ornata virtutibus, capax beatitudinis: ama amatorem

rem

rem tuum; time eum offendere, qui & te & corpus poteſt perdere & mittere in gehennam. Sic vive vt teſtimonium bonæ conſcientiæ ſemper habeas. Propoſitum vt ſupra teſſera vt ſupra.

## PRO FERIA III.

### *De miſeria cohabitationis: & pœnæ potentiarum internarum in inferno.*

PUnctum 1mum. Conſidera quanta ſit miſeria in ſtricto inferni loco inter dæmones ac damnatos habitare. 1mo ratione confuſionis: quia nullus ibi ordo, nullus reſpectus dignitatis cuiuſcunq; quâ quis in mundo præfulſit. 2do. ratione mutui odij: quia omnes capitales ad invicem hoſtes, mutuâ ſe rabie, odio, impatientia inſectabuntur. Pater filium, filius Patrem, dominus ſubditum, &c. viciſſim maledicent & mordebunt: peculiariter verò qui in hac vita inordinatè ſe dilexerunt, & complices fuerunt in peccando, immani odio & execrationibus adverſum ſemetipſos furent. O maledicta ſocietas! Ut carbones accenſi ſimul poſiti alter alterum magis accendit; ita damnati ſimul conſtituti magis magiſq; contra ſe ira & odio exardeſcent.

*Punctum 2dum.* Conſidera deinde quanta in

ta in internis animæ facultatibus pænâ afficientur reprobi. 1mo. imaginatio torquebitur horrendis & melancholicis phantaſmatibus. ex quibus conſurgent graviſſimi paſſionum impetus, crudeliſſimè animam lacerantes & torquentes. 2do. memoria cruciabitur continuâ præteritarum rerum & potiſſimùm iudicis irati pro tribunali ſedentis & ſententiam detonantis recordatione. 3tio. intellectus angetur bonorum amiſſorum, & malorum impendentium in omnem æternitatem conſiderati-one; & pertinaciſſimo iudicio iniuriam ſibi à Deo fieri. 4to. voluntas premetur continuo Dei & SS. eius ac omnium hominum odio, inde quoq; affligetur quòd mala quæ volet non poſſit implere. O Deus adiuva me vt has potentias mortificare poſſim: quatenus in illis per miſericordiam tuam præmier, non puniar per iuſtitiam. Propoſitum & Teſſera vt ſupra.

## PRO FERIA IV.

### *De pænis in ſenſibus.*

PUnctum imum. Conſidera quæ pænæ externis ſenſibus poſt diem iudicij irrogabuntur. Oculi torquebuntur horrendo fumo, & terribili damnatorum ac ſpectrorum infernalium aſpectu: auditus audiet ſemper blaſphemias, lamenta va-

ria, fletum & planctum, gemitum & vlu-
latum, stridores dentium & lamentabiles
cantilenas væ væ: nares replebuntur tetro
fætore sulphuris & graveolentiæ ex da-
mnatorum corporibus: gustus in gutture
& lingva super fel & absinthium amari-
cabitur, caninamq; famem & sitim rabi-
dam sentiet: tactus à planta pedis vsq; ad
verticem capitis, præter ignem, corpore
toto ingentia tormenta patietur. Ibi itaq;
simul erunt oculorum, aurium, dentium,
capitis, gutturis, laterum, cordis, manu-
um ac pedum & cætororum membrorum
dolores. Si igitur vel vnius membri do-
lor adeo cruciat in hac vita: quid in infer-
no facient omnium membrorũ dolores ag-
gregati. O infelices sensuales voluptates,
quarum finis inferi & pænæ!

*Mundus est instar vrbis.*

*Punctum 2dum.* Universum hoc est ve-
lut Urbs aliqua. In vrbe est. 1mo. tem-
plum vbi festiva omnia. 2do est forum,
locus scilicet nundinarum, mercantiarum,
conventiculorum. 3tio. est carcer publi-
cus. Sic & in mundo, cælum, est augustis-
simum templum Dei vbi læta omnia: fo-
rum, est terra vbi negotiari iubemur: *Ne-
gotiamini dum venio.* Carcer publicus est
infernus. Iam cogita si horrendum &
atrox est torqueri in carcere per noctem,
aut horam aliquam, torqueri inquam fa-

cibus aut laminis candentibus ad latera ad motis: quid erit torqueri in inferno in anima & corpore, in potentijs & sensibus omnibus?

## PRO FERIA V.
### *De pœna damni.*

*Pœna damni pensatur ex affectu beatorum ad visionem Dei.*

PUnctum imum. Pæna damni consistit in visionis Dei & perpetui cum omnibus Sanctis consortij privatione. Huius atrocitas ex triplici capite expendi potest. 1mo ex eo quòd Sancti dulcedine cælestis patriæ affecti gravissimum sibi æstimarent infernum ea visione etiam ad modicum tempus carere. 2do ex eo quòd ipsi damnati gravissimè ferant se tanto bono privari, non quidem qua honestum est, sed qua vtile, maliq; omnis exclusivum. 3tio. ex similitudinibus. Si enim tanto mærore afficiuntur homines, dum hæreditate spoliantur; si divitiarum, honorum, amicorum amissio adeo cor hominum premit & cruciat: si mors eò quòd animam separat à corpore & mundo, adeo est terribilis: quantum malum illud quod hominem à Deo, à vita immortali, à bonis æternis, quæ sunt supra sensum & captum humanum, separat.

*Ex affectu damnatorum ad eandem.*

*Ex similitudinibus.*

*Punctum 2dum. Hoc cogitate.* ait S. Chrysost: *Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale*

*tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumq́; esse Christo & audire ab illo: non novi vos.* Ex quibus verbis habes, omni & toto inferno gravius esse privari fruitione gloriæ Dei, & bonorum perennium, esseq; in perpetuo odio apud Deum. Hærebit per totam æternitatem in auribus, animisq; damnatorum illud: *Non novi vos.* eosq; immensè cruciabit. Hærebit & affliget illa Christi maledictio pro tribunali fulminata: *Ite maledicti in ignem æternum, paratum diabolo & Angelis eius.* Affectus convenientes. Propositum. Tessera vt supra.

In Cap: 7. Matth: Homil: 24

## PRO FERIA VI.
### *De vtraq́; pœna.*

P*Unctum imum. Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius.* 2. ad Thes: 1. Pænas dabunt damnati, quas & quales illas? æternas in interitu. O pænæ heu quantæ! quàm magnæ! hoc solo nomine infandæ quia æternæ: quid verò quòd æternæ in interitu, quod à facie Domini, quòd à virtute Domini, ab ipsa omnipotentia Dei in damnatos exercitæ! Quo maior iudex, quo fortior & robustior minister iustitiæ, eò gravius supplicium: quid maius, quid fortius omnipotentia Dei?

*Punctum 2dum. Quantum se glorificavit, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Apoc: 18. Luctus pertinet ad pænam damni, tormentum ad pænam sensus. Heu me quid cum illo agitur, cuius pænis & plagis adstat Iudex vrgetq; continuò acerbiores cruciatus. Adstabit Omnipotentia ipsa miseris damnatis; vrgebit continuò immanissimas plagas & perpetuo repetet: *Date ei tormentum & luctum.* O misera voluptas! o maledictæ deliciæ! O IESU miserere, ne vnquam vox hæc tua cadat in me.

*Punctum 3tium. Hæc omnia* ait S. Chrysostomus, *quæ hic patimur merus ludus, ac risus sunt, si cum illis supplicijs in contentionem venerint.* Percurre hic mente omnia exquisita supplicia, omnia pænarum genera quæ sontibus & insontibus sive iustitia, sive tyrannis infligere solebat, soletq; : & & stupebis super immanitate cruciatuum inferni, respectu quorum vniversa mundi huius mala & tormenta risus sunt. Percurre & passionem Domini & expende dictum illud: Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?

O IESU da modo libenter mala quæq; ad salutem animæ meæ perferre, ne in æternum immensis illis vexer cruciatibus. Propositum. Tessera vt suo loco.

## PRO DIE SABBATI.

### *De continuatione ac æternitate pænarum Inferni.*

PUnctum 1mum. Conſidera 1mo. quod pænæ inferni in æternum continuabuntur. hoc eſt: etiamſi ſecundùm moderni temporis curſum loquendo millionibus annorum durabunt, tamen nequidem ad horam vnam aut quadrantem ceſſabunt. Conſidera 2do. quòd mutatio quæ in mundo levamini eſſe ſolet, in inferno augebit tormẽtum. Nam luxurioſi quemadmodum habetur Iob 24. ad nimium calorem tranſeunt ab aquis nivium, vt à calore magis vexentur ob repugnantiam, quam cum frigore calor habet. Conſidera 3tio. quòd vis ſentiendi in damnatis non minuetur: ac licet ſupplicia adeo ſint prolixa, & continuata, nunquam leviora fient, nec minus ſentientur, imò potius quotidie nova eſſe videbuntur, novaq; damnatorũ impatientiâ reviviſcent. Quid itaq; ad hæc anima mea? quomodo non deficit ſpiritus tuus tantarum pænarum acerbitatem, durationem, continuationem conſiderans? Si amarum eſt molli cubare lecto per vnam noctem in aliquo gravi dolore; quomodo ſuſtinebis in æterno carcere in igneo lecto flammeis tridentibus

*In inferno nulla pænarum interpolatio*

*Mutatio non allevi- at ſed aggravat pænas.*

*Vis ſentiendi non minuitur.*

tibus à diabolis volui & revolvi. Miserere Domine: hîc vre, hîc seca, modo in æternum parcas.

*Punctum 2dum. Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni novissima.* Deut: 32. Quousq; ardebit ignis in furore Domini peccatis nostris accensus? ad inferni novissima, eousq; quousq; durabit infernus. At quousq; durabit iste? in perpetuas æternitates: scilicet quousq; Deus ipse durabit. O novissima semper nova! o finis sine fine! o ignis qui nunquam consumis, nec consumeris! O quoties ego peccatis meis succendebam hunc ignem! O quantam struem, quantum rogum mihi in æterna tormenta præparavi! Miserere IESU, dissipa hanc struem: fac me non in perpetuum incendium sed in æternum refrigerium pervenire. Reparatrix consolatrix desperantis animæ à pressura quæ ventura malis est nos redime. Pro me pete vt quiete sempiternâ perfruar. Ne tormentis comburentis stagni miser obruar.

# MEDITATIONES
## De Mortificatione.
## PRO DOMINICA XX. post Pent.
### *De natura & motivis mortificationis.*

Pun-

Punctum 1mum. *Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur.* Infirmitas corporis sanitas est mentis. *Cum infirmor, tunc potens sum.* aiebat Apostolus. Infirmatur autem caro nostra cum mortificatur. Considera quid & quotuplex sit mortificatio carnis. est enim refrænatio appetituum eius circa delectationes sibi convenientes. Dividitur in Positivam & Negativam. Negativa consistit in subtractione delectabilium carni: Positiva in inflictione molestorum eidem. Actus mortificationis positivæ sunt: disciplinæ, cilicia, chaumeniæ, & similia; ad negativam autem mortificationem spectat à cibo, somno, potu, & alijs corporis commoditatibus moderata abstinentia. Moderata inquam. discretio enim & moderatio in mortificationibus requiritur, ne per nimias macerationes lædatur valetudo. Domine Pater æterne fac semper mortificationem IESU in corpore nostro circumferamus vt & vita IESU manifestetur in corporibus nostris.

*Ioann: 4.*

*Mortificatio quid? quotuplex?*

*quos actus habet?*

*Discretionem debet habere adiunctam.*

*2. Cor: 4.*

Punctum 2dum. Expende motiva mortificationis: quæ sunt: 1mo. quia Christus Dominus eam verbo & exemplo docuit; creberrimèq; monet, vt vnusquisq; tollat crucem suam, & sequatur ipsum. 2do. quia Beatissima Virgo & Sancti omnes

*Motiva mortificationis.*

absq; mortificatione & multa afflictione corporis non fuerunt. Hîc in mentem revoca obvias & notas Sanctorum mortificationes. vt S. Pauli Primi Eremitæ, S. Zoerardi & aliorum. 3tio. quia certum est nullum solidum progressum in vita meliori fieri posse absq; oratione & mortificatione. 4to. quia qui Christi sunt carnem suam crucifigunt: igitur non sunt de corpore Christi, sed de corpore Antichristi, qui carni suæ indulgent. 5to. quia caro nostra hostis est animæ: semper enim concupiscit adversùs spiritum. Igitur maceranda & subigenda animæ vt pote dominæ suæ. 6to, quia vbi non est mortificatio, ibi est amor proprius: hic autem omnium malorum & peccatorum creditur fons esse. Examina te ipsum an castigas corpus tuum & in servitutē redigis? Ora: propone: & aliquam tesseram ex subiectis per septimanam crebro repete.

*Dulcis Christe bone Iesu fac me amore & desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum.*

*S. August. in Manuli.*

*O via veritas & vita Christe Iesu da mihi odisse hîc animam meam, vt eam in vitam æternam custodiam.*

*O Mater dolorosa fac vt portem Christi mortem, passionis eius sortem.*

PRO

## PRO FERIA II.

### *De mortificatione sensuũ exterioruũ.*

*Quare necessaria mortificatio sensuum? imo, ideo quia sunt ianuæ peccati.*

PUnctum 1mum. Sensus externi sunt: visus, auditus, gustus, odoratus & tactus. Considera necessariam omnino esse mortificationem sensuum: hi enim sunt quædam ianuæ seu fenestræ per quas peccatum ad animã ingreditur. *Intravit mors per fenestras nostras.* Facilè irruit hostis in civitatem, vbi portæ patentes sunt. Deinde nihil est in intellectu, quod non præfuerit in sensu. Anima ergo non cognoscet, nec volet quidquam illicitum si ipsi sensus non porrexerit. Adiuva me Domine vt sensus meos exhibeam servire iustitiæ in sanctificationem; non iniquitati, ad iniquitatem.

*2do. ideo quia sunt prodromi Intellectûs.*

*Punctum 2dum.* Expende exempla eorum qui lapsi sunt, & videbis omnes ferè corruisse ex neglecta custodia sensuum suorum. Ita primi Parentes, ita Gigãtes, ita David, ita Salomon & innumeri alij: ideq; Iob pepigerat fædus cum oculis suis ne cogitaret de virgine. S. Hieron: Ne inquit *per diem videas, quod nocte cogites.* Idem auditum mortificari vult dum ait: *Cave ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est ne aut ipse detrahas, aut alios audias detrahentes.* Examina te qualiter hactenus sensus tuos custodieris: &

*3tio quia multi per eos lapsi.*

*Ad Nepotianum.*

ora: Te IESV deprecamur ſupplices. noſtris vt addas ſenſibus neſcire prorſus omnia corruptionis vulnera.

## PRO FERIA III.

### *De mortificatione paſſionum.*

*Ioan. 4.* PUnctum imum. *Hora ſeptima reliquit eum febris.* Per febres intelliguntur paſſiones: quia ſicut per febres nimiè incaleſcimus aut frigeſcimus; ita & per paſſiones diverſimodè alteramur. *Paſſio quid.* Conſidera quid & quotuplex ſit paſſio? eſt enim motus animæ cum tranſmutatione ſeu alteratione corporis. Duplices autẽ ſunt paſſiones: aliæ proſecutivæ boni, aliæ declinativæ mali. Item aliæ in iraſcibili potentia, aliæ in concupiſcibili. In concupiſcibili tres ſunt coniugationes paſſionum. ſcilicet amor & odium: concupiſcentia & fuga: gaudium & triſtitia. Similiter in iraſcibili ſunt tres: ſcilicet ſpes & deſperatio: timor & audacia: & ira, cui nulla paſſio opponitur. In vniverſum vndecim numerantur paſſiones hoc ordine: *Paſsiones vndecim.* Amor & odium: deſiderium & fuga: ſpes & deſperatio: timor & audacia: ira: gaudium & triſtitia, quæ duo conſequuntur ad omnes paſſiones. Ne quæſo paſſiones peccatorum operentur in membris meis vt fructificent morti. Rom: 7.

*Punctum 2dum.* Considera mortificationem passionum esse summè necessariam: quia passiones nisi refrænentur, maximè nocent corpori & animæ: disponuntq; hominem ad mortem & animæ & corporis. Ex amore qui est passio læsiva amantis, multi mortui: ex ira multi apoplexia tacti: ex lætitia & tristitia vehementi non pauci extincti. Revoca in memoriam exempla huc spectantia quæ meminisse potes: & propone passiones in frænno tenere; nominatim verò hanc vel illam quæ te maximè infestat.

*Necessitas mortificationis passionum.*

## PROFERIA IV.

### *De mortificatione tristitiæ.*

PUnctum unum.] Tristitia est deiectio animi propter malum coniunctum apprehensioni. Potest esse de præsenti, præterito, & futuro malo. Vis enim cognoscitiva & apprehensio interior potest percipere & præsens & præteritum & futurum malum: dolor autem corporalis qui percipitur sensu exteriori nempè tactu, non potest esse nisi de præsenti. Considera mala tristitiæ. Ex tristitia enim proveniunt deliquia, apprehensiones, illusiones diabolicæ, tentationes variæ, desperationes, ineptitudo & torpor ad divina, contemptus salutarium consiliorum,

*Tristitia quid?*

*quàm latè se extẽdit?*

*Mala tristitiæ.*

atq; adeo periculum ſalutis æternæ. Ex eadem paſſione promanant aliquando morbi diuturni & graves, imò & mors ipſa corporalis. Unde Apoſtolus 2. Corinth: 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur* ſcilicet & animæ principaliter, & ipſius etiam corporis. Eſt autem triſtitia ſæculi, omnis illa mæſtitia, quæcunq; ex affectibus mundanis oritur. hoc eſt, quæ fit non ob Deum offenſum, ſed vel ob amiſſum aliquod creatum bonum, vel ob non acquiſitum, vel certè ob alienam felicitatem. S. Hieronymus exponens præfata Apoſtoli verba ait: *Sæculi triſtitia eſt de amiſſis rebus proprijs, aut de alienis non invaſis dolere: vel de alterius felicitate torqueri. Secundùm verò Deum triſtitia eſt ſive propria ſive aliena lugere commiſſa.* Lætifica animam ſervi tui quoniam ad te Domine animam meam levavi.

*A triſtitia feſtinat mors Ecleſ: 38.*

*Sæculi triſtitia quæ?*

*Punctum 2dum.* Expende media triſtitiæ. 1mum. & efficaciſſimum Oratio. Triſtatur quis? oret, ait S. Iacobus in ſua canonica. 2dum eſt aperire alijs quid te torqueat. 3tium eſt ad honeſtam confabulationem cum familiaribus ſe conferre. 4tum recogitare quòd Deus nolit nos eſſe triſtes, ſed lætos, ſicut ipſe eſt æterna & infinita lætitia. 5tum. ſæpius orare hunc verſiculum: *Benedictus es Domine in*

*Media contra triſtitiam.*

*firma-*

*firmamento cæli, & laudabilis & gloriosus in sæcula*, & recogitare Christum esse firmamentum cæleste, cui omnes electorum animæ vt stellæ sunt infixæ, nec per vlla adversa, imò neq; per ipsa peccata possunt ab eo finaliter decidere. Propone fugere tristitiam, & in tristitia orationi impensius vacare iuxta exemplum Christi Domini, qui positus in agonia prolixius oravit.

*Ex librũ gratiarũ spiritualiũ S. Mechtil: l. 4. c. 7.*

## PRO FERIA V.

### *Contra scrupulos.*

*Mala scrupulorum eadẽ quæ timoris & tristitiæ.*

PUnctum *mum*. Expende quid sit scrupulus? est enim opinio peccati cum anxietate quadam. Expende mala scrupulorum. Cum namq; scrupulus idem sit quod timor peccati vbi hoc non est, omnia illa mala ex scrupulis oriuntur, quæ oriuntur ex nimio timore. Deinde quia scrupulus est tristitia & anxietas quædam imprudens, omnia illa mala proveniunt ex scrupulis, quæ proveniunt ex tristitia & sunt supra enumerata. Accedit quia inquietant mentem hominis, & privant hominem pace cordis, quæ est quædã beatitudo vitæ. Sicut autẽ Spiritus S. in pacato corde amanter habitat; ita spiritus malignus in corde semper anxio & inquieto. Tandẽ quia

*Insuper scrupuli inquietãt mentem hominis: & minuũt spẽ in misericordia Dei.*

quia minuunt ſpem in Dei miſericordia: timor enim opponitur ſpei. Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere ipſe illuceat in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis ſuæ, vt clare ſciamus quid bonum quid malum ſit in conſpectu eius: & vbi timor non eſt non trepidemus timore.

*Remedia ſcrupuloſæ conſcientiæ.*

*Punctum 2dum.* Expende remedia conſcientiæ ſcrupuloſæ, quæ ſunt: ſcrupulos contemnere: contra illos agere: mentem ab illis planè tanquam à turpibus cogitationibus avertere: iudicio confeſſarij aut viri prudentis ſtare: aſſvefacere ſead ſequendas ſententias mitiores: non iudicare quidquam eſſe mortale peccatum niſi certò ſcias; quouſq; autem fluctuas animo de hoc aut illo peccato eſtne mortale aut non, eouſq; neſcis certò eſſe mortale: otium fugere, quia implet phantaſiam ſcrupuloſis cogitationibus. extirpare ſcrupulorum fontes, qui ſunt triſtitia & timor inordinatus. Lætetur cor meum vt timeat Nomen tuum.

*Age ſecūdùm conſilium ſapientum & depone anxietatem & ſcrupulū: quia gratiam Dei impedit, & mentis devotionem deſtruit. Thom. à Kemp: lib: 4. de Imi: c. 10.*

*Punctum 3tium.* Expende privilegia ſcrupuloſorum quæ ſunt: 1mum, non teneri eos adhibere diligentiam, niſi valde mediocrem in examinandis ſuis moribus & vita. 2dum. non teneri eos confiteri, niſi quæ iurare poſſunt eſſe mortalia, &

nun-

nunquam se ea confessos. Quare scrupulos & dubia non debent confiteri, ne & se ipsos & confessarios suos sine fine fatigent. Ora Deum vt te liberet à vana anxietate conscientiæ; vt possis in serenitate animi & tranquillitate cordis, expeditiùs orationi & contemplationi insistere.

## PRO FERIA VI.

### *De mortificatione intellectus.*

*Actus intellectûs practici nec non prudētiæ.*

PUnctum ımum. Mortificare intellectum nihil est aliud quàm eum ita moderari, vt non erret vel deficiat in actibus suis. Actus porrò intellectûs practici sunt hi: consulere, iudicare, præcipere; qui etiam accensentur prudentiæ, si adiunctam habeant rectitudinem. Vitia intellectûs memoratis actibus opposita sunt: præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia. In 1mo est defectus consilij. in 2do defectus inquisitionis veritatis. in 3tio recessus à determinatione aliquà. in 4to defectus promptæ voluntatis. Gradus per quos intellectus descendere debet ad operationem externam, sunt hi: Memoria præteritorum, intelligentia præsentium, consideratio futurorum, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas per quam acquiescat sententijs maiorum. Ita igitur moderandus intellectus ne præcipitanter

*Vitia intellectus.*

ne inconsideratè ne inconstanter, ne negligenter, ne pertinaciter se habeat. *Scientiam & intellectum prudentiæ compartiatur mihi sapientia tua Domine!*

*Ecclesi: 1.*

*Punctum 2dum.* Frænandus item intellectus à vitijs oppositis prudentiæ habentibus quandam similitudinem cum ipsa & sunt: prudentia carnis quæ est habitus quærendi bona carnis velut finem vltimũ. Astutia quæ est habitus ad finem aliquem bonum vel malum consequendum excogitandi vias seu modos non veros sed simulatos & apparentes. Dolus qui est executio astutiæ per verba. Fraus quæ est executio astutiæ per facta. Solicitudo nimia in temporalibus. Propone hæc sicut & priora intellectus vitia; cavere. Insuper scito quo fine nosse quæq; oporteat. *Sunt enim qui scire tantum volunt vt sciant: &* turpis curiositas est. & sunt qui scire volunt vt sciantur, & turpis vanitas est. & sunt qui scire volunt vt scientiam vendant, & turpis quæstus est. & sunt qui scire volunt vt ædificentur, & prudentia est. S. Bernardus in Cantica.

*Vitia opposita prudentiæ aliqualiter similia ipsi prudẽtiæ.*

*Finis sciẽdi quis debet esse.*

*Punctum 3tium.* Mortificandus quoq; intellectus. imo. in aviditate sciendi. propter quam multa nos obruimus lectione & caput fatigantes, & è memoria cito perdentes. *Habent in epulis suis & animi quandam*

*dam luxiriem*, ait Aug: de beata vita, *si vltra modum & voraciter in eas irruant. ex qua valetudini mentium non minus quàm ab ipsa fame metuendum.* 2do. mortificandus in sensu & iudicio proprio, ne nimis tenaciter ei adhæreat sed sit docilis iuxta iam dicta. *Si Deus inter nos, necesse est vt relinquamus etiam quandoq; nostrum sensum propter bonum pacis.* 3tio mortificandus, dum prurit libido inter homines se sciolum & sapientem monstrandi, exemplo ipsius I E-SU Christi qui ob crucis supplicium factus est stultitia gentibus. Nec tantum intellectûs sed & sensuum disce à I E S U crucifixo mortificationem. Oculi eius sanguine suffusi & Matrem dolentem aspicientes, aures senticeto septæ & blasphemijs oneratæ, gustus siti aridus & felle amaricatus, odoratus calvarijs fætentibus offensus, tactus crucis pondere, clavorum fixura & vulnerum recrudescentia cruciatus, clamant hæc omnia vt non obediamus concupiscentijs corporis nostri. *Si complantati fiamus per mortificationem similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Rom: 6.

*Thom: à Kem: l. 1.*

*Iesus Christus crucifixus exemplar mortificationis.*

## PRO DIE SABBATI.

### *De mortificatione voluntatis.*

P*Unctum primum.* Mortificanda etiam

voluntas propria, hoc est voluntati divinæ & superiorum subijcienda & ita moderanda vt non quod caro sed quod lex Dei iubet sequatur. Tu ergo fili post concupiscentias non eas & à voluntate tua avertere. Eccl: 18. Disce voluntates tuas frangere & ad omnem subiectionem te dare. Thom: à Kemp. lib: 3. Considera actus voluntatis esse: intentionem, electionem, consensum & vsum qui est applicatio alicuius rei ad operationem. Hi ergo actus vt sint recti debent conformari voluntati seu legi divinæ: ideoq; nihil debemus intendere, nihil eligere nulli consentire, nullo vti nisi iuxta legem Dei quæ voluntatis divinæ est index. *En servus tuus ego paratus ad omnia quoniam non desidero mihi vivere sed tibi; vtinam digne & perfecte? Tua voluntas mea sit: & mea tuam semper sequatur.*

*Actus voluntatis qui?*

*Thom: à Kem: l. 3. cap: 23.*

*Punctum 2dum.* Expende exempla quæ te permoveant ad voluntatis propriæ mortificationem. Christus Dominus non suam sed Patris voluntatem semper faciebat. *Non quæro* (ait Ioan: 5.) *voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Beatissima Virgo Mater Christi, voluntatis Divinæ in verbo divino manifestatæ custos manebat æterna. Nullus Sanctorum propriæ voluntatis amator fuit. Expende

item

item mala quæ proficiſcuntur ex voluntate propria. Qui enim ex propria voluntate operatur, facile errat: ſecus qui ex obedientia. Deinde amator propriæ voluntatis nunquam proficiet: imò in gravia labetur. Ait enim Caſſianus: A multis *Senioribus Monachis multa experientia compertum, Monachum nullatenus prævalere ad perfectionis culmen aſcendere, nec iram, nec triſtitiam, nec ſpiritum fornicationis extingvere, ſed nec veram humilitatem cordis, nec cum fratribus firmam diuturnamq; concordiam poſſe retinere; ſed nec in cænobio quidem diutius permanere, qui voluntates ſuas non prius didicerit ſuperare.* Propone voluntatem tuam divino & ſuperiorum arbitrio ſubijcere.

# MEDITATIONES
## De vitijs avaritiæ & immiſericordiæ.
## PRO DOMINICA XXI. poſt Pen.
### *De Avaritia.*

Punctum unum. Servus conſervum debitorem ſuffocabat dicens: *Redde quod debes.* Avaritia fuit cauſa huius violentiæ & inhumanitatis. Nam violentia & obduratio contra miſericordiam, ſunt avaritiei filiæ. Expende gravitatem avaritiæ.

*Matt: 18.*

*Avaritia radix omniũ malorũ cu r*

ritiæ. 1mo. quia est *radix omnium malorum* secundùm Apostolum 1. ad Timoth: vltimo. dicitur autem radix ad similitudinem radicis arboreæ: quoniam sicut hæc alimentum præstat toti arbori; ita cupiditas habendi nutrit omnem nequitiam. 2do quia *avaro nihil est scelestius*. Nam sectatur bona quæ sunt infima inter humana bona. 3tio. quia *avarus etiam animam suam venalem habet*. hoc est vitam suam exponit periculis pro pecunia. 4to quia avarus comparatur ab Apostolo idololatræ; sicut enim hic servit idolo, ita ille pecunijs. Da Domine vt mores mei sint sine avaritia contenti præsentibus.

*Punctum 2dum*. Expende item gravitatem avaritiæ respectivè ad proximum, quia ex hac multa in proximum nocumenta derivantur, scilicet: proditio, violentia, inhumanitas, rapacitas, circumventio proximi per fraudem, per fallaciam. Iudas per avaritiam prodidit Christum: Ananias & Saphira mendacio & periurijs vsi propter avaritiam: propter eandem rapinas Antiochus exercuit: Servus in hodierno Evangelio memoratus violentiam intulit conservo propter eandem. Detestare avaritiam tantorum malorum matrem: & illico omnia resignare in manus superioris statue. Tessera:

Inclna,

*Inclina cor meum Deus in testimonia tua & non in avaritiam.*

*Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.*

*Domine Domine virtus salutis meæ te solum diligam, & proximum propter te: ex divitijs autem & alijs omnibus bonis laudet te anima mea, sed non infigatur illis glutino charitatis.* S. August.

## PRO FERIA II.

### *De motivis fugiendæ avaritiæ.*

PUnctum 1mum. Motivum 1mum. nihil prodest homini si vniversum etiam mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Motivum 2dum quia nihil intulimus in hunc mundum, & haud dubiè nihil inde exportabimus ad sepulchrum. 3tium quia avari privant se quiete & pace animi. Avaritia enim ingerit homini solicitudinem & curas superfluas. vnde Prou: 25 dicitur: *Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam, qui autem odit munera vivet.* 4tum. quia avari & proprietarii plerumq; morte infelici & miserabili moriuntur *Væ ei* Habacuc 2. *qui multiplicat non sua! vsquequo aggravat contra se densum lutum. Nunquid non repente consurgent, qui mordeant te: & suscitabunt lacerantes te, & eris in rapinam eis.*

*Præter Deum nihil prosũt cætera.*

*Nihil exportabim9 ex hoc mũdo.*

*Avari inquieti.*

*Auarorũ mors miserabilis.*

*Exempla interitûs Avarorũ.* *Punctum 2dum.* Expende exempla interitûs avarorum: quomodo Iudas interijt, quomodo Ananias & Saphira, quomodo dives Evangelicus, cui dictum: *Stulte hâc nocte animam tuam repetent à te, & hæc quæ congregasti cuius erunt*: quomodo item Rex Antiochus, & innumeri alij. Noli imitari in moribus, ne & in morte imiteris, dic cum David: Inclina cor meum Deus in testimonia tua & non in avaritiam.

## PRO FERIA III.

### *De camelo ad foramen acûs comparato: & de Lazaro portato ab Angelis in sinum Abrahæ.*

PUunctum 1mum. *Facilius est camelum intrare in regnum cælorum.* Dives omnis Camelus est gibbo avaritiæ & appetitu pecuniarum tumens, plurimisq; peculij & supellectilis sarcinis onustus: porta & via quâ itur ad cælum angusta est instar foraminis acus; quomodo ergo dives per eam intrabit ad regna cælestia? Et si tam arduum est diviti sæculari ad cælum pervenire: quid putas de divite Monacho, cui præter avaritiam, etiam violatio juratæ paupertatis damnationem ministrat? O IESV libera me ab omni onere & appetitu proprij; vt instar nu-

di &

di & tenuis serpentis per angustam cæli viam possim ad regnum æternum perrepere.

*Punctum 2dum. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ* Lucæ 16. Divitem ceu animal quoddam portentosum gibbosumq; relinquunt Angeli: at verò pauperem suis excipiunt humeris & deportant ad cælum. Considra 1mo. sinum Abrahæ esse locum quietis Sanctorum ante mortem & resurrectionem Domini: qui instar Abrahæ in Christum credendo & præcepta Dei custodiendo ex hac vita migrarunt. Considera 2do. quis honor animæ mendici mortui? quo solennius & honoratius funus est, eò honoratiores adhibentur baiuli sandapilæ: in elevationibus autẽ cinerum Sanctorum, in translationibus sacrarum reliquiarum ipsi etiam summi sacerdotes, Duces & Reges sua sacrato oneri supponunt brachia, at vero animæ pauperis defuncti, throni & principatus cælestes deserviunt. O felix mendicitas!.

*Sinus Abrahæ.*

*Anima Lazari quales habet portitores.*

## PRO FERIA IV.

### *Quid & vbi paravit Deus pauperi?*

P*Unctum 1mum. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* 57. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, quid illud? ne-

ftio dicere, cogitare & cognoscere non valeo, sed & Propheta non valuit. Parasti sine dubio thesauros inæstimabiles & bona invisibilia: sed quæ illa & quanta? oculus videre, audire auris, cor comprehendere non valet.

*Punctum 2dum.* Vbi parasti? *in dulcedine tua.* O locus quàm felix, quàm beatus, quàm dulcis es, qui mera dulcedo appellaris. In dulcedine paravit: & in sua dulcedine paravit Deus bona pauperi. Dulcedo Dei quæ & quanta? in hac paravit bona pauperi, illa quæ solus novit, tanta quanta solus novit. Cui parasti? Qui propter te reliquit omnia, tu ei ex te dedisti omnia: qui temporalia deseruit, ei æterna contulisti. O beata paupertas!

## PRO FERIA V.

### *Probro Deus afficitur dum pauper dispicitur.*

PUnctum 1mum *Qui calumniatur egentem exprobrat factori eius. qui despicit pauperem, probro afficit factorem eius.* proverb. 17. Qui vituperat aut damnat opus, factorem eius vituperat aut damnat. Cum ergo sit factor pauperis Deus: qui hunc contemnit, subsannat. eijcit; Deum ipsum contemnit, subsannat, eijcit.

Exami-

Examina te qualis hactenus erga pauperes & per consequẽs erga Deum ipsum fueris.

*Punctum 2dum.* Considera quod solus Deus & creaturæ rationales sint ex charitate diligendæ, non autem bona creata, vt divitiæ & similia: hæc enim non possunt communicare nobiscum in beatitudine æterna. Quantumcunq; ergo sit aliquis pauper, teneris eum diligere: è contra quantumcumq; alius sit dives & splendidus, non plus teneris diligere eum, quàm pauperem. Recollige te qualis hactenus erga pauperes & calamitosas ac morbidas personas fueris. Propone indifferenter & æqualiter omnes diligere, & pauperibus secundum possibilitatem subvenire.

*Solus Deus & creaturæ ad æternã beatitudinem cõditæ ex charitate diligendæ.*

## PRO FERIA VI.

### *De crudelitate & sævitia: & quod passio Christi corda saxea emollit ad misericordiam & clementiam.*

PUnctum 1mum. *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Ipse autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem.* Vide quomodo cupiditas radix fuerit grãdium malorum iu hoc avaro servo, nimirum ingratitudinis, immisericordiæ, crudelitatis sævitiæ ac demum exitij proprij. Considera 1mo. crudelitatem esse

quan-

*Crudelitas quid?* quandam austeritatem animi, per quam aliquis fit promptus ad pænas augendas. Considera 2do. quod sicut cocta svavem habent saporem cruda horribilẽ & asperum: ita clementia dulcis est diminuendo pænas; crudelitas verò à cruditate nomen suum derivans atrox est puniendo immoderatè. *eius etymum.* Considera 3tio. sævitiam seu feritatem dici, secundùm quam aliquis in infligendis pænis non considerat culpam eius qui punitur, sed suam delectationem ex cruciatu alieno quærit, quod proprium est bestijs. *Sævitia seu feritas quid.* Detestare iram quæ crescit in odium & trabem facit de festuca. Consvesce & propone dulcedinem animi ad alios habere.

*Punctum 2dum.* Ad duritiam cordis ex qua crudelitas & sævitia oritur arcendã aut deponendam iuvat meditari de passione Domini: quæ etiam lapidea corda emollit & mansvefacit, vt claret ex miraculis, quæ circa mortem Christi Domini facta sunt: *Velum templi divisum est ad ostendendum reserationem mijsteriorum legis. Aperta sunt monumenta ad ostendendum quod per mortem Christi mortuis vita daretur. Terra mota est & petræ scissæ sunt ad ostendendum quòd lapidea corda hominum per paßionem eius emollirentur: & quod totus mundus virtute paßionis eius in melius*

*3. p. q. 44. ar. 4. ad 3. Miracula circa paßionem Domini, & mysterium eorum.*

*ius esset commutandus* ait S. Thomas. Virtute Passionis Dominicæ velum dividitur, atq; ad propitiatorium quemvis admittit: tu propitiari fratri tuo, proximo tuo recusabis? Sepulchra mortuos dimittunt liberos: tu in fratrem sævies, eiq; ad sepulchrum viam sternes? Terra movetur, petræ scinduntur: tu durus atq; implacabilis manebis? Totus mundus per mortem Christi correctus & restauratus: tu in malitia perseverabis?

*Colloquiū.*

Doces me o virtus & sapientia Patris ex cathedra crucis viam perfecti amoris: reseras mihi mysterium legis de diligendo proximo, quando & oras pro crucifixoribus tuis, & grande peccatum eorum excusas & pro nobis omnibus ingratis ac sceleratis animam pretiosam ponis. Absit, absit vt nolim intelligere & opere implere doctrinam tuam. Emolli viscera mea virtute, quâ saxa emollivisti. Aperi cor meum ad affectum benevolentiæ, os meum ad verba amoris, manus meas ad opera beneficentiæ erga proximos etiam eos qui me offenderunt; sicut sepulchra aperuisti. Tu qui commovisti terram & conturbasti eam: da terreno cordi meo sanctam contritionem; & sana in me contritiones malas quibus alios conterere & affligere cogitavi vnquam. Disrumpe

velum

*psal. 79, secundum L. XX.*

velum cæcitatis meæ internæ: *Ostende mihi duritiam meam* vt ab ea per gratiam tuam recedens, potari vino compunctionis tuæ merear.

## PRO DIE SABBATI.

### *Nocumenta aliena, & immisericordia cavenda.*

*In corpore tria sunt nocumēto obnoxia.*

P*Unctum imum. Misit eum in carcerem donec redderet ei debitum.* Ipse exactor ipse iudex, ipse minister iustitiæ. In corpore tria sunt, quibus noceri possit: integritas corporalis, cui detrimentū affertur per occisionem vel mutilationem: deinde delectatio seu quies sensûs, cui opponitur verberatio, vel quidlibet, sensum dolore afficiens: tandem motus & vsus membrorum, qui impeditur per ligationem vel incarcerationem, seu quācunq; detentionem. In his ergo omnibus non licet nocere alteri nisi propter pænam iustam. Pæna autem iusta non potest infligi nisi ab habente iurisdictionem supra reum. Detineri tamen aliquis potest ad cautelam magni alicuius vitandi mali. Vide num alicui in his tribus non nocuisti? Si nocuisti, dole: propone satisfacere & inposterum à nocumentis aliorum cavere.

Pun-

*Punctum 2dum. Serve nequam, nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum. Traditq; eum Dominus tortoribus.* Considera 1mo. cum rigidis & crudelibus rigidè procedere Deum. Duros durissimum manet iudicium. Considera 2do. sicut misericordes felici fato decedunt, ait enim Hieron: *Non memini me legisse mala morte mortuum, qui opera misericordiæ fecerit.* ita immisericordes pessimâ morte abripi. Propone diligenter & frequenter examinare conscientiam tuam quid & quantum Deo debeas, ne in rigorem examinis eius venias: & hanc aut similem adijce orationem. Ego sum servus ille nequam. Confiteor quia toties omne debitum dimisisti mihi: toties mihi enormia peccata remisisti. Confiteor quia post tantas tuas erga me miserationes adversus conservos meos durus & immisericors fui. Parce Domine malo iam ipse mori, quàm membra tua, servos tuos, immisericorditer tractare.

*Colloquiũ.*

O refugium peccatorum Virgo DEIpara intercede pro me ad Filium tuum Regem & Iudicem meum. Tota eius figura in cruce sub qua stetisti spirabat amorem. Caput inclinatum: manus expansæ: pectus apertum, omnia hæc signa fuerunt ardentissimi amoris ad ho-

mines

mines. Per talem & tantum amorem obsecra vt patientiam & misericordiam super me habeat.

O Angeli Dei Sanctiq; omnes etiam vos rogo: ne quæso accusetis me coram Domino vestro & meo, sed potius orate pro me, vt esto ingratus & indignus, inveniam misericordiam in judicio eius. orate ne tradat me tortoribus sicut merui, sed vt vobis me associet; quò in æternum vna vobiscũ misericordias eius decantem.

# MEDITATIONES
## De tentationibus, scandalo & hypocrisi.

## PRO DOMINICA XXII. post Pen:
### *De tentationibus.*

PUnctum imum. Pharisæi cum Herodianis venerunt ad tentandum Christum. Considera imo. quid sit tentatio? est enim experimenti sumptio de aliquo. Considera 2do. causam tentationis esse triplicem: carnem, mundum, diabolum. Considera 3tio. tribus modis perfici tentationem: suggestione, delectatione & consensu. Christus suggestionem mali sẽtire potuit, sed non delectationem, nec consensum. Idem ab hoste externo tentari potuit, & tentatus est sed non à carne.

*Tentatio quid? quotuplex causa ipsius?*

*quotuplex modus?*

ne. Considera 4to. tempus vitæ præsentis esse tempus tentationum: atq; idcirco vita præsens vocatur tentatio & militia. Quare noli mirari nec turbari si crebro tenteris, sed stude semper armatus esse & viriliter ac legitime certare vt coroneris. Veniet tempus pacis quando non iam pugnabis, sed in gloria cælesti numerabis triumphos tuos.

*Christus à carne non potuit tẽtari.*

*Punctum 3tium.* Considera 1mo. vtiles esse & convenientes homini tentationes. *Qui enim tentatus non est qualia scit?* Eccles: 34. *Et pertinet ad conditionem humanæ naturæ vt ab alijs creaturis juvari vel impediri poßit in consecutione sui finis.* Considera 2do. tentationes in triplici esse differentia. Nam aliæ sunt Incipientium, vt tædium in Spiritualibus, indiscretio in mortificationibus & precibus, scandalum si quid contra mentem suam viderint (hinc volunt statim magistri fieri aliorũ) cupido spiritualium consolationum, conscientiæ inquietudo, seu scrupuli. Proficientium: pusillanimitas, zelus inordinatus in aliis redarguendis, tepiditas in injunctis officiis exequendis, amor nimiis vnius loci, officij & similium, ambitio honorum, appetitus vanæ gloriæ. Perfectorum: occulta superbia, conficta imbecillitas & infirmitas, persecutio acer-

*Vtilitas tẽtationum*

*S. Thomas 22. de tentationib9 primorũ parentũ.*

*Triplex claßis vt hominum Spirituali um, ita & tẽtationũ*

bior, desolatio interna. Vide quibus potissimùm impugneris tentationibus: & arma te ipsum contra illas oratione & mortificatione. Tesseræ: *Vita mea Deus meus illumina nos vt videamus laqueos, quos versutus hostis noster paravit in exterminum nostri: vt evadamus ad te lætitia Israel:* S. August: in Solil:

*Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

*Exultatio mea erue me a circumdantibus me.*

## PRO FERIA II.

### *De modis superandi tentationes.*

*Generalis modus superandi tẽtationes duplex: aut per fugam, aut per resistentiã.*

PUnctum unum. Duplex est generalis modus tentationes vincendi: aut enim vincuntur per fugam, aut per resistentiam. Per fugam vincenda tentatio, quando cogitatio illius de quo tentaris, auget incentivum peccati sicut fit in luxuria: resistendo vincenda, quando perseverans cogitatio tollit incentivum peccati, sicut in acedia. Speciales modi vincendarum tentationum sunt sequentes: Oratio, carnis mortificatio, firma fiducia & spes in Dei adiutorio, tesserarum & testimoniorum sacræ scripturæ in tentationibus usus, resistentia aut fuga statim in initio tentationis. *Mulier* iuxta prædictio-

*Speciales modi.*

dictionem in Geneſi factam *conterit caput ſerpentis, quando animalis pars noſtra diabolum ſtatim in initio malæ ſvaſionis excludit.* Conſidera exempla Sanctorum variorum, qui fortiſſimè impugnationes mũdi, carnis, diaboli repreſſerunt finaliter vt S. Paulus primus Eremita, S. Thomas Aquinas, S. Franciſcus & innumeri alij. Stude & propone imitari.

*S. Thomas de tentatione primorum parẽtum.*

*Punctum 2dum.* Quoties obrepunt cogitationes malæ in materia luxuriæ aut quacunq; alia, ſtatim cogitatio abrumpenda nec diabolo hæc aut illa proponenti reſpondendum. Superbus diabolus ſuperbè reijciatur. Et hæc ſuperbia ſancta eſt ſi diabolo nihil reſpondeas. Noli curare noli diſputare cum cogitationibus tuis monet Thomas à Kempis, nec ad immiſſas á diabolo dubitationes reſponde. Non eſt quidquam de verſutijs eius & phantaſijs quantumlibet horridis & turpibus curandum. Contemnendus eſt miſer & deridendus. Sibi imputa cum mala inſerit & immunda. Dicito illi: Diſcede à me ſeductor peſſime non habebis partem mecum ſed JESUS meus erit mihi tanquam bellator fortis.

*lib: 4. c. 18.*
*lib. 4. c. 10*
*lib. 3. c. 6.*

## PRO FERIA III.

### *De ſcandali natura.*

*Matth. 21*

PUnctum 1mum. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.* Pharisæi non tãtum discipulos suos sed & Herodianos scandalisarunt inducendo eos ad Christum tentandum. Considera 1mo. sicut se habet in via corporali obex, in quem viator impingens disponitur ad ruinam; ita in processu spirituali habet se scandalum quod latine vocatur offensio vel impactio pedis. Scandalum porrò sic definitur: est dictum vel factum minùs rectum præbens occasionem ruinæ spiritualis.

*Scandalũ quid?*

Considera 2do. stringi nos præcepto divino ad abstinendum ab omni eo quod proximum scandalisare potest. Ait enim Apostolus Ne ponatis offendiculum fratri vel scandalũ. ad Rom. 14. Et 1. ad Thess. 5. *ab omni specie mala abstinete vos.* Tu Domine mandasti mandata tua custodiri nimis. Fac ergo vt illa nec in minimo, nec specie tenus transgrediar.

*Punctum 2dum.* Duplex autem est scandalum, activum & passivum. Activum est in eo qui scandalisat dans occasionem ruinæ, passivum est in eo qui scandalisatur. Aliud item scandalum Pharisæorum, aliud parvulorum; scandalum, Pharisæorum est, quod procedit ex malitia: quando scilicet aliquis ex doctrina alicuius recta sumit occasionem, vt impediat salutem vel

*Scandalũ Pharisaicum sem-*

bona

bona ſpiritualia in alijs, & hoc ſcandalum contemni debet. Puſillorum ſcandalum eſt quod ex ignorantia vel infirmitate oritur. Quare *omnis ille qui ſcandaliſatur parvulus vocatur. Maiores enim ſcandala non recipiunt.* Cura perfectus eſſe & ſolidus, ac ſtabilis in amore Dei, vt non ſit tibi ſcandalum.

*per contemnendum.*

*S. Hieron: in Matth.*

## PRO FERIA IV.

### *De duplici ſcandalo activo & paſſivo: quando & quod habet mortalem & ſpecialem malitiam.*

*Quando Scandalũ & hoc & illud eſt mortale.*

P*Unctum 1mum.* Scandalum activum etiamſi ſit per accidens, hoc eſt etiamſi præter intentionem operantis & conditionem operis ſequatur ruina in alio, eſt peccatum mortale tunc, quando cõmittis actum peccati mortalis, vel quando contemnis ſalutem proximi, pro ea cõſervanda non prætermittendo aliquid facere quod tibi libet. Scandalũ verò activum per ſe, mortale eſt cum intendis alium inducere ad peccandum mortaliter vel cum intendis aliquem inducere ad peccandum venialiter, per actũ peccati mortalis. Examina te ipſum, an & quoties alios ad ruinam traxeris ſive per peccata ſive per opera ſpeciem peccati habentia. Dole: emendationem propone: proteſta-

re quod velis Deo animas quàm pluri-plurimas lucrari per exempla bonæ vitæ, & per verba salutis. ad hoc lucrum, auxilium gratiæ divinæ implora.

*Punctum 2dum.* Nullum passivum scandalum est speciale peccatum; sed ad alia peccatorum genera reducitur. Item scandalum activum, quod fit præter intentionem agentis, vt cum quis non intendit dare alteri occasionem ruinæ, sed solùm satisfacit voluntati suæ, non habet specialem malitiam: sed solum activum quod per se est, cum quis inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandū. Vita & propone vitare utrumq, tam videlicet activum, quàm passivum: illud, quia sanguinem hoc, perditionem aliorum, quos scandalisavimus est requiret Deus à nobis: hoc autem, quia si scandalisaris in alio non es verus Dei amator. *Falsò Deum amore diligit qui scandalisatur in fratre.* ait Hieron: in psalm: CXIX. Examina te an ad dandum vel accipiendum scandalum facilis fueris. Detestare malitiam scandali vtriusq; & actum dilectionis Dei & proximi elice cum protestatione, quod sicut tibi, ita omnibus & singulis hominibus desideras salutem animæ.

*Solum scā dalū activum quod vocatur per se, habet specialem scandali malitiam.*

*Vtrūq. scādalum vitandū & quare?*

PRO

## PRO FERIA V.

### *De gravitate scandali.*

PUnctum vnicum. Expende gravitatem scandali. 1mo. quia contrariatur charitati proximi. 2do. quia *væ illi per quem scandalum venit: & expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* 3tio. quia scandalum est peccatum in Christum. ait enim Apostolus: *Percutientes conscientiam fratrum infirmam, in Christum peccatis.* 1. Corinth: 8. 4to. quia propter illud impediendum etiam spiritualia bona quæ non sunt de necessitate salutis, vel occultanda sunt, vel interdum differenda, quousq; reddita ratione scandalū cesset, si autem reddita ratiône scandalum duret, iam videtur esse scandalum ex malitia. Similiter & temporalia bona debemus dimittere tribuendo ea, si penes nos habemus: vel non repetendo, si pênes alios sunt. 5to. quia scandalum pervertit & perdit animas sanguine Christi redemptas. Quare Apostolus ad Rom. 14. monet: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et: *Bonum est non manducare carnem: neq; bibere vinum,* (neq; aliud quidquam facere) *in quo frater tuus offenditur, aut scandalisatur, aut infirmatur.*

*Scandali gravitas 1mo. quia contraria tur chari tati proxi mi 2do. quia væ il li qui scá dalisat. 3tio. quia est peccatū in Christū. 4to. quia propter il lud impedi endum eti am spiritu alia bona omittenda vel occultā da vel dif ferenda. Temporali a verò bo na vel di mittenda vel non re petenda. 5to. quia*

*perdit animas à Christo redemptas.*

En ergo quæ pacis sunt sectemur: & quæ ædificationis sunt invicem, custodiamus.

## PRO FERIA VI.

### *Cur Christus tentari voluit?*

*Math 21.*

PUnctum 1mum. *Quid me tentatis hypocritæ?* Christus Dominus tentari voluit non solum ab hypocritis, sed etiam ab hypocritarum rege diabolo, à quo & in ipsa cruce tentatus est. Expende cur Christus tentari voluerit? 1mo. vt nobis contra tentationes suo merito & exemplo auxilium ferret. 2do. propter nostram cautelam: vt nullus quantumcunq; Sanctus se æstimet securum à tentatione. 3tio. propter solatium nostrum: ne scilicet dum nos vel intra divina, vel extra: vel in vita, vel in morte aliquæ cogitationes & suggestiones diabolicæ impugnant turbemur. Vnde Christus S. Mechtildi tentatæ timidis & tristibus cogitationibus dixit: *Noli mirari si te istæ cogitationes impugnant. Nam & diabolus me tentabat, cum propter te penderem in cruce.* O quod solatium & fiducia nobis inde in hora mortis nostræ!

*Causæ ob quas Christus tentari voluit?*

*Lib: 2. Spiritualium gratiarũ Cap: 11.*

*Punctum 2dum.* Diabolus qui consummata in deserto omni tentatione ad tempus à Christo recesserat, postea non tentaturus, sed apertè pugnaturus advenit ad ipsum tempore passionis. Cõsidera 1mo. etiam

etiam nos visibiliter à dæmone in hora mortis impugnandos. Quare bestiam hanc cruentam fortiter exemplo S. Martini reijcere debemus. Considera 2do. sicut Christus in sua passione videbatur tentari tristitia & odio proximorum, in deserto autem tentatus est delectatione gulæ & contemptu Dei per idololatriam: ita homines in morte tentari per tristitiam & desperationem, per odium proximorum, per contemptum Dei, per superbiam & confidentiam in meritis proprijs. Considera 3rio adversus omnes tentationes diaboli esse efficacissimum remedium confugere ad vulnera Christi crucemq; eius. Crux Christi est baculus, quo diabolus cum suis tentamentis pellitur & vincitur. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

*3. p. q. 41 art: 3. ad 3.*

*S. August: in Manu: cap: 22.*

## PRO DIE SABBATI.

### De *Hypocrisi.*

Punctum 1mum *Quid me tentatis hypocritæ?* Potissimum hypocrisim exprobrat Christus Dominus Pharisæis, vt ab ea avocet. Considera 1mo. ad hypocrisim duo concurrere: defectum sanctitatis & simulationem illius. Hypocrita ergo dicitur ille, qui simulat sanctitatem, quam tamen non habet (ob peccatum mor-

*Hypocrisim duo constituunt: simulatio sanctitatis &*

*defectus illius.*

tale) & nihil minus curat habere. Considera 2do. gravitatem hypocrisis ex sacra Scriptura & Sanctis Patribus. Nam Christus Dominus sæpenumerò *Væ* dicit hypocritis in Evangelio. Deinde Iob 36. dicitur: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Item Iob 13. arcentur à visione Dei hypocritæ omnes: *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* S. Hieron: in Isaiæ cap: 16. ait: *In comparatione duorum malorum levius est apertè peccare, quam sanctitatem simulare.* Idem super Iob, cap. 1. *Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Idem super illud threno: 4. *Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum,* peccato sodomitico præponit hypocrisim: *Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisim labitur: cuius maior est iniquitas peccato Sodomorum.* Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.

*Gravitas hypocrisis ex authoritatibus.*

*Punctum 2dum.* Expende item ex rationibus gravitatem hypocrisis. Nam primò opponitur directè veritati. Simulatio enim propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Sicut autem mendacium oris est illicitum; ita & mendacium operis. 2do. omnis hypocrisis quâ intenditur defectus sanctitatis & simulatio eiusdem, est peccatum mortife-

*Gravitas hypocrisis ex rationibus imo quia adversatur veritati.*

tiferum: quia nemo totaliter privatur sanctitate nisi per peccatum mortale. Omnis insuper simulatio sanctitatis adversans charitati Dei vel proximi, veluti cum quis simulat sanctitatem vt falsam doctrinam disseminet, seu vt adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, sive quæcunq; alia bona suum in ijs finem constituendo, est peccatum mortale. Aliàs delectari in ipsa fictione sanctitatis salvâ charitate, potiùs est vanitas quàm malitia; sicut etiam simulare perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis, non semper est peccatum grave. Fuge simulationem, ne væ à Christo audias. Ora ad B. V. MARIAM pro vera sanctitate quia in ipsa est omnis gratia vitæ & veritatis.

*Simulatio est mendaciũ operis.*

# MEDITATIONES
## De Morte.
### PRO DOMINI: XXIII. post Pent.
*Non differenda pænitentia.*

PUnctum imum. *Domine, filia mea modò defuncta est; veni impone manum tuam.* Matth: 9. Marcus Evangelista sic habet: *Filia mea in extremis est.* Quam Marcus vocat moribundam, Matthæus mortuam, dicit. Solemus enim de aliquo lethaliter

liter ægrotante mortiq; iam proximo dicere: *mortuus est homo.* Per hanc filiam intelligitur anima. Conſidera 1mo quòd anima recenter lapſa, facilius ſuſcitetur ad pænitentiam quàm inveterata in malo: & hæc maior facilitas vel difficultas habet ſe ex parte animæ peccantis,non ex parte Dei à peccato ſuſcitantis; cui omnia æqualiter poſſibilia & facilia ſunt. Diſce hinc quòd vitia ſtatim ab initio è nobis debemus eradicare ne in conſvetudinem abeant. Conſidera 2do quòd à nullo peccato & vitio poſſimus erui, niſi per manum Chriſti Domini. Ora eum vt imponat manum ſuam tibi, & te à morte peccati reſuſcitet, à periculo peccandi liberet, & in vita ſpirituali, hoc eſt, in gratia ſua vſq; in finem conſervet.

*Punctum 2dum. Et deridebant eum.* Chriſtus deridetur eò quòd dixerit non eſſe mortuam puellam, ſed ſomno ſoporatam. Conſidera 1mo. alium eſſe ſenſum mundi, alium Chriſti: aliter dormitionem à Chriſto accipi, aliter à mundo. Conſidera 2do. Chriſti modeſtiam, deridetur & tacet: conſtantiam eiuſdem dum contemptu ſui non retrahitur à bono opere: humilitatem & patientiam, dum patienter ſuſtinet ſui deriſionem. Vide quàm fortè contrarius

es mo-

es moribus Christi? Erubesce, ora, propone has Christi Domini imitari virtutes.

Tesseræ: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me & in pulverem reduces me: vitam & misericordiam tribue mihi.*

O *Resurrectio & vita Domine Iesu! veni impone manum tuam super me in hora mortis meæ & vivam.*

## PRO FERIA II.

### *Quot & quam diræ consummationes malorum hominum.*

*Consummatio seu mors malorũ dira.*

PUnctum 1mum. *Nationis iniquæ diræ sunt consummationes.* Sap: 3. Psaltes alijs verbis idem exprimit: *Mors peccatorum pessima.* Non mala, sed pessima. Expende quòd consummationes reproborum vocantur diræ. 1mo. propter incredibiles cruciatus corporis in morte, cum omnia membra suis vexabuntur doloribus: totum ardebit corpus febribus: totus homo in lecto velut in æqvuleo tormentis morborum cruciabitur. Nascitur homo mundo cum incredibili pressura matris: nascitur idem æternitati cum incredibili pressura sui ipsius. 2do diræ propter cruciatum malæ conscientiæ: eò acrius mordebit vermis malæ conscientiæ, quò vivacius ibunt & redibunt in memoriam peccata præterita. 3tio. diræ propter amissionem præsen-

*1mo propter cruciatus corporis.*

*2do. propter cruciatũ malæ conscientiæ.*

*3tio. propter amo-*

*rem præsentium.* præsentium, vt pecuniarum & voluptatum & rerum quarumlibet quas amasti. *4to. propter timorem futurorum.* 4to. diræ propter timorem futurorum: & maximè diræ propter patentis iam iamq; inferni conspectum. O quàm amara est memoria talis mortis! O IESU per tuam in horto & in cruce agoniam, miserere mei in agone meo!

*Quare mors peccatorum vocatur in plurali consūmationes?* *Punctum 2dum.* Dicuntur consummationes non consummatio: quia iniqua natio id est peccatores non vna morte moriuntur. 1mo. enim moriuntur morte peccati, amissâ gratiâ sanctificante quæ est vita animæ. 2do. consummantur morte corporis, dum eorum anima separatur à corpore. 3tio morte gehennæ dum separantur à vita gloriæ, ac deijciuntur in infernum. Heu quàm diræ sunt istæ consummationes seu mortes? dira mors peccati privans animam gratiâ: dira mors carnis privans corpus animâ: dira dirissima mors gehennæ privans hominem gloriâ. O IESU per mortem tuam dirissimam libera me à morte peccati: libera me à cruciatibus mortis: fac in pace in idipsum dormiam & requiescam. Mors carnis sit mihi somnus & dormitio non pressura, nec consummatio. Mors naturalis sit mihi ostium & transitus ad vitam gloriæ. Fac IESU per pijssimam misericordiam tuam.

PRO

## PRO FERIA III.

### *Hora mortis est tempus tenebrosum & longum.*

P*Unctum 1mum. Si multis annis vixerit homo, & in omnibus lætatus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum in quibus vanitatis arguentur præterita.* Eccl: 11. Considera 1mo. tempus mortis vocari tempus tenebrosum, quia offundit tenebras oculis cum primum caligant, deinde cæcutiunt: offundit tenebras intellectui & memoriæ. Tenebræ incutiunt timorem tædium & mærorem, vt experimur de nocte: & illud tempus tenebrosum pavere, tædere, & mæstos esse nos faciet. O quis explicet quomodo homo moribundus sit pavidus, mæstus, tædiosus! ipse Christus IESUS imaginem temporis huius in se expressit, quando ante mortem crudelem pavebat, mærebat, tædioq; angebatur in tantum, vt sudor sanguineus ex ipso prorumperet. Unde quæso etiam in moribundis illi sudores? ex nimio pavore & mærore.

*Punctum 2dum* Considera 1mò horam mortis vocari dies multos: quia præ nimijs doloribus & angoribus dies etiam pauci videbuntur multi: vna septimana imò nox vna, integer annus reputabitur.

Consi-

Conſidera 2do. quia tunc omnia præterita cognoſcentur vana fuiſſe, quæcunq; non pro Dei gloria geſta aut cogitata ſunt. Vanæ apparebunt curæ, divitiæ, gaudia, honores, & huiuſmodi. O IESU mi da mihi ita vivere vt in illis ſummis doloribus & anguſtijs habeam refrigerium ex teſtimonio bonæ conſcientiæ: da mihi non in vanitatibus vitam ducere, ne afflictiſſimos dies meos vltimos magis affligat malè acta vita mea.

## PRO FERIA IV.

*Stulti in tempore non ſuo moriũtur.*

P*Unctum 1mum. Ne impiè agas multum: & non ſis ſtultus: ne moriaris in tempore non tuo.* Eccl: 6. Quæ iſta ſtultitia eſt quæ mortem accelerat? Sapientia in ſacris literis eſt timor Domini, qui conſiſtit in obſervantia præceptorum divinorum iuxta illud Iob 28. *Timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere a malo intelligentia.* Et Proverb: *Sapiens corde, præcepta ſuſcipiet.* id eſt, opere implebit. ſtultitia ergo eſt non timere Dominum: nec curare, ſed contemnere mandatorum eius obſervantiam.

*Punctum 2dum. Ne moriaris in tempore non tuo.* Terminus vitæ humanæ ſunt 70. aut 80. circiter anni; ad hunc non pervenit,

nit, quicunq; modo præfato stultus est. Quot videmus extingui homines in ævo immaturo? ille moritur 20. annorum, ille 30. quare? quia forsan indignum se reddidit longiore ævo. S. Hieron: ad Paulum Concordiensem ait: *Humanæ vitæ brevitas, peccatorum damnatio est.* Vis diu vivere? noli esse stultus. Deum time & mandata eius custodi. IESU sapientia increata: da mihi intellectum, vt sciam mandata tua, & sciam practicè opereq; ipso. Da mihi vt maturus in sanctitate, maturo ævo, si tibi placet, moriar.

## PRO FERIA V.

### *Beati in Domino morientes.*

PUnctum imum. *Beati mortui qui in Dño moriuntur.* Per mortuos hoc loco intellige vel vitâ functos: vel morientes seu moribundos: vel eos qui spiritualiter mortui sunt: hoc est mortui peccatis, mundo, & sibi ipsis, scilicet voluntati & iudicio proprio. De talibus loquitur Apostolus: *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* ad Coloss: 3. In Domino mori est in iustitia Domini mori. Iustitia autem hæc, est fides per charitatem formata: *Iustus enim ex fide vivit.* In Domino mori (ait Pannonius) *est diem suum obire in statu salutis, in charitate, in divini nominis*

*Apoc: 14.*

*Per mortuos qui intelligũtur?*

*In Dominõ mori quãliter intelligendum?*

*In Apoc:*

*minis confessione, in mentis ad Deum conversione.* Beati ergo omnes illi, qui moriuntur in Domino. O verè beati: quia beatitudinis auctori animam reddunt, quam ab eo acceperant: beati, quia Deo felicitatis fonti cui coniuncti sunt in morte per charitatem, in æternitate coniunguntur per gloriam: beati quia à modo hoc est à tempore vitæ præsentis transacto requiescent à laboribus suis, & in perpetuò refrigerio erunt.

*Requies Sanctorũ quæ?*

*Punctum 2dum. A modo iam dicit spiritus* (id est Spiritus Sanctus) *vt requiescant a laboribus suis.* Sed non sufficit ad felicitatem Sanctorum, quòd iam non fatigabuntur laboribus & doloribus: ampliorem requiem felicitas Sanctorum qui in Domino moriuntur habebit, requiem nimirum ipsius Dei. Sicut Deus requiescit in se ipso & sui fruitione beatus est: ita & Sancti in Deo requiescent, & sic requiescendo non tantum labore & dolore non prementur, sed etiam immensâ beatitudine & affluentia bonorum omnium perfruentur. Requies dupliciter accipitur, vno modo pro cessatione ab operibus: alio pro impletione desiderij. vtroq; requiescent Sancti. 1mo. quia feriabuntur ab omni opere fatigante. 2do. quia totum desiderium eorum in possessione Dei replebitur.

*Sicut Deus in se solo requiescit & se fruẽdo beatus est: ita & nos per solam Dei fruitionẽ beati efficimur.*

Festi-

Festinemus ergo ingredi in eam requiem: festinemus inquam passibus fidei & bonorum operum.

O qui requievisti die septimo ab omni opere, & requievisti in te ipso, vt pote non indigens ad beatitudinem tuam creaturis sed tibi ipsi sufficiens & implens desiderium tuum: quando facies me requiescere in teipso! Rogo te per miserationes tuas infinitas ne sinas me esse de numero eorum quibus iurasti in ira tua quod non introibunt in requiem tuam. Pijssime Domine cuius voluntas sanctificatio nostra, præsta per bonitatem tuam; vt donec *hodie* cognominatur, non obduret fallacia peccati: aufer à me incredulitatem omnem: aufer duritiam cordis; vt semper voci tuæ obediens, tecum & in te requiescam perenniter.

*Punctum 3tium. Opera illorum seqvuntur illos.* Ad quid seqvuntur? non vt in ipsis iterum exerceantur homines in altero sæculo: sed vt præmientur & coronentur propter ipsa. Considera. sicut dum operarius redit ex agro aut vinea, seqvuntur ipsum labores eius, vt de illis mercedem accipiat: sic & quemlibet iustum, dum ex hoc mundo tanquam ex vinea redit ad domum Patrisfamilias, seqvuntur opera eius. O quam in tempore receptionis mer-

cedis vellem me plurimum laborasse! Ergo *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Considera item sicut beati qui in domino moriuntur, quia opera illorum seqvuntur illos ad saluationem: ita maledicti qui in peccato gravi moriuntur, quia opera illorum seqvuntur illos ad damnationem. Ora & continuo ac flagrantissimis precibus ora vt in Domino moriaris. Fidem cum charitate custodi, & frequentibus actibus renova. Mortuus esto peccatis, mundo, tibi ipsi, vt possis dicere cum Apostolo: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic fiet quòd in Domino morieris.

## PRO FERIA VI.

### *Qualiter nos ad mortem disponere debeamus Christus Crucifixus docet*

*A morientibus facienda imo confessio.*

PUnctum imum. IESUS crucifixus compunctionem & confessionem peccatorum misericorditer operatus est in latrone à dextris pendente, vt in periculo mortis accuratam peccatorum confessionem faciamus cum communione sacra & extrema vnctione, cum crebris item actibus contritionis, & tesseris pænitentialibus: quales sunt: *Miserere mei Deus. Deus propitius esto mihi peccatori. Digna quidem*

*factis*

*factis reciperem si me damnares: verum tamen memento mei & admitte me in regnum tuum.* Deinde in cruce continuò oravit & affectus ardentissimos elicuit. Imitare: & affectus virtutum Theologicarum crebró elice cum protestationibus te potius mori velle, quàm Deum deserere & à fide, spe, ac charitate Dei desciscere. Protestare te mori in fide sancta Catholica quàm IESUS Salvator noster docuit: Apostoli disseminarunt: Sancta Romana tenet Ecclesia. Dic: *In fide & amore illius vivo & morior qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* 3tio. petijt veniam crucifixoribus. Et tu condona omnes à quocunq; tibi illatas iniurias & offensas: ora pro omnibus quicunq; te offenderunt: deprecare etiam omnes seu præsentes seu absentes quos aliquando offendisti, iniuriasti, scandalisasti. Dic: Pater æterne dimitte omnibus qui me vnquam in quacunq; re læserunt, sed & mihi dimitte, qui toties proximum meum offendi in corpore & anima ei nocendo.

*2do. actus Virtutum Theologicarum.*

*3tio. condonatio & deprecatio offēsarum.*

*Punctum 2dum.* 4to. oravit ad Patrem: *Deus Deus meus vt quid me dereliquisti.* hoc est: ad quid me dereliquisti, & persequentium furori exposuisti, nisi vt membra mea, servos meos pro quibus patior non derelinquas, sed eos à persequentibus pro-

*4to. Invocatio adiutorij divini.*

tegas. Imitare & ora Patrem æternum vt te protegat in hora mortis tuæ. Dic: *Deus Deus meus ne derelinquas me. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. O Domine libera animam meam.* 5to. Matrem suam Ioanni, & in persona Ioannis nobis omnibus pro Matre dedit. vult ergo vt eam oremus quatenus nobis tanquam Mater assistat. Quare dic: *Monstra te esse Matrem, &c. Maria Mater gratiæ, &c. Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.* Invoca etiam S. Angelum custodem & SS. Patronos vt tibi periclitanti assistant. 6to, sitim gloriæ divinæ & salutis humanæ expressit: & similem sitim in te excitare voluit. Tu ergo pariter sitim tuam ac desiderium ad Deum contestare: *Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus!*

*5to. Invocatio Matris divinæ & S. Angeli custodis ac Patronorum.*

*6to. sitis ad Deum.*

*Punctum 3tium.* 7mo. Spiritum suum in manus Patris commendavit docens quòd illi à quo conditi sumus, & qui est principium ac finis noster, spiritum nostrum offerre & humiliter commendare debeamus. Fac itaq; similiter & dic: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Adiunge gratiarum actionem: Benedictus sis, pro

*7mo. commendatio animæ in manus Dei.*

pro omnibus beneficijs, quæ tota vita omnibus annis, mensibus, diebus, horis, & momentis, quo ad animam & corpus accepi: & quæ per totam æternitatem vt spero in misericordia tua, & meritis IESU Christi filij tui accipiam. Offero ergo tibi animam meam, corpus meum, spiritum meum: offero me totum; & offero per ipsum IESUM Christum & cum ipso IESU Christo filio dilectionis tuæ; vt per ipsum ad te redeam, per quem à te, cooperante Spiritu Sancto creatus sum: Qui tecum vivit & regnat in vnitate eiusdem Spiritûs S. Deus in sæcula sæculorum Am̄.

*8vo. Lectio vel auditio passionis Dominicæ.*

Si tempus & vires patientur, lectio vel auditio passionis Domini adiungatur. Demum cum frequenti Nominis IESU invocatione memento promissionis qua Christus promisit relinquentibus mundum, vitam æternam.

*Vltimo memoria passionis Christi & indulgentiæ plenariæ. Cerei accenso.*

Memento item Indulgentiæ plenariæ pro articulo mortis: & pro ea consequenda absolutionem pete: & expecta cum cereo accenso adventum sponsi.

## PRO DIE SABBATI.

### *Virgo Beatissima propitia servis suis in hora mortis.*

Punctum imum. *In me omnis spes vitæ.* Beatissimæ Virgini hæc verba attri-

buuntur ab Ecclesia. Vita præsens, mors est potius dicenda quàm vita: vita autem æterna veré & simpliciter vita dici debet. Huius vitæ spes est postChristum in Virgine Beatissima. Considera 1mo. mortem esse transitum ad hanc vitam. Considera 2do. diabolum vel maximè in morte insidiari hominibus, vt eos impediat ab ingressu ad beatam vitam. Considera 3tio Virginem Beatissimam spem nostram apparere hominibus morti propinquis; vt eos tuetur ab hostibus malignis, & introducat ad vitam æternam. Hinc Virgo superbenedicta vocatur à S. Ephrē. *Auxiliatrix in extremo vitæ periculo animas conservans, & tenebrosos atq; horrendos pessimorum dæmonum aspectus procul repellens. Appare & mihi o solatium humani generis.*

*Grieskircher in histor: Thallensi.*

*Punctum 2dum.* Revolve mente apparitiones Matris Dei factas moribundis, quas legisti vel audisti: vnam adduco. In Thall Fratri Ioanni victori agonisanti apparuit diabolus ex adverso lectuli. 1mo. in specie gigantis terribilis: 2do in specie draconis hiantis & ignem vomentis: 3tio. in specie bilancis grandis pendulæ. Pepulit dæmonem cum suis terriculamentis Mater Dei apparens infirmo: quam ille digito monstrans, & *pulchra Domina, ingemi-*

gemi-

geminans, in gaudio incredibili exſpira-vit. In Monaſterio Rhemetenſi quoties aliquis infirmorum moriturus eſſet, campanula penes miraculoſam Marianam ſtatuam in pariete pendens, nemine trahente movebatur, & longiſculum ſonum edebat fratres convocans ad auxilium ægroti. Mariæ opus hoc erat migranti è corpore animæ non per ſe ſolùm ſed & per contubernales ſuccurrentis. *Verum hanc Matrem dixerimus* ait Eggerer *filios ſuos in extrema necesſitate haud deſerentem. Dulcis parens clementiæ! tu nos ab hoſte protege & mortis hora ſuſcipe.*

*Eggerer in historia Rhemetēſi*

*Punctum 3tium.* Meditare quid faciendum ſit, vt te apparitione ſuâ dignari velit in hora mortis tuæ Mater Divina. Ipſamet apud Ludovicum Bloſium teſtatur: *Ego omnibus qui mihi piè deſerviunt volo fidelisſimè in morte tanquam Mater adeſſe, eoſq; protegere & conſolari.* Et S. Mechtildi precanti vt ſibi in morte adeſſe vellet faciam inquit, ſed tu quotidie tria *Ave Maria* ores. 1mum. vt per potentiam mihi à Patre æterno in cælo & terra conceſſam pellam à te in hora mortis omnem contrariam poteſtatem. 2dum. vt per ſapientiam & abundantiſſimam luminis gloriæ claritatem mihi à filio Dei collatam, per quam omnes Sanctos ſupero in cogni-

tione ac fruitione Sanctissimæ Trinitatis & cælum vniversum illumino, assistam tibi irradians te, ne fides tua aliquo errore tentetur. 3tium. vt per svavitatem mihi à Spiritu S. plenè infusam per quam post Dominum fui, sumq; dulcissima & benignissima; adsim tibi infundens animæ tuæ suavitatem, per quam omnis pæna, & amaritudo mortis fit tibi præsuavis. Fac & tu similiter: pie deservi Beatissimæ Matri: ora ad ipsam vt edoctus es. Monstra te esse filium eius in vita, vt ipsa in morte tua monstret se Matrem tuam. Ora etiam nunc ad clementissimam Dominam secundum exemplar quod tibi monstratum est: & propone singulis diebus sic orare.

Observa. *Si plures quã 24. fuerint Dominicæ post Pentecosten, sumentur pro illis Meditationes secundum cursum & tenorem Evangeliorũ ex via illuminativa post octavã Epiphaniæ.*

---

# MEDITATIONES

## Ad timorem Domini excitantes.

## PRO DOMINI: XXIV. post Pent.

*De signis Iudicium & mortem præcedentibus: & cur Christus prædixit perituri mundi præcurrentia mala?*

Pun-

Punctum 1mum. Homo alterius hominis brevi morituri signa potest nosse, eiusq; imminentem mortem prædicere: at perituri mundi signa solus Deus novit; quæ etiam palam fecit in Evangelio hodierno. Signa autem ista sunt: 1mum abominatio desolationis stans in loco sancto. 2dum, persecutio & tribulatio qualis non fuit ab initio mundi. 3tium, seductio hominum per falsas doctrinas & falsa miracula pseudoprophetarum, & pseudochristorum. 4tum, defectio luminarium cæli. 5tum, apparitio crucis in cælo. Expende ijsdem signis præveniri mortem microcosmi.

*Signa antecedentia iudiij.*

Abominatio desolationis erit, esseq; solet in homine morti vicino, hoc est: horror & abominatio vitæ otiosè negligenter & malè in loco sancto, in Religione, in Ecclesia Dei transactæ; ex qua negligentia secuta est in anima solitudo virtutum; vrticæ autem & monstra vitiorum animam occuparunt. Tribulationem & angustiam patietur homo supra omnes vitæ suæ angustias. Dubitationes de fide, & falsa dogmata atq; errores obtrudet diabolus. Luminaria oculorum deficient. Ultimò Christus in cruce ex sententia quorumdam apparebit. Quæ tunc mens homini erit? Ora vt tibi Christus appareat in salvationem.

*Eadem signa mortem cuiusvis hominis præcedunt.*

*Pun-*

*Punctum 2dum.* Quare Christus prædicere voluit pereuntis mundi mala? Ratio 1ma est vt nos ab eius amore compescat. 2da vt si Deum metuere in tranquillitate nolumus, saltem vicinum eius iudicium vel persecutionibus attriti timeamus. 3tia. vt eo minus perturbent venientia, quo certius fuerint præscita. 4tã. vt discant homines qualiter se in medijs illis malis gerere debeant, hoc est: vt fugiant ad montes spei & fiduciæ in Dei misericordia: in domo Ecclesiæ maneant: vt firmiter in fide & doctrina Christi persistant: vt à corpore eius non permittant se segregari. Gratias age Christo pro hac denuntiatione malorum, quam fecit ex amore tui. Ora vt tibi det fiduciam in aduersis, constantiam quoq; ac fortitudinẽ, ne te vlla mala à Christo separent.

Exercitium: *Timor Domini.* Tesseræ per septimanam crebro repetendæ:

*Quis non timebit te o Rex gentium, qui potes & animam & corpus perdere, & mittere in gehennam?*

*Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.*

*Magna sunt iudicia tua Domine Deus meus, iudex iuste & fortis, qui iudicas æquitatem: quæ cum considero contremiscunt omnia ossa mea.* S. August.

PRO

## PRO FERIA II

### *De natura & necessitate timoris Domini.*

*Triplex timor Dni.*

PUnctum imum. Timor est motus appetitûs sensitivi refugiens malum futurum arduum. Considea imo. timorem Domini esse triplicem: Servilem, Initialem, Filialem qui etiam dicitur castus & reverentialis. Timor filialis refugit malum culpæ. Timor servilis refugit malũ pænæ. Timor initialis refugit vtrumq;, dic tur autem Initialis, eò quod competat statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor ex charitate non tamen est perfectè filialis. Timor mundanus sive humanus non est timor Domini, sed tyranni: semperq; est malus: quia propter pænam, quam metuit recedit à Deo. Introspice te & examina an & qui timor Domini in te maneat? Protestare coram Angelis, & Sanctis omnibus quod nolis recedere á Deo in quibuscunq, tandem tyrannorum minis pete fortitudinem cum alijs donis Spiritûs S.

*Timor mũdanus nõ est timor Dni sed tyranni*

*Punctum 2dum.* Expende necessitatem timoris Domini. 1mo. quia præcipitur à Deo Deut: 10. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum.* 2do. quia *Timor Domini*

*mini est initium sapientiæ.* Psal: 110. Vbi sapientia sumitur non solum vt est cognoscitiva Dei, sed etiam vt est directiva humanæ vitæ; talis autem sapientiæ, timor servilis est initium dispositivè filialis, effectivè. 3tio quia sicut spes præmiorum, ita & timor pænarum inducit ad observantiam præceptorum. 4to quia sicut spes excludit desperationem ita timor præsumptionem. 5to quia vt ait S. Thomas, timor Dei comparatur ad totam vitam humanam sapientiâ Dei regulatam, sicut radix ad arborem. Unde dicitur Eccl. 1. *Radix sapientiæ est timere Dominum: & rami illius longævi.*

*Timor Dñi quomodo initium sapientiæ.*

*Timor cũ spe cõferetur.*

*Timor præsumptionẽ excludit.*

Pete a Deo donum sapientiæ & timoris Domini.

## PRO FERIA III.

### *De inductivis ad timorem Domini.*

PUnctum imum. *Timete Dominum omnes Sancti eius.* Ad timorem Domini concipiendum vel augendum Considera opera iustitiæ Divinæ in scripturis posita, quæ sunt: damnatio Luciferi cum Angelis, pænæ primorum Parentum, vniversale diluvium, Sodomitarum aliorumq, malorum hominum horrenda perditio, propter varia & præcipuè ad cælum clamantia peccata. quæ sunt 4. Homicidium

dium, oppreſſio pauperum, merces operariorum defraudata, vitium carnis contra naturam. *Mors, ſanguis, contentio & romphea, oppreſſiones, fames, & contritio & flagella: ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia & propter illos factus eſt cataclyſmus.* Eccl: 40.

*Punctum 2dum.* Conſidera item opera iuſtitiæ divinæ extra ſcripturas: 1mum. eſt permiſſio tam crebra peccati in mundo. Percurre mente loca varia publica: recogita quot quantavè peccata in ijs patrentur. Redi in te ipſum, & examina te quoties & quam graviter peccaſti. Time quia peccaſti. Ora ne amplius pecces. 2dum eſt permiſſio peccati etiam in ijs, qui diu ſanctè vixerunt. 3tium. eſt paucitas ſalvandorum: *Multi* enim *vocati pauci* electi. O quale ex hoc vltimo, timoris motivum! Verè iudicia Dei abyſſus multa Teſſera vt ſupra.

## PRO FERIA IV.

### *Serviendum Domino in timore & exultatione.*

P*Unctum 1mum. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Servitium noſtrum quod Domino impendimus debet eſſe temperatum ex timore & exultatione. Timere debemus quia neſcimus

ſcimus an ſimus de numero electorum : exultare, quia ſperamus in miſericordia Dei nos per merita Chriſti ſalvandos eſſe. Incertitudo electionis facit timorem : ſpes facit exultationem. Conſidera 1mo. quia ſpes divina nunquam confundit, ideoq; parit exultationem. Conſidera 2do. quòd ſicut ſpes debet eſſe ordinata, ne in præſumptionem vergat: ita & timor ne in puſillanimitatem tranſeat. Conſidera 3tio timorem filialem componi cum ſpe & exultatione, eumq; creſcere creſcente ſpe. Nam quanto aliquis certius expectat conſecutionem boni alicuius per auxilium alterius, tanto magis veretur eum offendere vel ab eo ſeparari. E contra timor ſervilis opponitur ſpei, & eo creſcente ſpes ac exultatio minuitur. Ora ut det tibi Dominus timorem filialem qui cordis lætitiam non excludat, ſed inducat & augeat; vt poſſis Domino ſervire cum timore & ſimul cum cordis jubilo.

*Incertitudo electionis noſtræ facit timorem : ſpes exultationem.*

*Timor filialis creſcit ſpe & exultatione creſcente.*

*è cõtra ſervilis.*

## PRO FERIA V.

### *De puſillanimitate.*

*Matth. 24*

P*Unctum vnicum. Propter Electos breviabuntur dies illi.* O gaudium! o conſolatio! Poſtquam prædixit Chriſtus Dominus mala prævenientia finem mundi, ſtatim

ſtatim adiunxit brevem eſſe futuram durationem horum malorum: idq; propter electos. Quare autem? 1mo. vt oſtenderet in quo amore & honore ſint electi apud Deum. 2do. vt ſciremus brevem eſſe preſſuram malorum quouſq; electi inter eos ſunt: æternam verò; poſt quam illi ſegregati fuerint ad dexteram Iudicis. 3tio. vt nos á puſillanimitate & omni inordinatione timoris avocaret. Puſſilanimitas porrò eſt quædam parvitas animi per quam quis recuſat in id tendere, quod eſt potentiæ ſuæ commenſuratum. Vel: eſt timor deficiendi in his quæ quis falsò æſtimat excedere ſuam facultatem. Qui ſanas contritos corde & alligas contritiones eorum: libera me à timore vano. Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum vt ſalvum me facias.

*Cauſæ ob quas prædixit Chriſtus abbreviãdos dies illos in gratiã electorum?*

*Puſillanimitas quid?*

*Punctum 2dum.* Expende gravitatem & nocivitatem ipſius. Nam 1mo. ſervus qui acceptam pecuniam Domini ſui fodit in terra, nec eſt operatus ex ea propter puſillanimitatem, durè increpatur & punitur à Domino. Matth: 25 & Lucæ 19. 2dò. puſillanimitas eſt gravius peccatum quàm præſumptio: quia per ipſam recedit homo à bonis quod eſt peſſimum. 3tio quia homo in triſtititijs & puſillanimitate poſitus

*Mala puſillanimitatis.*

*Puſillanimitas gravior quã præſũptio.*

*Eadē ad desperatione ducit.*

situs, facile in desperationem labitur sicut in delectationibus existens efficitur maioris spei. 4to. quia pusillanimitas impedit contemplationem, & sanctas cogitationes: impedit actus internos & externos virtutum variarum. Nam homo affectus aliqua passione, ea præcipuè cogitat, quæ spectant ad illam passionem: vnde in tristitijs constitutus non de facili aliqua magna & iucunda cogitat, sed solum tristia nisi se per vim abstrahat à tristibus cogitandis. Similiter ergo affectus aliquis timore, non nisi phantasias meticulosas in mente volvit. Elice actus spei & fiduciæ: detestare pusillanimitatem. dic cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Ora vt sis de numero electorum.

*Impedit Cōteplationem.*

*Causæ mortis Christi in Cruce.*

## PRO FERIA VI.

### *Cur Christus in cruce pati & mori voluit.*

*Punctum imum. Tunc parebit signum filij hominis.* Matth: 24. Non tantum signum crucis parebit, sed & causæ cur in cruce pati voluerit? Quarum 1ma. est exemplum virtutis: vt videlicet non metueremus genus mortis etiam maximè execra-

*1ma. Exēp'ū nostrū 2da. victoria diaboli in ligno.*

xecrabile & formidabile. 2da. vt diabolus qui in ligno vincebat in ligno quoq; per Christum vinceretur. 3tia. vt Christus sanctificaret aërem pendendo in eo, qui sanctificaverat terram & mare ambulando in eis. 4ta. vt ascensum nobis pararet ad cælum per crucem, velut per scalam. 5ta. quia hoc genus mortis competit vniversali salvationi totius mundi. Nam figura crucis à medio tactu in quatuor extremitates partita, significat virtutem & providentiam eius, qui in ea pependit, vbiq; diffusam. 6ta. vt Christus in cruce expansis manibus moriens altera manu veterem populum, alterâ eos qui ex gentibus, sunt traheret.

*3tia. Sanctificat io aeris. 4ta. ascensus noster ad cælum 5ta. qvia crux totũ mũdũ in se exprimit. 6ta. vt expansis manibꝰ Christus utrũq; populum attraheret.*

*Punctum 2dum.* 7ma. ratio quia hoc genus mortis diversas designat virtutes: *Non frustra*, ait Augustinus, tale genus mortis Christus elegit: vt altitudinis & latitudinis, & longitudinis & profunditatis de quibus Apostolus loquitur, Magister existeret. Nam latitudo quæ est in eo ligno quod transuersum desuper figitur, ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus: longitudo longanimitati & perseverantiæ tribuitur: altitudo quæ est in ea parte, quæ á transverso ligno sursum tendit, significat spem supernorũ illud demum quod in terra fixum occul-

*7ma. quia crux varias virtutes significat.*

tatur, profunditatem denotat gratuitæ gratiæ. Verè *lignum in quo fixa fuere membra patientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis*. 3va. est quia genus hoc mortis plurimis figuris respondet. Ediluvio genus humanum arca lignea liberavit. Moyses expansis manibus penes virgam oravit. Lex Dei in arca lignea inclusa: per quæ omnia ad lignum crucis quasi per quosdam gradus venitur. Gratias age Christo quòd tale genus mortis elegerit. Venerare ubiq, crucem propter tanta mysteria.

*3va. Figuræ crucis in veteri testamēto*

## PRO DIE SABBATI.

### *Christus quia se humiliavit exaltatus.*

PUnctum imum. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & miestate.* Quia Christus in passione humiliavit se infra suam dignitatem præcipuè quantum ad quatuor: ideò per suam passionem meruit exaltatari potissimum quantum ad quatuor. Hæc autem sunt in quibus se humiliavit Christus. 1mo in passionem & mortem tradidit semetipsum cui non erat obligatus. 2do. In sepulchro corpus suum poni voluit & animam

animam in inferno. 3tio. Confusionem & opprobria sustinuit. 4to. Humano tribunali se subiecit cui non subiacebat, secundum quod ipsemet dixit Pilato: *Non haberes potestatem in me, nisi tibi datum eßet desuper.*

*Punctum 2dum.* Expende quæ meruit per hanc humiliationem sui. 1mo resurrectionem gloriosã. 2do. ascensionem in cælum. 3tio. consessum in dextera Patris & manifestationem suæ divinitatis. 4to. judiciariam potestatem iuxta illud Job 30. *Causa tua quasi impij iudicata est: causam judiciumq; recipies.* Resurrectio morti; ascensio descensui ad sepulchrum & inferos: consessus à dextris Dei & manifestatio gloriæ suæ, confusioni: judiciaria potestas subiectioni potestati judicis terreni retributa. Expende hic quod judiciaria potestas Christo competebat & propter capitis dignitatem (quia nimirum Christus est caput omnium hominum & Angelorum) & propter plenitudinẽ gratiæ habitualis: tamen insuper obtinuit ipsam ex merito passionis secundùm illud *Ego vici, & sedi in throno Patris mei.* Apoc: 3. Per thronum autem intelligitur iudiciaria potestas. Stude & tu humiliari, vt merearis exaltari. Ora Christum vt Maiestas eius judiciaria fiat tibi amabilis &

*Christus Dominus meruit sibi judiciariã potestatem*

ſalutaris. Ora & martem eius cum S. Joanne Chryſoſtomo: Eccleſiæ noſtræ decus gloria & firmamentum, aſſiduè pro nobis precare JESVM Filium tuum & Dominum noſtrum vt per te miſericordiam invenire in die judicij poſſimus:

*Finis Meditationum totius Anni.*

MEDI-

# MEDITATIONES PRO FESTIS.

## PRO FESTO ASSUMPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Præludium 1mum. imaginare te videre Virginem inter choros Angelorum & Sanctorum ascendentem.

Præludium 2dum. Pete gratiam fructuose meditandi.

PUnctum 1mum. Expende gaudium ineffabile Matris divinæ, quod habuit ex primo intuitu inaccessibilis claritatis divinæ, in qua velut in speculo lucidissimo cognovit æternum Dei erga seipsam amorem, æternamq; sui in Matrem Verbi electionem. Expende item gaudium quod habuit ex dulcissima salutatione Filij sui, qui eam salutavit & excepit secundum magnitudinem Omnipotentiæ suæ, secundum artificium sapientiæ suæ, & secundum immensitatem sui delicati amoris. Gratulare Matri Virgini gaudia hæc. Saluta tu quoq; eam, & adora in throno sidereo considentem.

*Punctum 2dum.* Expende 3tio gaudium quod Virgo Beatissima habuit in assumptione sua, dum anima eius à SS. Trinitate prædulce osculum accepit in quo divi-

*Ex lib: Gratiarum S. Mechtildis Gaudium Virginis Assumptæ 1mo. ex intuitu claritatis divinæ. 2do. ex Salutatione Filij sui. 3tio. ex osculo animæ suæ à SS. Trinitate impresso.*

*4to. ex abundantia amorisquo anima sua fuit ipleta*

divinæ dulcedinis gustum tam affluentem habuit, vt ex redundantia eius mellifluí facti sint cæli. Expende 4to. gaudium eius quod habuit ex plenitudine amoris, quo inquantum possibile est creaturæ capere, anima ipsius impleta; corq; liquefactum in tantum, vt Sanctorum multitudo ex eius ardore, novo quodam fervore incanduerit. Expende 5to gaudium quod habuit ex splendore divino totum corpus ipsius penetrante & illustrante, ita vt cælum à gloria eius illustraretur & illustretur. Age gratias Deo pro collata Virgini tanta gloria tantisq; gaudijs. Gratulare Virgini Matri: precare vt ex redundantia gaudiorum ipsius tu quoq; implearis. Tesseræ per octiduum vsurpandæ:

*5to. ex gloria & splédore corporis.*

*O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria: illos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

*Dignare me laudare te Virgo sacrata.*

*O Maria flos Virginum velut rosa vel lilium: funde preces ad Filium pro salute fidelium.*

## Pro Die II. Infra Octavam.

PUnctum imū. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es vniversas.* Prov: 31. Per filias non solùm intelligitur sexus muliebris sed & masculinus,

multi

Multi certè & multæ congregaverunt ſpirituales divitias virtutum, gratiarum & demum gloriæ cœleſtis: at ſola & vnica Virgo MARIA ſupergreſſa eſt vniverſas. Vniverſas non ſingillatim tantum, ſed etiam collectim acceptas; vt totam Eccleſiam militantem ac triumphantem meritis, virtutibus, gratijs, prærogativis, gradibus gloriæ ſuperet ſola atq; vnica Virgo MARIA.

*Punctum 2dum. Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob pſal:* 84. Quæ eſt terra iſta quam benedixit Dominus? Non terra hæc materialis, non humanum genus: quia & illa & hoc ſubiacet maledictioni divinæ. Terra hæc MARIA eſt. O verè ſuperbenedicta, quæ non ſpinas peccatorũ, non tribulos maledictionum, ſed JESUM Salvatorem noſtrum germinavit. Non ſolum benedixit eam Dominus, ſed & avertit captivitatem ab ea. Omnes nos captivi diaboli concipimur & naſcimur: hæc immunis fuit diabolicæ captivitatis. Omnium noſtrum corpora poſt mortem captiva & corrupta in pulvere terræ tenentur: ipſius corpus non permiſit Dominus videre corruptionem. Affectus & teſſeram vt ſupra adhibe.

PRO

## PRO DIE III.

PUnctum Unicum. *Ego Mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei.* Eccl: 24. Ipsa est quæ suis precibus imo & exemplo vitæ suæ generat in nobis tanquam fæcunda mater dilectionem pulchram quia castam: generat item in nobis timorem Dei sanctum & filialem qui in re idem est cum dilectione Dei: illa fidem & agnitionem ylteriorum divinorum: illa spem sanctam in nobis parit. O Mater pulcherrima pulchros hos fætus produc in anima mea. Ingenera pectori meo triadem virtutum Theologicarũ cum perpetuo timore Domini. O pulchra o serena, o jucunda, o dulcis Mater! sic peto sic desidero: da mihi, potes enim, pulchram dilectionem cum dono timoris Domini: da mihi fidem cum dono scientiæ intellectûs, consilij & sapientiæ divinæ: da mihi spem sanctam cum dono pietatis & fortitudinis. Potes inquam hæc præstare: Data enim est tibi à Filio potestas in cælo & in terra. Sicut Filio data à Patre. Tessera vt in festo.

## PRO DIE IV.

PUnctum 1mum. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* Eccl: 24. Gratia vitæ &

tæ & veritatis eſt gratia vitam & veritatem in ſe habens. Gratia mundi huius, gratia hominum, gratia bonorum tẽporalium non habet vitam in ſe manẽtem, nec vllum facit vivere: imò multos exanimat, vt tot loqvuntur experientiæ & hiſtoriæ. Non habet virtutem, quia fallax, quia fucata. promittit dulcedinem at replet amaritudine: promittit durare, at vix paret cum diſparet, vix allabitur cum dilabitur. Gratiæ porro ſpirituales, illuſtrationes intellectûs, motiones voluntatis, habitualis ſanctitas, virtutes omnes & quæcunq; chariſmata Spiritûs Sancti, vitæ & veritatis gratiæ ſunt; quia vitales, à vita ſcilicet procedentes, & vitam conferentes; quia veræ & ſolidæ; quia hominem ad perfectam ſatietatem & beatitudinem diſponentes. Hæ omnes in Beatiſſima Virgine reperiũtur; quia gratiâ plena ſalutata eſt ab Angelo; & quia vt ait S. Bernardus, *cæteris Sanctis per partes, MARIÆ autem tota ſe infudit plenitudo gratiarum.*

*Punctum 2dum. In me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Eccl. 24. Potentia & bonitas ſpem procreant. Potentia & bonitas MARIÆ in cauſa eſt quod ſpem noſtram poſt Chriſtum in ea collocare debeamus. Poteſt enim nobis vitam & virtutem o-

mnem

mnem impetrare: insuper vult, quia bona, quia misericors, quia clemens est.

O spes & fiducia nostra! mortui sumus, da vitam nobis. Aruit virtus nostra, restitue illam. Vita dulcedo & spes nostra, salve & salva nos. Tessera vt in festo.

## Pro die V.

PUnctum imum. *Ego quasi aquæductus exivi de paradiso.* Eccl: 24. Aquæ ductus suppeditat aquas hortis, & quibusvis locis irrigandis, & cuicunq; vsui humano. Aquæductus mysticus, MARIA est: aquæ, gratiæ & dona divina sunt: hæc per MARIAM ad nos velut per quendam aureum quia purissimum canalem derivantur. Quid magis necessarium vitæ vsuiq; humano quàm gratia Dei? sine hac nihil possumus ad salutem provt oportet, operari. Vis aquam hanc salientem in vitam æternam haurire? accede ad aquæductum: accede per orationem, per humilitatem, per devota suspiria.

*Punctum 2dum.* Paradisus est hortus seu locus deliciarum. Intelligitur per eum essentia divina, in qua nimirum omnium deliciarum ubertas concluditur. Ex hoc paradiso exivit per æternam electionem MARIA: ex hoc omne datum & omne donum divinum per MARIAM

velut

velut aquæductum ad nos defluit. Hinc discis quòd Deus totum nos ex meritis Christi habere voluit per precesMARIÆ.

Heu me totus squaleo, totus aridus infructuosus sum! Plane lignum siccum, nullum spiritualis vitæ succum habens maneo ideoq; in ignem æternum projiciendum, nisi o clemens, o pia, o dulcis succurras Virgo MARIA.

*Colloquiũ*

O Aquæductus! aperi mihi venam aquarum vitalium: refrigera me calentem concupiscentijs: irriga me arentem ad divina: recrea languentem: excita & resuscita sensibus spiritualibus destitutum: vivifica me: corrobora me: refice me in vitam æternam!

## Pro die VI.

PUnctum unum. *Astitit Regina á dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Psal. 44. Standi situs ad auxiliandum & intercedendum accomodatus est. Dicitur ergo astitisse à dextris Filij sui Virgo Beatissima, vt per hoc demonstretur, quod *ideo translata sit in cælum* cum anima & corpore vt *pro nobis fiducialiter intercedat*. Regina cæli, Regina terræ, Regina vocatur, quia vere est Regina omnium Creaturarum. Dextera præcedentiam honoris significat. A dextris ergo astitit, quia omnes ordines

*In secreta orat: vigiliæ Aßumptionis.*

dines Angelorum & beatorum præceſſit. In veſtitu deaurato luminis gloriæ, circumdata varietate prærogativarum, titulorum, adorearũ apparuit in cælo. O Regina idcirco aſtitiſti à dextris Filij tui vt ſuccurras: ergo ſuccurre miſeris. Sub tuum præſidium confugimus, ne deſpicias deprecationes noſtras.

*Turrium triplex neceßitas.*

*Punctum 2dum. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Cantic: 4. Turres in vrbibus ac fortalitijs ſolent eſſe ad munitionem, ad ornatum, ad doctrinam: de duobus primis clarum eſt, de tertio non dubium. Docent enim turres præcipuè lampadibus de nocte coruſcantes quam viam viator tenere debeat. Virgo beatiſſima in Eccleſia ad munitionem eſt, quia ipſam in omnibus malis tutatur: vnde etiam terribilis hoſtibus noſtris dicitur velut caſtrorum acies ordinata. eſt ad ornatum: quia ipſa eſt gloria Hieruſalem cæleſtis & terreſtris, ipſa honorificentia populi noſtri, ipſa decus noſtrum. eſt ad doctrinam: quocirca in hebræo textu legitur. *Collum tuum ſicut turris David quæ ædificata eſt ad Talphiot.* id eſt ad doctrinam ſeu documenta, eò quod Virgo Beatiſſima doceat nos viam rectam ſalutis, doceat virtutes, doceat mandatorum & conſiliorum obſervan-

*Pannoniꝰ inCantica*

tiam

tiam. O Collum Ecclesiæ Christo Domino capiti nostro proximè cohærens. O turris David esto semper præsidium meum, decus meum, institutio mea: tu defende, tu orna, tu doce.

## Pro die VII.

*Punctum 1mum. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant: 4. Pulchritudo corporalis consistit in claritate & membrorum convenientia seu proportione. Si quis enim cæcus sit esto alioqui insignem habeat symmetriam corporis, pulcher non erit. Similiter pulchritudo spiritualis fundatur in lumine rationis & convenientia actionum motuumq; omnium cum eodem lumine. Virgo Beatissima limpidissimum & clarissimum habuit supra omnes homines lumen rationis. Lumen item supernaturale vberrimum ex dono intellectûs. Omnes quoq; actiones, motus gestusq; cum hoc vtroq; lumine summè erant in ea proportionati. Igitur pulcherrimam fuisse pulchritudine spirituali necesse est, vt taceam de pulchritudine corporali.

*Pulchritudo corporalis consistit in duobus.*

*Similiter & spiritualis.*

*Punctum 2dum.* Amica Dei dicitur Virgo ob plenitudinem charitatis & benevolentiæ quæ erat in Virgine erga Deum & vicissim in Deo erga Virginem. Mutua

commu-

communicatio bonorum inter amicos: hæc in tantum processit inter Mariam & Deum, vt MARIA quidem carnis suæ substantiam Filio Dei: hic autem se gloriamq; suam Mariæ communicaverit.

*Punctum 3tium. Macula non est in te.* nec macula originalis, nec macula personalis nec mortalis, nec venialis in Virgine. Tota igitur pulchra. O cæli terræq; pulchritudo, me sordibus vndequaq; inquinatum ne despice! tu tota pulchra es; ego totus spurcissimus. valet tamen pulchritudo tua spurcitiem meam abstergere. Ergo fac pijssima: concilia mihi apud dilectum filium convenientiam morum cum lumine rationis: impetra donorum Spiritus S. abundantiam: impetra puritatem mentis & corporis. O clemens, o pia, o dulcis Virgo MARIA!

## Pro die VIII.

P*Unctum 1mum. Sexaginta sunt Reginæ; octoaginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea.* Cant: 6. Per Reginas intelliguntur animæ iustæ: per concubinas animæ pænitentes: per adolescentulas animæ infantium baptisatorum. Has omnes superat Virgo Beatissima iustas perfectione, pænitentes mortificatione, infantes innocentiâ. Una est inter omnes quæ maxime

ximè Deo placet; vna dilecta; vna perfecta. Columba vocatur quia mansuetissima quia innocentissima. O columba, o perfecta, o Virgo Deo dilectissima! Tibi serviunt iusti, tibi pœnitentes, tibi innocentes. Non sum quidem de numero iustorum & Sanctorum, in quorum plenitudine detentio tua: non sum de innocentibus; saltem fac me tuis sacris precibus pœnitentem & pœnitentem finaliter; nec vnquam amplius relabi permitte. Enim vero *tu peccatores non abhorres sine quibus nunquam fores tanto clara filio.*

*Punctū 2dum. Benedicta tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui.* Benedicta tu inter mulieres, hoc est præ omnibus mulieribus; quia sola omnibus benedictionibus divinis repleta vsq; ad refusionem in alios homines. Nec solùm præ mulieribus, sed etiam præ viris omnibus benedicta. Dicitur tamen inter mulieres benedicta respectivè ob privilegium maternitatis divinæ, quod nulli præter Mariam datum est. *Et Benedictus fructus ventris tui.* hoc est ideo tu benedicta quia benedictus, fructus ventris tui, qui tibi omnem benedictionem largitus. Ex fructu arbor agnoscitur: cogita qualis Maria, cuius talis filius. Cogita quâ gloria in cælis ista Virgo colitur, cuius filius tanquam Rex glo-

riæ, Dominus virtutum, triumphator inferorum ſedens ad dexteram Patris in cælo adoratur.

*Colloquium.* O MARIA! o benedicta! o ſuper benedicta! o quæ beata ab omnibus generationibus prædicaris: Magnificat anima mea Dominum & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia fecit tibi magna qui potens eſt. Benedictus Deus! benedictus fructus tui, quia fecit tibi magna! magna, o vere magna! magna in natura, magna in gratia, magna in gloria. Rogo te pijſſima, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. Teſſera ex feſto accipienda.

## Pro alijs Feſtis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, vt. pro Feſto: NATIVITAIS, VISITATIONIS, PVRIFICATIONIS, &c. ſuis locis videndæ Meditationes.

***Pro Feſtis Inventionis & Exaltationis S. Crucis ex Feria 6ta Dominica vltimæ poſt Pentecoſten.***

## Pro Feſto S. PAULI Primi Eremitæ.

***Meditatio de Vita eiuſdem Sancti.***

Præludium 1mum. Conſtitue te per vivam

vam fidem coram Deo ante quem procumbunt plurimi Sancti mittentes coronas suas & dicentes: *Benedictio, & gratiarum actio, Deo nostro in sæcula sæculorum.* Atq; inter hos in Sanctum Paulum Primum Eremitam, de quo meditaturus es, peculiariter mentis oculos conijce.

Præludium 2dum. Efflagita gratiam cognoscendi, quot quantisq; gratijs hic Sanctus præventus sit & quàm strenuè ijs cooperatus, quàm gloriosè coronatus.

PUnctum 1mum. Expende quomodo Dominus Deus Beatum Paulum, quē ab æterno in Primum Eremitam prædestinaverat, in tempore ad hunc statum ex gratia sua per mira & varia media duxerit. 1mo. mirabiliter ad fidem vocando. 2do. à gravibus peccatis præservando. 3tio sororium adversùs eundem exacerbari permittendo. 4to. aversionem à rebus mundanis menti eius imittendo. 5to. ad vitam Eremiticam, in qua non salvari tantum, sed insignem gloriæ coronam posset promereri suaviter efficaciterq; trahendo. Similem Dei bonitatem in tui vocatione, hucusq; conservatione cole & admirare.

*Quibus gratijs præventus S. Paulus.*

*Punctum 2dum.* Expende quàm graviter S. Paulus oblatis sibi tantis gratijs cooperatus fuerit. 1mo. Angelicam mentis & corporis puritatem conservando. 2do.

*Quomodo ipsis cooperatus.*

à mundo totaliter se abstrahendo. 3tio. solus cum solo Deo in Eremo vivendo. 4to. corpus inedijs, vigilijs, humi cubationibus, labore manuum, frigore, asperitate vestis palmaris, quæ vti credibile est illum cruentabat, & alijs macerationibus mortificando. 5to. veræ devotionis & divinæ contemplationis exercitijs avidissimè inhiando, & constantissimè vacando. Has virtutes in Patre tuo tu suspice: & si non vis degener esse filius, imitari satage.

*Quam copiosè præmiatus. in vita.*

*Punctum 3tium.* Expende quàm superabundè Deus pios labores Sancti Patris remuneravit in vita: 1mo. eripiendo eum ex insidijs persecutorum. 2do. offerendo ei speluncam contemplationi propositoq; suo opportunã. 3tio. dactylis primùm deinde pane dimidio singulis diebus eum pascendo & palmæ spatalijs vestiendo. 4to. in tentationibus monstrosisq; dæmonum apparitionibus gratiâ speciali confortando. 5to. visitationes cælestes sæpiùs ei largiendo. 6to. spiritum propheticum & alias gratias gratis datas eidem tribuendo. In morte: svavissimè spiritum eius inter orandum ex corpore accipiendo; corpus exanime erectùm extensis manibus, acsi vivum esset conservando. Post mortem animam ipsius inter Prophetarum & Apostolorum cætus in cælum ministerio Angelico

*In morte.*

*Post mortem.*

gelico assumendo: corpus per leones non sine ingenti miraculo sepeliendo: famam Nominis eius per totum orbem divulgando: festum natalis eiusdem in militante Ecclesia constituendo: ordinem & templa sub titulo eius erigi faciendo: translationibus sumptuosis & solennibus ex Eremo Constantinopolim ab Emmanuele Cæsare, deinde Venetias, postremo Budam honorando: multa miracula ob invocationem eius sive ad sepulchrum, sive alibi, in quacunq; necessitate hominum patrando: insuper in cælo essentialis & accidentalis gloriæ præeminentijs, nec non extraordinariâ laureolâ tanquam primum Eremitam beatificando. His expensis gratulare Sancto. Ora eundem vt pro te intercessor existat. Propone imitari virtutes eius.

## Pro eodem Festo.

### *De perfectione virtutum eiusdem Sancti.*

PUnctum 1mum. Expende quas & in quam perfecto gradu virtutes habuerit S. Pater: 1mo. silentium: nihil non modo illiciti invtilis & otiosi extra tempus & locum, sed neo liciti & vtilis proferendo. 2do. jeiunium: nihil conditi nihil cocti comedendo, imo etiam crudis

cum parſimonia magna vtendo. 3tio. Paupertatem: nihil exquiſitum, nihil ſuperfluum affectando, ſed neq; commoda neceſſaria nimirum veſtem lectum habendo; omnia mundana vt ſtercora arbitrando. 4to. Orationem: in qua totos dies & noctes traducebat. 5to caſtitatem: conſortium, imò aſpectum toto vitæ tempore fæminarum, & in eis ſororis vterinæ fugiendo. 6to. contemplationem: ſoli Deo inſatiabili ſtudio vacando ſe ſeq; illi per affectus internos vniendo. Admiratio. Congratulatio. Imitatio.

*Punctum 2dum.* Expende quàm perfectè earundem virtutum actus operatus ſit. 1mo. non ex conſuetudine, ſed cùm crebra renovatione rectæ intentionis eos frequentando. 2do non pigrè ſed cum omnimoda virium mentis & corporis applicatione eoſdem exercendo. 3tio. conſtanter vſq; ad mortem eos continuando. Si cum ſimili perfectione tuos actus vel vnica ſeptimanâ perageres, quantum cumulum meritorum brevi haberes. Zelus imitãdi.

## Pro Feſto Sancti cuiuſcunq;
### *Meditatio de Sancto N.*

Præludia vt ſupra in vita Sancti PAULI Primi Eremitæ.

PUnctum 1mum. Conſidera immenſam grati-

gratiam Dei quam erga hunc Sanctum ostendit. 1mo. quia illum præ multis alijs ex gratuita misericordia prædestinando in suum elegit. 2do quia electum ad fidem & Baptisma vocavit. 3tio quia à multis tentationibus, peccatis, & periculis salutis liberavit. 4to. quia ad statum in quo non salvari tantum sed & insignem Sanctitatem consequi posset evexit. 5to. quia ei plurima salutis æternæ media svavia & efficacia cum perseverantiæ dono subministravit. His expensis recole & admirare quomodo & tibi indigno similem Deus gratiam præstitit, & vlterius paratus est præstare. Postea excita in te affectus congratulationis S. N. gratiarum actionis, laudis Dei, amoris, zeli cooperandi divinæ gratiæ.

*Punctum 2dum.* Considera quàm strenuè hic Sanctus acceptis naturæ & gratiæ donis vsus fuerit iam proficiendo in dies in triplici via perfectionis, iam seipsum perfectè abnegando, iam Christi Domini virtutes imitando, iam ardenti zelo laudem divinam & salutem proximorum promovendo. iam demum exercitio certarum virtutum insistendo: vt mortificationis, castitatis, humilitatis, misericordiæ, &c. quibus maximè claruit. His ponderatis examina teipsum, an & tu talium

insignia virtutum in te habeas. Postea Sancto de strenua cooperatione congratulare, Deo gratias age, de tua socordia erubesce, imitari statue, media elige, gratiam pete.

*Punctum 3tium.* Considera quàm copiosè Deus Sancti huius conatus, & labores præmiavit tam in hac quàm in altera vita: in hac quidẽ extraordinarijs gratijs, cælestibus solatijs & subsidijs, miraculis quoq; eum munerando; in altera verò inprimis nomen eius memoriâ celebri per vniversam militantem Ecclesiam clarificando, templa sub titulo eius ædificari, miracula ad sepulchrum & ad sacras eiusdem reliquias fieri faciendo: deinde in cælo essentialis & accidentalis gloriæ beatitudine eum cumulando, insuper extraordinarijs laureolis vel Virginum vel Martyrum, vel Doctorum exornando, præter peculiares corporis gloriosi dotes & gaudia, quæ resurrectioni reservantur. His expensis congratulare Sancto, excita spem desideriumq; similis gloriæ similibus medijs, quibus ille vsus promerendæ.

*Nimis honorificati sunt amici tui Deus & in terra. & in cælo.*

## PRO FESTO
### SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

*Angelus quid?*

PUnctum 1mum. Angelus (ex nominis significatione idem quod nuncius) est substan-

substantia creata intellectualis. Tres sunt Angelorum Hierarchiæ, seu sacri principatus. Quia verò Hierarchia est sacra aliqua multitudo, sub Principis vnius gubernatione: & quia multitudo non esset ordinata sed confusa, si distinctis non constaret ordinibus; ideo quævis Hierarchia Angelica habet diversos ordines, secundùm diversitatem officiorum & actuum, eosq; tres, scilicet supremorum, mediorum, infimorum spirituum, quæ etiam triplex diversitas in singulis datur ordinibus. Ex his tribus Hierarchijs & 9. ordinibus Angelorum, alij assistunt Deo, alij ministrant iuxta Danielem: *Millia milium ministrabant ei, & dec es millies centena millia assistebant ei.* Assistunt, qui præcepta & arcana Dei proximè percipivnt; & hoc modo soli primæ Hierarchiæ spiritus, quibus proprium est à Deo immediate illuminari, assistunt: cæteri omnes sunt administratorij spiritus: omnes tamen etiam ij qui in ministerium hominum mittuntur, assistunt Deo eatenus, quatenus visione eius beatificâ perfruuntur. Admirare & adora divinam providentiam, & sapientiam cælestes Spiritus miro ordine disponentem. Age gratias pro eorum creatione, & in ministerium hominum deputatione.

*Tres Hierarchiæ Angelicæ.*

*Hierarchiæ quid nominis? quid rei?*

*In singulis Hierarchijs tres ordines dantur.*

*In singulis ordinibus tres classes.*

*Angeli alij assistētes alij ministrātes.*

*Qua ratione omnes in vniversum Angeli assistūt Deo?*

*Punctum 2dum.* Expende proprietates

*Proprietates ordinum Angelicorum. Ordo Angelorum? est multitudo cælestium spirituũ qui inter se aliquo gratiæ munere sicut & naturaliũ datorum participatione conveniunt. Magister sententiarũ 2. dist. 9. §. 2.*

singulorum ordinum, quæ ex nominibus ipsorum nobis innotescunt. In prim Hierarchia sunt: Seraphim, Cherubim, Throni; quæ nomina Deum respiciunt solum. In secunda: Dominationes, Principatus, Potestates; & hæc nomina communem quandam gubernationem ac dispositionem denotant. In tertia: Virtutes Archangeli, Angeli. & hæc nomina significant operis seu ministerij exterioris executionem. Quantum ergo ex nominibus singulorum ordinum datur intelligi: Seraphim excellunt in ardore, erga Deum: Cherubim excellunt in cognitione Dei: Throni in cognitione quâ immediatè cognoscunt rationes divinorum operum; vocanturq; Throni per similitudinem ad materiales sedes, quia Deum in se ipsis suscipiunt, & eum quodammodo ad inferiores ferunt: Dominationes proponunt & præcipiunt ea quæ spectant ad divina mysteria; Domini enim est præcipere de agendis: Principatus bonis spiritibus principantur: Potestates malis: virtutes habent potestatem supra res corporales in operatione miraculorum: Archangeli nuntiant hominibus magna: Angeli parva. Affectus qui supra.

*Punctum 3tium.* Expende proprietates peculiares S. Michaelis Archangeli. 1ma

est

eᵖ, quia sicut ante fuit patronus, & tutor Synagogæ; ita nunc Ecclesiæ. 2da. quia moribundis fidelibus auxiliatur, & defunctorum animas repræsentat ante Thronum Dei; ac propterea vocatur Princeps super omnes animas suscipiendas in cælum. 3tia. quia quidquid mirabile evenit illius operationi attribuitur. 4to. Signifer Christi vocatur; quia signum filij hominis, crucem nimirum præferet ante Christum ad judicium vltimum procedentem. 5ta. quia zabulum hostem humani generis devicit prœliando cum ipso. 6ta. quia apud Danielem vocatur Princeps magnus & vnus de primis Principibus. O Princeps gloriosissime, Michael Archangele! O Præposite Paradisi cuius oratio perducit ad regna cælorum. O Dux prædestinatorum, assiste & attende mihi semper cum S. Angelo Custode meo, vt ita vivam, ita moriar, quò hæreditatem capiam salutis. Suscipe benignus migrantem hinc animam meam, & perduc eam in paradisum exultationis.

*S. Michael Archangelus. 1mo. Patronus Ecclesiæ. 2do auxiliator morientium. 3tio. Patrator mirabilium. 4to. Signifer Christi. 5to. Triūphator hostis nostri. 6to. Princeps magnus.*

## Meditatio pro Festo.

### *Sanctorum Angelorum Custodum.*

PUnctum 1mum. Considera 1mo. quod omnes Angeli solis agminibus primæ Hierarchiæ exceptis item Dominationibus,

*Qui Angeli mittuntur in ministerium hominum.*

bus, quæ *sunt quidem etiam inter ministrantes Angelos, non tamen sicut exequentes ministerium, sed sicut disponentes & mandantes quid per alios fieri debeat*: omnes inquam alij mittuntur in exterius ministerium. Considera 2do. quòd etiam inferiores Angeli exerceant officia superiorum inquantum aliquid de dono eorum participant, & inquantum sunt executores voluntatis superiorum atq; hoc pacto etiam Angeli infimi ordinis possunt & miracula facere, & dæmones arcere. Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino. Adorate eum omnes Angeli eius: adorate pro me etiam & supplete vices infirmitatis meæ.

*Punctum 2dum.* Expende quod singuli homines habeant singulos Angelos custodes. *Magna est* ( ait S. Hieron: in Math: ) *dignitas animarum, quod vna quæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Et quidem ex infimo ordine ad custodiam particularem singulorum hominum mittuntur: veri simile tamen est, quod maiores Angeli ad custodiam eorum hominum deputentur, qui sunt ad maiorem gradum gloriæ electi. Custodia verò vniversalis pertinet ad alios ordines. Supra humanam multitudinem habent custodiam Archangeli: supra

corpo-

corporeas omnes naturas habent custodiam virtutes: supra bonos Spiritus habent præsidentiam Principatus: supra dæmones, Potestates. Adora divinam sapientiam ineffabili modo ministeria Angelorum & hominum disponentem. Adora & glorifica providentiam Dei pulchro ordine inferiora per superiora in hoc vniverso regentem.

*Punctum 3tium.* Expende versiculum illum *Angelis suis Deus mandavit de te.* Qvis, quibus, de quo mandavit, *vt custodiant te in omnibus, viis tuis*, in omnibus operibus tuis. *Ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.* O immensus amor Dei! O providentia Dei infinita circa nos! Age gratias divinæ bonitati. Ora ad S. Angelos Custodes: *Sancti Angeli Custodes nostri defendite nos in prælio vt non pereamus in tremendo Dei judicio.* O Nobilissime, o Sanctissime Angele Cu[illegible]s protector, tutor, magister mihi assignate! gratias ago Deo meo, quòd te *m*ihi dederit, tibiq; de me mandaverit, gratias pro omnibus donis, quibus te ornavit: gratias ago & tibi quod me hucusq; rexeris & protexeris. Perge ita me custodire, illuminare, defendere, vt me immaculatum & absq; querela serves vsq; ad adventum Domini mei JESV Christi

eiq;

eiq; propitio me ad gloriam æternam præsentes.

## Pro Festo Sanctorum Omnium & sequentibus ad Octavam diebus accipiantur meditationes de gloria cælesti ex hebdomada Dominicæ intra Octavam Ascensionis Christi cum tessera.

*O si quando videbo gaudium meum quod desidero! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ ad quam suspiro! O si potab s me torrente voluptatis tuæ quam sitio!* Sanctus Augustinus.

## Pro festo Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

### Meditatio.

*Salvandi per ignem purgatorij gravissimum, quibus iuvantur modis?*

PUnctum 1mum. *Fundamentum aliud nemo potest ponere nisi quod positum est. Si quis superædificat supra fundamentum hoc, id est* IESUM *Christum, aurum, argentum, lapides pretiosos: ligna, fœnum, stipulam: vnius cuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit quia in igne revelabitur, uniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet.*

Si

*Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* 1. Corinth. 3. Supra fundamentum Ecclesiæ quod est JESVS Christus, opera nostra superædificamus, quando in fide & charitate Dei & vnione meritorum Christi operamur. Et quidem aurum argentum lapides pretiosos superædificamus, quando in fervore charitatis divinæ perseveranter operamur: è cōtra lignum, fænum, stipulam, quando negligenter & tepidè aut ob vanam gloriam operamur. Etiam tunc aurum argẽtum & lapides pretiosos superædificamus quando discipulos & proximos nostros sedulo labore & ferventi animarum zelo facimus virtutibus & sanctiore vitâ fulgidos: è contra lignum, fænum, stipulam superstruimus, quando segniori opera finimus eosdem in ariditate & infirmitate atq; in relabendi facilitate manere. Dies Domini est dies mortis nostræ, & quod sequitur judicij Divini. Tunc manifestabitur vniuscuiusq; opus. Si opera nostra invenientur in igne examinis divini charitate fulgentia & firma; mercedem æternæ retributionis absq; ulla retardatione & castigatione recipiemus. Si verò in igne judicij divini non subsistent sed tanquam arida & gra-

*Tria genera bonorũ secundũ 3. gradus cōparationis Similiter 3 genera malorum in Ecclesiia.*

*Quasi per ignem.*

*SS. PP. vt Ambrosi9 Augustin9 Gregorius &c. accipiunt pro purgatorio.*

cilia

cilia absumentur & evanescent; tunc nullum ex ipsis lucrum & mercedem accipiemus. Salvabimur tamen ob fidem & charitatem: verumtamen non nisi per ignem purgatorium salvi fiemus. *Si ille non nisi per ignem salvus erit qui iustus ex proprio est, & quia negligenter discipulos ædificavit: quid de illis fiet qui & sermone non ædificant, & insuper scandalisant exemplo.* S. Hieron: Reflecte te supra te qualia opera supra fundamentum quod est JESUS Christus superædificabas. Affectus congruos elice.

*Gravitas ignis purgatorij*

*Punctum 2dum.* Ignis purgatorij gravissimè cruciat quia idem est cum igne inferni nisi quod hic æternus sit, ille non, (ratione cuius æternitatis gehenna dicitur simpliciter ignis, purgatorium quasi ignis.) S. Gregorius lib. 4. dialogorum c. 8. ait. *Eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus.* quia item gravior est secundum D. Augustinum in psalmum 37. quam quidquid homo pati potest in hac vita quia insuper ignis ille habet adiunctum sibi tædium ex dilatione visionis divinæ, quod ita affligit animas vt teste D. Bonaventura in 4tum. dist. 21. nullum consolationi earum indulgeat locum. Spes quidem roborat eas ad patiendum; non tamen pænas alleviat.

quare

Quare stultè à nobis contemnitur ignis ille, eò quod Apostolus dicit, salvandos ex eo & per eum homines.

S. Barlaam esto tantæ vir perfectionis summè timuit purgatorium in articulo mortis. Et S. Eustratius ad martyrium pergens non cruciatus Martiyrij sed purgatorij exhorrescebat; pænasq; ipsius vt evaderet orabat. Etiam me Domine hîc potius examina hîc exure & excoque vt in die tuo in hora mortis meæ inveniar purus firmus & fulgidus fervore charitatis. Quodsi opera mea omnino exigent cremari aut purificari per ignem: salva me citò ex igne illo, & *tanquam torrem eripe ex incendio.* *Amos 4.*

*Punctum 3tium.* Iuvantur autem animæ in purgatorio per Orationem, Missarum celebrationem, & eleemosynarum largitionem: hæc tria maximè sibi profuisse quædam anima è purgatorio liberata respondit S. Mechtildi. Iuvantur item mortificationibus, vt jeiunijs, disciplinis, chaumenijs, & similibus asperitatibus applicando eas detentis in purgatorio. Apostolus enim resurrectionem simul & purgatorium svadens dicit 1 Corinth. 15. *Alioquin quid facient qui baptisantur pro mortuis si omnino mortui non resurgunt: vt quid & baptisantur pro illis?* vbi Baptis- *Modi juvandi animas*

mus accipitur pro afflictione voluntaria secundùm illud *Baptismo habeo baptisari* vbi Dominus passionem suam vocat nomine baptismi. Apostolus ergo adducit hoc loco consuetudinem Ecclesiæ primitivæ baptisantis hoc est affligentis se pro mortuis per jeiunia fletus orationes &c,

*Credimus* Domine JESU *purgatorium ignem quo purgantur animæ velut aurum in conflatorio.* Libera eas de profundo lacu quas pretioso sangvine redemisti: quas in libro vitæ scripsisti: & maximè eas pro quibus orare obligor. Fac per pijssimam misericordiam tuam, vt citò à pænis expeditæ in te ipso in æternum respirent & requiescant.

*Theodorus apud S. Tho: opus 1. contra Græcos.*

## Pro Festo Dedicationis Ecclesiæ. Meditatio.

PUnctum 1mum. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* ait Christus ad Zachæum ac si diceret: Nisi descenderis cum festinatione de hoc fastigio in quo te supra alios elevas, non ingrediar domum tuam; si descenderis, protinus me habebis bono tuo hospitem. Zachæus iste corpore quidem pusillus, sed spiritu altus erat. Divitem enim esse & superbum non esse, propè miraculum est. Domum ergo ipsius in-

us ingredi, salutemq; ipsi afferre noluit Dominus, priusquam se se per humilitatem deprimeret, qui per fastum supra cæteros se extulerat: quanquam hoc quod arborem conscendit, non ex damnabili fastu fecit, sed ex salutari desiderio videndi Salvatorem. Detestare superbiam, precare humilitatem.

*Punctum 2dum.* Vide verò humiliationis fructum. JESUM manere facit in domo peccatoris: è filio diaboli filium facit Abrahæ é fraudulento raptore, justum & liberalem dispensatorem: è publicano discipulum Christi. O humilitas quam mira operaris! Quis autem dabit mihi hanc virtutem: Vox Christi confringens cedros superbiæ.

Colloquium.

O JESU rogo per humilitatem tuam inclina me grandi voce tua: *festinans descende.* dic & jube vt qui supra alios homines me elevo; infra omnes me deijciam, dic & fiet; sermo enim tuus operatorius est. Si nullũ bonum Spiritûs habere possum nisi ex speciali dono tuo; quomodo præstantissimam virtutem ab te habere potero! Ita te rogo, ita te deprecor per illam suavitatem tuam quia Zachæum minimè sperantem de arbore vocasti, lætificasti, humiliasti, salvasti Sum

enim, etiam ego Zachæus ſtaturâ quoad interiorem hominem puſillus, quia nullius virtutis dignitate ſublimis, ſed ſuperbiæ mole intumeſcens.

O ſi illud verbum audiam: *hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt!* O felix hodie! feliciſſimum hodie! fias aliquando, advenias mihi aliquando, cui nullum pravæ mutationis *cras* ſuccedat.

INDEX

# JNDEX RERUM
## *& Verborum.*

### A



Amoris

Caput

Miracu-

## E.

Homo

## I.

## N.

O.



P.



Pæna

Petrus

Quer-

In Spi-

## T.



Tem-

## V.

## Menda. Emenda.

Pagina. 16. versu. 16. meditatus l. mediatus. pag: 18. vers. 25. præparatitio l. præparatio. versu 27. certta l. certa. pag. 19. versu 11. præmedo l. promendo. pag. 21. ver. 23. pro dilatione. l. pro dilatatione. pag. 22. ver. 11. fiferi, l. fieri. v. 12. simile l. similes. pag. 27. v. 21. luci l. lucri. p. 29. v. 5. insinuatis l. insinuati. p. 30. v. 20. reparetioni l. reparationi. v. 23. d l. sed v. 26. apientiam l. sapientiam. p. 33. v. 9. difficilem l. difficillimi. v. 28. recte l. rectæ. p. 35. v. 3. & sapientia l. vt sapientia p. 36. v. 22. & remedinm l. & ad remediũ. p. 40. v. 4. aiia l. alia p. 42. v. 8. inculcaret l. inculcarat. v. penul: Angelum l. Angelicum. p. 49. v. 20. age gratiam l. gratias. p. 51. v. 9. assumptionis l. assumpti hominis. p. 59. v. 26. factus est l. factum est. p. 60. v. 7. potest me l. potes. p. 66. v. 21. Dominus l. Domine. p. 78. v. 20. aliquas l. aliqua. ver: vlt: vagisti l. vagijsti. p. 80. v. 5. cur l. cum. 84. v. penul: sigillatim l. singillatim. p. 120. v. 2. jvidebatur l. videbatur. 136. v. 14. ruminandum l. ruminandam. 139. v. 11. 8va l. 8vum. 160. v. imittendo l. immittendo. 171. v. 12. fiat l. fit. 175. v. 15. luctus l. fluctus. v. 21. valde l. valdeq; 184. v. 13. pariculiosior l. periculosior. 189. v. 26. charitatis l. auro charitatis. 195. v. 13. combussionem l. combustionem. 199. v. 14. fervet l. fervent. v. 16. intentionem l. contentionem. 203. v. 2. superiores bis ponitur. 205. v. 1. litogoliphus l. lithogliphus. 207. v. 1. spiritualibus l. spiritualis. 221. v. 25. patiunter l. patienter. 229. v. 26. omnem l. omne 289. v. 20. valds l, valde. 321. v. 4. Beatissi-

tissimam l. animam. 324. v. 22. tibi l. sibi. 326. v. 7. efferebat l. afferebat. 330. v. 19. amplicaretur l. applicaretur 331. v. 22. inferno l. infernum. v. 25. in alio l. in aliquo. 341. v. 3. gratiam l. gratum. 347. v. 15. primò ante omnia l. prima ante omnes. v. 19. alios l. alias. 380. v. 24. Domite l. Domine. 399. v. 19. vita nostra l. via nostra. 456. v. 10. pentecoste l. pentecosten. 479. v. 5. eiusdem l. eisdem. 485. v. 1. substantialis l. specialis. 489. v. 4. quantitate l. qualitate v. 3. qualitate l. quantitate. 493. v. justitia l. iniustitia. 508. v. 22. quod ergo l. quot ergo. 524. v. 18. est l. esse. 532. v. 19. coginitionem l. cognitionem 540. v. 4. cupia l. cupiam. 558. v. 12. sapientissius sapientissimus. 565. in margine operenta l. operantia. 630. indicis l. iudicis. 698. v. 3. spiritu spiritui. 607. v. 2. mor l. mors. 678. v. penul: semiamines l. semianimes. 580. v. 20. aedem l. eadem. 583. v. 8. quis l. qui. 585. v. 21. ad eodem l. ab eodem. 593. v. 3. gandio l. gaudio. 602. v. 26. Cristus l. Christus. 603. v. 22. ipsam l. ipsum. 601. v. 22. conturbatur l. conturbamur. 621. v. 21. precursor l. præcursor. 647. v. 17. latata l. lata. v. 6. indicatus l. iudicatus. 661. v. 12. aternum l. æternum. 664. v. 21. ideq; l. ideoq: 675. v. 1. luxiriem l. luxuriem. 682. v. 23. iu l. in. 684. v. 24. mysterium l. mysteriorum. 686. in margi: L. XX. l. LXX. 690. vers. 6. extremum l. exterminium. 694. vers. 1. pluri superfluum vers. 17. hoc l. hoc est. vers. 18. est, superfluum. 696. in margine hypecrisis l. hypocrisis. 715. in margine antecedenttia iudicium l. antecedentia iudicium 718. in margine con-

fere-

feretur l. confertur. 721. v. 11. pusilanimitas l. pusillanimitas. 731. in margine Ecclesiia l. Ecclesia.

*Omissa aut non suo loco posita.*

Pagina 31. ante duos versus vltimos omissum. *Ad hoc enim totus mundus conditus est vt invisibilia Dei. &c. conspiciantur* p. 35. Initium puncti secundi debet poni pro fine seu colloquio puncti primi. Punctũ autem 2dum debet inchoari ab *Expende.* p. 39. v. 13. post *ne omni spe remedij* omissum *destituti.* p. 45. annotatio marginalis de gubernio rationis, paulo superius poni debuit. p. 77. v. 9. post *radians* ponenda periodus. p. 94. post *deieceris* pone comma. post *Christo* dele. p. 212. *Retractata &c* in margine poni non debuit. p. 504. v. 8. post *tum internos* pone, *tum externos.* In fine eiusdem paginæ post *consilium est* dele punctum.

527. v. 7 recreatur l. recreabat. 623. v. 3. post *menstruatæ* omissum *iustitiæ* 680. v. 16. post *intrare* omissum *per foramen acus quam divitem.*

